N. 22



TABVLAE COMPENDIOSAE IN EVANGELIA ET EPISTOLAS,

Quæ per totam Quadragesimam populo in Ecclesia proponi solent, concionaturis omnibus summopere utiles, & necessariæ.

Auctore F. Iacobo Veldio Augustiniano, S. Theologiæ Licentiato.



Venetijs, apud Franciscum, & Gasparem Bindonum, fratres. M. D. LXVI.

REVERENDO IN

Chriſto patri, ac D. D. Iacobo del Rio, Brugenſi, Abbati uigilantiſsimo monaſterij Boudiani, ſtudiorum ſuorum patrono ac Mæcenati,

F. IACOBVS VELDIVS AVGVSTINIANVS S. D.

QVOTIES animo ſubit meo uehemens illud tuum erga religionem Chriſtianam ſtudium, Reuerende in Chriſto pater, quo te, tuaq; omnia illi reſtaurandæ conſecraſti, aliud nihil ſane iudicare poſſum, quàm ſingulari Dei conſilio in hæc calamitoſiſſima tempora te ſeruatum, vt miſerè non nutantem tantum, ſed collabentem religionis diſciplinam fulcires, ac ſuſtentares iis quibus diuinitus ornaris virtutibus. Idcirco enim diuina illa prouidentia, cuius arbitrio

res humanæ geruntur, hanc tibi, quam splendidè ornas, Spartam commisit, vt paulatim veteris Ecclesiæ facies monasticæ religioni redderetur: quod breui futurum non sperarem tantum, sed certè pollicerer, si ea methodo re agerent quotquot eiusdem tecum sunt & professionis & dignitatis: ac demum se id esse quod sunt, agnoscerent, vt tu subinde R. P. apud me soles. Sed me ab enumeratione tuarum virtutum contineo, ne uel maleuolis adulari, vel tibi de te sublimius, quàm par sit, cogitandi occasionem præbere uidear: Tanta enim est naturæ nostræ corruptio, quam leui momento malus ille genius auget, ut ex rectè factis suum fere faciat commodum. Neque tamen ideo defodienda sunt Dei dona, quin agnoscenda potius ac colenda, prout humanæ vitæ ratio postulat: ita nimirum, vt ea ex Deo nobis obuenisse agnoscamus, non proprio parta ingenio, cum æquè sit ingratitudinis nota, talenta diuinitus accepta

pta defodere, ac quum aliunde acceperis, tibi tribuere: quorum neutrum fidei ratio ſinit, ut interim taceam, ipſam uirtutis naturam eſſe perpetuo, emergere, nec ſupprimi poſſe, uel ipſo Chriſto atteſtante, qui negat ardentem lucernam, animum ſcilicet virtutibus ornatum, abſcondi in abdito poſſe, etiam ſi virtutis fructum in conſcientia potius quàm in gloria collocent ſapientiores, quod in te animaduertere facile cuiuis licet. Qui ſic ea omnia quæ ad Eccleſiæ Chriſti ornamenta ſpectare iudicas, agis, vt conſcientiæ potius quàm famæ rationem habeas, adeo ut cum religione monaſtica præclarè actum eſſe putarem, ſi quotquot ſunt patrimonij Chriſti οἰκόνομοι, & diſpenſatores, pari tecum gradu pergerent. Minoremque certè anſam haberent maleuoli monaſticæ profeſſioni detrahendi, qui non aliunde calumniæ occaſionem accepiſſe uidentur, quàm ex ueræ religionis neglectu, quem opum & diuitiarum comites, lu-

xus scilicet & otium, & ebrietas, perniciosissimæ pestes humanæ uitæ, in immẽsum auxerunt: adeo vt credam non aliunde eam, quàm ex hisce malis periclitari, ac fieri non posse, ut pristinus ei uigor restituatur, nisi ea prorsus (ut sedulo conaris) amoueantur & extirpentur, ac pro iis studiorum seminarium inseratur, sine quo pereat necesse est disciplina monastica. Otium etenim, quod superesse solet, absolutis laboribus Ecclesiasticis, fomes vitiorum fere est iis, qui, Basilio teste, tempore sibi indulto uti nõ norunt: ac proinde otiosi variis aguntur affectibus, passionibus obtemperant, cupiditatibus indulgent: quo fit, ut horrenda subinde monstra parturiant, tam corpori quàm animo perniciosissima, Syrenum uidelicet vocibus; aut circes poculis sic inescati, ut conditionis ac voti sint prorsus immemores, ne dicam religionis ac Dei: Huius enim si uel minima occurreret recordatio, nunquam tristes illos, quos nescio an sine lachrymis aspi

cere possint fideles, ederent partus, quos indies cernimus, impudicitiæ scilicet & apostasiæ. Hæc quum pro singulari tua prudentia uir ornatissime non ignorares, eas horas quas à diuino officio liberas habent tui, studiis tã sacris quàm philosophicis occupari iubes: sed sic, ut literariis illis exercitiis, seu potius uelitationibus ipse tanquam coriphæus præsis. Neque uerò his sese limitibus continet tua in religionem animi propensio, quin præter eam, quam domesticis tuis impendis, beneuolentiam, toti quoque Parœciæ, in qua Baulodianum tuum est monasterium, eandem cõfers. Conducto etenim honestissimo stipendio pædagogo, non vulgariter erudito, omnem circumuicinam tibi iuuentutem, rustica quadam barbarie hactenus corruptam, grauiq; ignorantia laborantem, literis ac moribus imbui iubes, propositis etiam premiis esculentis, quibus pauperum filios mendicitati assuetos ad literas allicias. Quo certè be-

neficio nescio an maius, pœnè dixerim diuinius, præstare posses. Isthoc enim præterquàm quod immortalē tibi apud omnes existimationem comparas, quā te minimè spectare noui: quàm bene de iis omnibus quos instituis merearis, intelligunt ii demum, qui scientiā ab ignorantia, corruptam iuuentutem à bene morata distinguere norunt. Si enim communi hominum sententia de Republica benemereri dicatur, quisquis sic vnum aliquem promouet ut Ecclesiæ Christi aut prodesse, aut præesse possit, multò iustius profectò tu R. P. qui iuuenum ac puerorum centurias ita iubes institui ac educari, ut modestiam, pietatem, religionem à teneris vnguibus imbibant, quibus tanquam solidissimis fulchris tum se, tum Ecclesiam ipsam sustentare possint: ea enim ætate bene instituta ac educata, quod reliquum est uitæ, non poterit non feliciter transigi. Adeo ut non aliunde putem tantum malorum in pagos & uicos, ne dicam urbes

&

& regna irrepsisse, quàm ex huius ætatis neglectu, quem ubique maximum fuisse nemo ignorat, quum eam non parentes tantum, sed Principes ac Magistratus uehementer negligere uideamus, quasi ad politiam ea ætas non spectaret. Quum tamen nullius æquè ac huius rationem esse habendam, in sua Repub. censuerit Plato, optimus legislator. Quare uehementer subinde mirari soleo, unde tantus tanti thesauri neglectus emerserit, ut nõ immeritò illum patriæ patrem appellandum putarem, qui in urbibus ac regnis hoc tuum institutum imitaretur. Quod si uel à plerisque fieret, sperarem propediem aliam fore Reipub. Christianæ faciem. Niteris enim non puerilem illam tantum ætatem bene instituere opera pædagogi, sed ipse tibi (dum per occupationes licet) adultos & prouectiores sacris concionibus instituendos desumpsisti, quod demum ueri est Abbatis seu patris officium, quod qua obeas dexteritate, erudi

tione,

tione, & eloquentia, commemorare nō lo, ut κολακίας notam euitem. Ego certè ista tua erga religionem propensione (ut de singulari tuo in me fauore taceam) adactum me fuisse profiteor, ut has meorum studiorum primitias tibi consecrarem, tanquam vnico pietatis & religionis patrono. Neque uerò ulla uel ambitione, uel ingenij ostētatione huc adactum me putet tua prudentia, ut sat scio iudicabunt maleuoli & sycophantæ, à quorum morsibus nemo sibi satis cauere potest: sed solo iuuandi studio, ut nouit supremus ille cordium rimator, Deus. Neque enim ea in me agnosco, quibus eum esse instructum oporteat, qui temerariis hominum iudiciis obiicere sese uelit, hoc est, externum illum dicendi lepôrem cum uenustate & eruditione coniunctum, sed humili stilo tantum me posse quod conceptum est animo, exprimere. Statueram latere potius quàm prodire: Nihil enim minus cogitaueram, quàm hasce Tabulas in Euangelia Quadragesimalia

dragesimalia & Epistolas, quas exercitii causa tantum congesseram, euulgare, quum agnoscerem quàm sterili essent ingenio profectæ, quàm nullo Rhetorices artificio digestæ, quàm raro scripturarum patrocinio munitæ. Quæ omnia uidebam à studiosis obseruari in eis, quas nuper castigatas emisit eruditissimus S. Theologiæ professor M. N. Laurentius Villauicensis, celeberrimæ nationis Hispaniæ in nostra hac ciuitate Ecclesiastes celeberrimus, mihi ob singularem eruditionem, & qua me, meaq; studia est complexus, beneuolentiam, ac parem religionem charissimus. Quare supprimere, aut Vulcano tradere potius, quàm prælo subiicere cogitabam. Verum quũ simili methodo studiosi aliquot optassent ea euangelia quæ sacro Quadragesimæ tempore tractari solent: neq; hoc Ioannes Spangenbergus homo hæreticus fecisset, hortatu amicorum ipse sum aggressus, impari quidem dexteritate, eruditione, ornatu, non minori tamen labore

bore, ut facile candidus lector, nulla scilicet inuidiæ labe fœdatus, agnoscet: Cogitanti igitur mihi, cui potissimum has mearũ lucubrationum primitias cõtra sycophantarum morsus patrocinandas consecrarem, tu R. P. primus occurrebas: cuius tanta in me extant beneficia, ut me meaq; omnia tibi me debere agnoscam ingenuè. Erit igitur humanitatis tuæ vir ornatissime, clientis tui Veldii munusculum literarium amplecti, & eo quo me soles animo recipere, candido scilicet ac beneuolo. Vale in Domino R. P. qui te tuaque omnia ad Ecclesiæ suæ vtilitatem diu seruet incolumem. Datum Brugis in nostro Museo Augustiniano. Iulij. XX. Anno M. D. LXV.

PRAEFATIO
Ad pium Lectorem.

Si unquam exulcerati mores medicam manum exposcere uidebantur, candide Lector, quæ corruptam saniem abstergeret, aut Herculem quendam ἀλεξίκακον, qui Augiæ stabulum expurgaret, hunc certè nunc maximè Christianorum mores requirunt. Adeo enim in ipsis parum est sani, ut sæpè dubitare soleam, an ulla uiuendi ratio sit uspiam deploratior ea, quam passim in uulgo Christianorum cernimus. Habent quidem Agareni, Mahometistæ, aliíq; Barbari suam uiuendi licentiam, in qua ne umbra quidem est pietatis: atqui nescio, an hæc nostris moribus collata, sit deterior. Communi hominum iudicio illorum uitam deploratissimam haberi scio, nec diffiteor. Quis enim probare eam possit, quæ à Christo, eiusq; uerbo est alienissima? Nemo sanè, nisi qui prorsus ἄθεος sit, uel emotæ mentis. Verùm enimuero si nostros paulò pœnitius mores inspiciamus, quid in eis non Heracliti lachrymis, seu potius ultricibus flammis dignum inuenimus? Quid enim perniciosius eo malo quod pietatis uelamine ceu pallio tegitur? Perniciosissima est, fateor, uiuendi pro arbitratu licentia, ob corruptam scilicet naturæ nostræ indolem, quæ non aliò quàm ad mala, illicitaq;, impetu quodam prona fertur: adeo ut sine

Deo

Deo ne cogitare quidem boni quid possit: atqui credendi licentia, quæ subdolo quodam astu in religionem nostram irrepit, quid esse potest pestilentius? Quum ex ea, tanquam Oceano, mores profluant, quippe qui ipsam animi adfectionem sequuntur. Nulla uerò re sic animus afficitur ac fide, quam uult Augustinus in omnibus nostris actionibus intentionem semper dirigere: quæ si mala, peruersaq́; fuerit, non potest non prauos & corruptos mores, ceu fructus producere. Quod in ijs cernere licet, qui relicta ueteri illa, ac cana patrum fide, quam uerbo suo & sanguine proprio consecrauit Christus, nouitiam hanc non è spiritu Christi, sed antro Sathanæ prorepentem amplectuntur. Apud istos enim quàm inuersa sit rerum scæna, quis non uidet? Neq; enim obscuratus est tantum apud ipsos Dei cultus, sed extinctus penitus, abacto sacerdotio castitas profligata, exulat monachatus, Ascetriæ siue moniales, libidinum proletaria effectæ, morum disciplina euersa, obedientia ecclesiastico ac polytico magistratui debita, tantum non abolita est & euersa. Vt interim taceam quæ monstra opinionum de fide Trinitatis, Baptismo, pœnitentia, homine Christo, sacramentis, alijsq́; religionis nostræ mysterijs, non irrepserunt tantum, sed in multis orbis Christiani partibus obtinuerunt. Denique ex hac fidei licentia, quæ subsecutæ sint hominum strages, urbium direptiones, innocentum cædes, paruulorum mactationes, uirginum constuprationes, matronarum

dedecora in præcipuis orbis Christiani regnis, quid attinet dicere, quum uel meminisse animus horreat? Adeo summa infimis, iam summis tetra quadam permistione confusa sunt omnia: hæc tamen, quæ nescio an sine horripilatione audiri possunt, à phanaticis defendi, apologeticis orationibus uidemus, additis fucatis quibusdam laruis è scriptura petitis, quòd scilicet impia esse non possint, quæ religionis ac fidei prætextu fiunt. Sic nimirum ludere nouit perfidus ille ueterator Sathan, fidelium coniuratus hostis, rebus optimis ac diuinis abutens in rem suam, nostramque perniciem. Quum etenim intelligat, neminem usque adeo ferum esse, ac barbarum, qui non aliqua tangatur religione, pietatis ac fidei mentione audita, nec omnibus illud ingenij acumen adesse, ut ueram à falsa discernere possint, falsa sic ueris permiscet, ut facilè (si tamen fieri posset) deciperet etiam electos, dum iusto Dei iudicio fit spiritus mendax in ore prophetarum, qui ueritatem Dei in mendacio detinent, & cordis sui cæcitatem, quæ in ipsis decedente luce sapientiæ, contingit, loquuntur, ut abducant post se discipulos, præcedentium peccatorum merito deserit dignos, qui neglecta ueritate credant mendacijs, doctrinis uarijs & peregrinis abducti, non tenentes iuxta Apostolum caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones constructum crescit in augumentum fidei, sed illecebris carnis, & uoluptatum lenocinijs irretiti, in ea ueluti pecora, quæ natura prona, & uentri obedientia finxit, Colos. 2.

xit, feruntur. Neq; enim aliundè tantum uirium hausit morum corruptela, quàm ex fidei differentia, discordiaque. Mox etenim nati nouitiæ fidei architecti, ut plures suarum opinionum asseclas nanciscerentur, talibus præsidijs sua dogmata munierunt, quibus imperitum uulgus irretire & inescare possent. Quod quum non ignorarent libertatis auidum, impatiens obedientiæ, amans seditionum, huc toto conatu suos intendêre neruos, ut beluam illam multorum capitum eò impellerent, ut abundè unicus ille de captiuitate Babylonica libellus Martini Lutheri testatur: quo uelut classico ad libertatem concitat satis per se insanientem plebem, eamque si precibus nequeat, ui & armis ab impijs principibus & tyrannis uindicet. Siquidem indignum sit eos qui in libertatem uocati sunt, esse hominum seruos. Sic namque scripturarum auctoritate abuti norunt impij in grauissimam hominum perniciem. Quàm enim sint seditiosorum hominum animi efferati, hac uoce audita, qui antè, metu legum & principum auctoritate coercebantur, satis testantur pagorum & urbium Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Scotiæ euersiones, hominum strages, aliaque quæ subsecuta sunt sexcenta incommoda. Quasi uerò hæc Apostoli mens fuerit, isthoc axiomate, legum ac principum auctoritatem Dei ordinatione constitutam, eneruare, frangere, & prorsus euertere, atque adeo ἀταξίαν in Rep. Christiana constituere. Non ea profectò Apostoli mens, non ea spiritus sancti, cuius af-

flatu dictabat, sententia, nisi secum ipse pugnare
uellet: utpote qui non per Apostolos tantum, sed
ab ipso statim orbe condito per prophetas omnes,
regum ac principum auctoritatem constituerat,
eam iam sublatam uellet. Sed ea dæmonis fruas
est, & impostura, qua simplicium animis tene-
bras offundere nouit, ut, scilicet blanda specie re-
cti decipiat: intelligit enim neminem usque adeo ru
dem esse, ut ea quæ mala noxiaq; perspexerit, am-
plectatur, siquidē animis nostris insit radius diuini
uultus, cuius illustratione accensus mala respuit &
auersatur, qui tamen in multis concupiscentiæ &
malarum cupiditatum tenebris occæcatur, ut negle
cta ueritate credant mendaciis, quæ uerisimilibus
rationibus operta uident: fucum etenim non ita fa-
cilè perspicere possunt, nisi quibus adest præter scri-
pturarum cognitionem animique pietatem, spiritus
cœlestis illustratio. Illis uerò, quibus altius adsur-
gere non licet, quàm terrea hæc corpusculi moles pa
titur, eaq; tantum quæ sunt carnis sapiunt: hi de-
mum erroribus irretiti; quos ueritatis imagine te-
ctos amplectuntur, errant incauti, ut fidei ita &
uitæ licentiam omnem sibi permittunt, neglecta tum
æqui, tum honesti ratione, dum quæ libuerint ani-
mo, licere uolunt. Quo fit, ut frena libidini laxent,
obedientiam excutiant, aliorum fortunis inhient,
sacra prophanent, fraude ac dolo suum faciant com-
modum: siquidem ea, in quam uocati sunt, liber-
tas. ea permittit. Mentiar amice lector, nisi hos

fructus fidei licentia nobis pepererit, ut meritò mihi cum sanctissimo illo martyre Ignatio exclamare liceat: O Deus in quæ tempora seruasti me. Quum prætextu pietatis ac religionis scelerum licentia passim grassetur, ut nullum penè flagitiorum genus sit, quod indies non suppullulet ex una hac fidei licentia, quam potiorem Europæ partem fere occupasse cernimus. Vt non immeritò uideantur de sua multitudine gloriari posse, qui quondam de raritate nimiũ angebantur. Quanquam ne tunc quidem fucus deerat, quem imperitæ multitudini obtruderent, ex Christi uerbo desumptus, sese nimirum uel hoc solo nomine felices ac beatos esse quòd rari essent: siquidem æterno patri placuisse, pusillo gregi dare regnũ. Iam uerò opinionum suarum ueritatem ex multitudine eas amplectentium, ac dignitate principum defendentium æstimari uolunt: Ne dicam interim quàm graui sæpe calumnia pios principes grauent, ut miseræ imponant plebi. Solent enim multos isthoc ariete, & in quo præsidij plurimum collocant, deijcere: quòd urbes, regna, principes eandem cum ipsis habeant fidei professionem. Fit enim nescio quo malo genio, ut principum ac magnatum fidem libenter populus imitetur. Quanquam apud eos qui emunctæ naris sunt, nullius momenti hæc ratio sit, quæ uel à multitudine, uel à personarum dignitate sumitur: iudicat enim subinde multitudo etiã principũ de rebus optimis, pessimè. Foret enim hac ratione & Mahumetica impietas pro ueritate amplectenda,

da, quam tota penè Aphrica & Asia est amplexa, potentissimi principes iusto Dei iudicio dati in reprobum sensum, sunt tutati. Proinde nimis imbelles sunt ac futiles, qui hisce rationibus sese ab integritate fidei diuelli patiuntur: Nec satis Apostolo obtemperant monenti ne circunferamur omni uento doctrinæ, quum sciant eam quam profitemur fidem, non humana uoluntate, sed singulari filij Dei Iesu Christi beneficio allatam, Apostolorum prædicatione euulgatam, ipsorum sanguine irrigatam, in se æternæ salutis summam continere, uitæ puritatem docere: Contrà uerò hæresim, falsaque dogmata, pro panacea cicutam, pro salute perniciem, pro pietate impietatem adferre, ut non sit difficile hanc ab illa discernere. Non secus etenim, quàm è fructibus arbores solent, dignoscuntur. Nam ut ipsa fides est opus Dei in nobis, ex quo ceu fonte cæterarum uirtutum riuuli fluunt, nec potest nisi ad ea quæ iusta sanctaq; sunt hominem impellere. Ita econtra pestilens illa hydra hæresis, quam carnis opus uocat Apostolus, concipit iuxta prophetam laborem, & parit iniquitatem, non secus atque ruptis aspidum ouis solent araneæ telas texere. Quo fit, ut telæ eorum non sint in uestimentum, neque operiantur operibus suis: opera enim eorum opera inutilia: sunt enim, ut enumerat Apostolus, fornicacio, immunditia &c. quæ qui fecerint, regnum Dei non consequentur: quo nescio an quid terribilius dici possit, quum tamen rarissimus quisque hac commi-

natione percellatur. Nusquàm uerò magis grassari hæc uitia uideas, quàm apud eos qui sectis & opinionibus irretiuntur, quibus comessationes, ebrietates, impudicitiæ, cæteraque carnis oblectamenta sic cordi sunt, ut Sardanapalo, aut Epicuro non possint magis: piaculum æstimantes, si uel in minimo genium defraudent, siquidem explendis corporis uoluptatibus non sufficerent, quasi illis tantum nati forent, quum beluina potius quàm humana hæc sit imaginatio. Illi etenim, quibus iudicij ac rationis aliquid inest, intelligunt aliam esse conditionis suæ causam, quàm sit beluarum, quibus cum corpore sic omnia intereunt, ut nullus post mortem sensus relinquatur: quo fit ut solius corporis uoluptatem quærant ac sequantur. Quod utinam in solis brutis cerneremus, ac non magna mortalium pars esset eadem mente & cogitatione prædita, ut ex ipsa uiuendi ratione agnosci potest quàm à præscriptis legibus tã diuinis quàm humanis quãmaxime distare cõperimus: in ijs præsertim qui de uerbi Dei cognitione sibi blandiuntur: quos uerè dixeris uerbis fateri Deum, sed factis negare. Quod nusquàm uerius quàm in coniuratis fidei hostibus deprehendes, qui sub pietatis pallio, impietatem ac lasciuiam omnem exercent, & sub pelle ouina lupinam rabiem exerunt, insidiantes non tantum fortunis aut corporibus, sed animabus simpliciũ, quas corrumpere nituntur, ut excidant à simplicitate quæ est in Christo Iesu, quum sint mente corrupti, & reprobi circa fidem, errantes & in

errorem mittentes. Sed hic obijciet ſcio aduerſarius, qui nihil æque ac fidei & uitæ licentiam diſſimulare cupit. Quid eſt quod Tragicam hanc morum corruptelam ijs impingis, qui puritati doctrinæ ſunt addicti? Certè macies, quam uultu exprimunt; ſatis abundè teſtatur, quàm parum ſint gaſtrimargiæ dediti: uitæ parſimonia, quàm parum auaritiæ addicti. Veſtræ potius profeſſionis homines ſunt, qui Curios ſimulant, & Bacchanalia uiuunt. Illi triſtiſſimæ huius tragœdiæ πρότασιν καὶ ἐπίτασιν inſtituerunt: Cuius, ut digni ſunt, καταστροφὴν experientur. An non ipſorum licentia eſt pluſquàm Sybaritica, aut Epicurea? An non ipſi, ut turpes Harpeyæ, aliorum fortunis inſidiantur? Certè in iſtos potius quàm in homines miſeros qui præter unius animulæ ſuæ ſalutem nihil ſpectant, reijcienda potius erat miſera hæc rerum facies, quum illi ne latum unguem à præſcripto Dei uerbo digrediantur, atq; adeo carnem ſuam cum uitijs & concupiſcentijs crucifixerint. Etſi uerear ne præfationis methodum nimia prolixitate egrediar, cogor tamen, quia temporis ratio poſtulat, huic obiectioni mihi aliquoties ab Anabaptiſtis propoſitæ, ut ipſorum literis teſtari poſſem. reſpondere, quod re ipſa didicerim iſtiuſmodi uerborum lenocinijs, multos indies irretiri ac decipi. Fit enim, neſcio quo dæmonis aſtu, ut nihil, tam à uero ſit alienum, quod non dicendo fiat probabile imperitis: quemadmodum & nullus eſt error tam peruerſus, qui non aliquo ſcripturarum patro-

 cinio

cinio fulciatur. Operæpretium me igitur facturum putaui, si amoto fuco, omniq; meretricio nitore, nudam ipsam obiectionem proposuero, quatenus omnes pij intelligant, quibus technis & imposturis rudibus animis illudant. Quod itaque puro, ac puto Dei uerbo addictos sese clamitant, quid quæso hoc est aliud, quàm, ut loquitur Christus, sub pelle ouina lupi personam agere: Quod enim aliud Dei uerbum esse potest, quàm quod per filium suum Iesum Christum nobis pater æternus insinuauit? Quod, inquam, per Apostolos suos spiritu sancto è cœlis misso confirmauit, quod tantorum martyrum sanguine irrigauit, eorumq; animis qui ipsi nomen dedere, ita insculpsit, ut uitam sibi potius quàm hoc eripere paterentur? Quale est, quod de ueritate incarnationis Domini nostri Iesu Christi fides catholica, uerbo Dei edocta credit. Quod de numero ac ueritate sacramentorum iuxta Christi institutionem, Apostolorum traditionem hactenus Ecclesia sensit. Quod de iustificatione, de fide, de gratia, alijsq; religionis nostræ capitibus controuersis, tot annorum centurijs iudicauit: Hoc, inquam, est purum ac putum Dei uerbum, à quo qui uel latum unguem discesserit. pro euangelio, κακανγέλιον amplectitur: pro uerbo Dei, Sathenæ spurcitias: pro salute perniciem: pro uita mortem: deniq; pro spiritu ueritatis spiritum mendacij, erroris & uertiginis, quem miscuit Dominus ijs qui offendunt uerbo, nec credunt, in quo et positi sunt. Toto enim errant cœlo, ac prorsus

falluntur,

falluntur, qui sic unam aliquam uerbis Dei periodũ cauteriatæ uidelicet suæ conscientiæ seruientem obtorto collo rapiunt, ut τοῦ ῥητοῦ intelligentiam adferant potius quàm accipiant, dum hoc dictum uideri uolunt quod animo ipsi cóceperint suo: adeo ut si diuersũ ab ipsis senseris, innumeris licet scripturis probes, adulterari te uerbũ Dei clamitent, quũ nulli magis scripturæ pudicitiam uiolent, quàm huiusmodi, ut loquitur Cyprianus, interpretes falsi. Anne, quæso hæc oculari demonstratione in ipsorũ scriptis, qui nouitias opiniones defendunt, liceret demonstrare? Vel soli catechismi, qui corrũpendæ iuuentuti in nostram Flandriam aduehuntur, abundè testantur, quam turpiter ipsi scripturas corrũpant, ut non possint nisi falso dicere se puriori doctrinæ addictos, quã do puritas aliud nihil sit quàm ipsa ueritas, quam habere nequeunt qui sese à corpore Christi, quod est Ecclesia, impio schismate separarunt. Proinde ut hic uani deprehenduntur, ita & in eo quoque quod prætextu maciei, abstinentiæ, & humilitatis, sanctimoniam simulant. Etsi soleat latentis animi index esse tum oratio, tum uitæ formula, tamen hic non usque adeo certus est, ut sæpissimè fallat: transfigurat enim subinde sese angelus Sathanæ in angelum lucis, ut blanda specie fallat incautos. Quod in ijs uidere licet, quibus uitæ scopus non est Christus, sed nominis existimatio: siquidem non semper charitas est, quæ cupiditatem frenat, sed quandoq; maior cupiditas, ut in ambitiosis & auaris facile deprendi po-

 test,

test, in quibus pecuniæ aut honoris cupiditas carnales illecebras uincit ac superat: adeo ut ex uitæ parsimonia non possis animi continentiam, aut sobrietatem agnoscere, quando frequenter is in sobrio corpore multis subinde diffluat uitijs, Deo, qui solus est καρδιογνώστης, cognitis. Quo fit ut fidei puritatem ex sola uitæ ratione non possis æstimare. Sequuntur quidem rectam fidem innocentia, morum integritas, modestia, pietas, cæteræq; uirtutes, tanquã è radice fructus: non semper tamen ex hijs fides est æstimanda, quot uideamus & hæresim easdem sæpe uirtutes imitari (si tamen uirtutis nomine censeri debent, quæ malo, peruersoq; fiunt animo) quod abũde satis testari potest fanatica illa Anabaptistarum colluuies, ipsis & sacramentarijs execrabilis. Præsefert enim illa tantam uitæ (ut apparet) σκληραγωγίαν, ut nesciam an quisquam mortalium seueriorem posset: quam tamen omnes execrantur, & ut humanæ uitæ pestem fugiunt, eò quòd Christianæ fidei principia subuertere moliatur. Male ergo colligit aduersarius ex ipsorum operum externo fuco, quemadmodum & in eo quod ne latũ unguem à præscripto Dei uerbo discedere dicat, mortuos esse mundo, carnem suam cum uitijs & concupiscentijs crucifixisse. An'ne quæso à præscripto Dei uerbo discedit, qui contra illud nouas opiniones aut gignit, aut sequitur? qui tropis illudit? qui falsa interpretatione subuertit? hoccine est sequi uerbum Dei? Porrò ut hic splendidè mentitur, falsamq; obijcit calumniam

aduersarius,

aduersarius, ita & in eo, quòd mortuos mundo ait eos, qui nouitiæ fidei paradoxa sequuntur. Nisi fortè hoc putet mori mundo, in negotio fidei carnis ac rationis iudicium sequi, pro arbitratu uitam instituere, decreta legum ciuilium & Ecclesiasticarum contemnere. Hoc si intelligat, mundo mori, concedam facilè. Sed non opinor. Nouit enim hæc pugnare cum uerbo Dei. Sed Anabaptistarum fortasse seueritas omnino hanc aduersarij sententiam confirmabit. Cui hoc tantùm responsum uolo, nullam uitæ sanctimoniam Deo placere, aut conformari Christi passionibus posse, quæ fidei puritate destituitur. Sed me ultra clepsydram progredi sentio. Quare ne nimia prolixitate lectori tædium adferam. alteram si obiectionis partem diluero, manum à tabula retraham. Hac autem confutanda eò ero compendiosior, quòd præter manifestam calumniam, ueri nihil contineat: aliud siquidem nihil spectare uidetur, quàm ut omnibus catholicis inuidiam cōciliet, quod sciat eorum acta nunquàm placere posse, qui in odio aliorum uersantur. Proinde quum nemo sit qui contra sycophantæ morsum satis sibi cauere possit, facilè in tanta naturæ corruptela inuenit quod reprehendat. Diffiteri sanè non possum quin multa sint in nobis, quæ meritò censoria nota perstringi possint, si multorum uitam inspicias, nescio qua indulgentia altius radicata, quàm ut facilè, uereor, extirpari possint: ut sunt auaritiæ ac simoniæ lues, scortationum & adulteriorum flagitia, aliaq; innumera cum

uerbo

uerbo Dei pugnantia. Atqui ex ijs fidei professionem & sacramentorum ueritatem æstimare, quid aliud quæso est quàm ex unguibus leonem metiri? atq; , ut olim Donatistæ, ex moribus fidem damnare? Quasi uerò sacramentorum aut ueritatem, aut efficaciam in hominum sanctimonia collocarit Deus, ac non potius in sua id seruarit uirtute. Non enim ignorant fideles sacramenta gratiæ per malos æquè ac bonos Deum administrare: ipsam uerò gratiam, non nisi per seipsum, uel per sanctos suos, ut habet Augustinus lib. 5. contra Donatistas cap. 21. Pessimè igitur ex moribus corruptis catholicorũ, quos ex animo correctos optant omnes pij, apud imperitos, fidei ueritatem, aut sacramentorum energiam euertunt hæretici. Sed ea est maledicorum indoles, ut aut raram, aut nullam calumniæ, & iniuriarum habeant rationem, contenti si modo calumnientur. Sentiunt enim sese statim ab omnibus damnandos iri, si nullum impij schismatis prætextum adferrent. Quòd uerò in obiectione subdit: prætextu religionis fortunis miserorũ insidiari catholicos, quàm sit manifesta calumnia, nemo non uidet. Punit, fateor, lex Ciuilis exilio, bonorum confiscatione, ac morte hereticos, eosq; qui falsorum dogmatum sunt adsertores ac defensores, idque scripturarum & auctoritate & exemplo, sed non antè quàm deploratos perspexerit. Interfici etenim iubet Deus falsum Prophetam Deutero. 18. Elias quoque falsos Baal Prophetas occidit. Huc accedit ueteris quoq; Eccle

siæ

siæ consuetudo. Nam Magnus ille Constantinus ex definitione Concilij Niceni capitalem sententiam dif finiuit in eos qui Arrij defenderent, ac retinerent errores. Omitto innumeras Augustini, aliorumque patrũ sententias, quando latius hoc argumentũ prosequi nõ sit animus: sed indicasse tantũ catholicorũ cõtra hanc calumniá innocentiam suffecerit, ut omnes uiri boni intelligant, quibus artibus hæresim promoueat dæmon, uidelicet adsuetis sibi & familiaribus technis, ut Athanasii, Ceciliani, aliorumq; sanctissimorum acta testantur. Vt non immeritò admirari liceat tantam hominum multitudinem ijs aures præbere, sed iusto Dei iudicio merito præcedentiũ peccatorum accidere nõ dubitemus: non secus atque Heraclij temporibus, ob dissolutissimam uitæ Christianæ disciplinam, impia Mahumetis barbarie, potiorem orbis partem uindicauit. Sicut ante quoque, Nicephoro teste, lib. 7. cap. 2. Christianorum luxum & discordiam castigarat. Sed uideo me longius, quàm præfationis ratio postulat excurrisse, quare collectis uelis in portum recurram, si prius æternum patrem inuocauerim, qui uerbis sui ueritatem per filium suum nobis in Ecclesia patefecit, ut non contineat in ira miserationes suas, sed promissionum suarum memor, Eccesiam suam, quam acquisiuit sanguine suo, defendat ac tueatur: ne si præualeant aduersariæ potestates, ueritas Euangelij, sacramentorũ energia, prorsus pessundetur, sed præsentia spiritus sui gubernet, missis pastoribus, qui

populum

populum suum pascant uerbo & exemplo, qui contra luporum rabiem gladio spiritus muniant. Quod quū nulla re certius quàm prædicatione uerbi soleat efficere, eos, qui hanc sibi prouinciam desumpserunt, hisce meis laboribus, ipse licet iuuandus, iuuare studui, quod scirem & uiduæ illius duo minuta Christo non omnino ingrata fuisse, sperans beneuolum Lectorem, cui potissimum hic meus desudauit labor (zoilis enim & maleuolis nullus unquam mortalium satisfecerit) candidè hoc quicquid est operis amplexurum. Vale beneuole Lector, & his qualibuscunque primitijs fruere in Domino.

TABVLAE EVANGELIORVM QVADRAGESIMALIVM.

FERIA QVARTA cinerum. Matthæi VI.

CVM autem ieiunatis nolite fieri ſi-
cut hypocritæ triſtes. Exterminãt
enim facies ſuas, vt appareant ho-
minibus ieiunantes. Amen dico vo-
bis, quia receperunt mercedem ſuam. Tu au-
tem quum ieiunas, vnge caput tuum, & faciẽ
tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans,
ſed patri tuo qui eſt in abſconſo: & pater tuus
qui videt in abſconſo, reddet tibi. Nolite Luc. 12. d
theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi æru
go & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt
& furantur. Theſaurizate autem uobis the-
ſauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque ti-
nea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec
furantur. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi
eſt & cor tuum.

Hoc

Hoc Euangelio Christus tria proponit.

PRIMO, damnat Hypocritarum ieiunium, qui extermināt facies suas, uenantur laudem humanam ex abstinentia, lucida ex ieiunio ora circunferunt. ut scilicet appareant hominibus ieiunātes. uocat autem scriptura eos hypocritas, qui labijs Deum honorant, & corde alieni sunt ab eo, hoc est ut loquitur Apostolus, uerbis fatentur se nosse Deum, & factis negant. aut ut Christus Matt. 15. ait, qui transgrediuntur mandatum Dei propter traditiones suas: qui quum suam uelint statuere operum iustitiam sine Christo, iustitiæ Dei non sunt subiecti, atque inflati hac sua sanctimonia audent cum Deo expostulare dicentes, ut est Isa. 58. quare ieiunauimus & non adspexisti? quare humiliauimus animas nostras & nescisti? rogant denique iudicia iustitiæ, & appropinquare Deo uolunt, sic omnia suis operibus tribuentes, ut gratiæ Dei prorsus nihil concedant: ijs autē pulchre respōdet Propheta docens cur ut cætera ipsorū opera, ieiuniū quoq; abominetur: quia ad lites & contentiones ieiunarent, percuterent pugno impiè, & omnes debitores repeterēt. Igitur quia omnia hypocritarū opera quum ex fide & charitate erga Deum non proficiscantur, sunt inutilia, quanquam iram potius quàm gratiam promereantur, merito ab eorum imitatione dehortatur Christus, dicens: Nolite fieri sicut hypochritæ

pochritæ tristes, de quibus uide Iob.8.21.Isa.29.
SECVNDO, docet quale uerum Christiani hominis esse debeat ieiunium. Vult autem illud ornari, capitis unctione, & faciei lotione, quæ quum apud Iudæos fuerint lætitiæ & hilaritatis symbola, facilè ostendit Christus ieiunium non esse tantum apud Christianos rem ἀδιάφορον, sed gratam & acceptam Deo, nec tamen pro naturæ, et ualetudinis ratione suscipiẽdũ, vt uolunt nostri sardanapali, qui vt quibusuis uoluptatibus explendis sufficere possint, nullam uolunt corpori molestiam ciborum inedia adferri. siquidem vt illi uolunt, uentris uacuitas, capitis uertigines, cerebri debilitatem, & stomachi molestiam ob malos humores, quibus uentriculus impletur, parit, proinde nescio qua impudentia docere non uerentur Deũ aut hæc non præcepisse, aut non requirere eo quod naturæ repugnent. Atqui longè aliter Christus qui quomodo ieiunandum sit formulam tradens, uult, hilari uultu, candido adfectu, & pura conscientia obseruari: certè qui quomodo agendum sit ieiunium præscribit, is nunquam id damnabit, nisi secum ipse pugnare uelit. Intelligit autem Christus ieiunij nomine uniuersam corporis castigationẽ, qua abstinemus, ab illicitis uoluptatibus, ab impietate, à secularibus desiderijs, et à concupiscentijs malis. ut scilicet exhibeamus nos sicut Dei ministros. 2. Corinth. 6. sed ita vt fletũ, plãctum, & cordis scissionem, cæteraq; pœnitẽtiæ opera adhibeamus. non auaritiæ & ostentationis causa, sed vt Deo placeamus, & carnem spiritui subijciamus

mus. sic enim fore ut sit apud Deum meritorium: iuxta illud, Pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi.

TERTIO, ne suspicarentur auari se posse quod genio subtrahunt cupiditati & auaritiæ accumulare, docet ieiunium non tantum in ciborum abstinentia, corporis maceratione, & uentris inedia esse constitutum, ut impij putabant hypocritæ, uerum alteram illius partem, eleemosynam nempe, adiungendam iubet, quæ non secus atque ignem aqua, ita peccatum extinguit. hinc Christus date eleemosynam, & ecce omnia mũda uobis. porrò priusquàm Christus formulam eleemosynæ præscribat, prius malorum omnium radicẽ, scilicet cupiditatem, diuitiarum sitim, & thesaurizandi studium ab animis suorum eximere conatur, dum thesaurizare uetat in terra. quod huiusmodi thesauri uarijs sint periculis obnoxij. nam uel ærugo & tinea demolitur, uel latrones, & fures effodiunt uel furantur. Rectè ergo monet diuites Apostolus. 1. ad Timot. 6. nõ sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo, atque adeò ueris uirtutibus animum exornare. nulla autem uirtus æquæ nos Deo gratos atque acceptos reddit atque ipsa eleemosyna, quam Apostolus uocat, hostiam acceptam Deo, odorem suauem, & benedictionem. si tamen non ex tristitia, aut ex necessitate offeratur: uide Ecclesiastici. 17. sic enim omnia mundat. Luc. 11. idest interna & externa, dum pro malitia quam exhibuimus, charitatem proximo impendimus: pro rapina munificentiam, iuxta illud:

Qui

Qui furabatur iam non furetur: magis autem laboret manibus suis ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. sic enim fiet ut in cœlo thesauros incorruptibiles comparemus.

FERIA QVINTA POST Cinerum. Matth. VIII.

CVM autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eũ, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine, nõ sum dignus vt intres sub tectũ meũ: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nã & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit, & alij veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem hæc Iesus, miratus est: & sequẽtibus se dixit. Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem uobis quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorũ: filij aũt regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentiũ. Et dixit Iesus Centurioni. Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.

Leu. 14. a
Luc. 7. a

Tabulæ Euangel.
Proponit hoc Euangelium quatuor.

PRIMO, *Centurionis singularem erga famulum amorem, beneuolentiam, & pietatem. dum ægrum tanta prosequitur humanitate ut quasi filium complectatur, nec ut solent improbi heri, quos ἀστοργους, i. sine ad fectione uocat Apostolus, domo expellit, & ad publica nosocomia deferri iubet. sed impulsum legis naturæ secutus, dictantis ut alteri faceret quòd sibi fieri uellet, domi ipsum fouet, nutrit, & medicis curandum tradit. nihil non humanitatis impendens, intelligens hoc ueri esse domini officium, ut quod æquum & iustum est seruis præstet. Re ipsa quasi præsagiēs quòd in Christo Iesu non sit neque seruus, neque liber. Non quod in repub. Christiana, ut impij uolunt Anabaptistæ, seruorum erga dominos tollenda sit obedientia, quum Paulus in politia quam uult optime institutam, eam præcipiat. Ephe. 6. Colos. 3. Serui inquit, obedite dominis cum timore, tremore, et simplicitate cordis sicut Christo non ad oculum seruientes. Nec non erga Christum Fidem, & Obedientiam. Nam quum intelligeret famuli ægritudinem esse talem, ut humana arte iuuari non posset, non tamen desperat, & malis artibus remedium quærit, sed concepta in Christum fiducia, cuius Mansuetudo, Pietas, & Misericordia qua passim non uenientes solum admittebat, sed ut uenirent inuitabat. Matth. 11. ip*

si

ſi iam innotuerat, ac ægritudine famuli permotus, impellente eum charitate: quæ nunquam otioſa eſſe poteſt, non contentus ſeniores ſynagogæ, & amicos ad Chriſtum miſiſſe, qui pro ipſo deprecarentur, ex nimia ſui ipſius deiectione qua ſeſe Chriſti colloquio, & familiaritate indignum æſtimauerat, ſumpta tandẽ ex Chriſti humanitate fiducia ipſum adit, animi anguſtiam alterius cauſſa ſuſceptam aperit.

SECVNDO, Admirandã ipſius ad Chriſtum habitã orationem, qua famuli ægritudinem, & ſuiipſius anxietatem, magna animi deiectione proponit dicens. Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur: extorſit autem hanc orationem neceſſitas, quæ efficaciſſima eſſe ſolet occaſio conuerſionis ad Deum. Iuxta illud: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Habet hic quod imitetur quiſquis aduerſitate ægritudine, inopia, fame, & paupertate laborat, vt ſcilicet non pedibus, ſed fide Chriſtum adeat, in ipſum curam omnem proijciat, iuxta illud Pſalmi, iacta in domino curã tuam & ipſe te enutriet. Id quiſquis ex toto corde Deo potius quàm ſuæ induſtriæ, operi, & curæ fidens fecerit, is aut dubiè non aliam erga ſe Dei experietur clemẽtiam, quàm Centurio hic expertus eſt Chriſtum: fit enim ob magnam multorum diffidentiam, qua Deum laboribus ſuis poſtponunt, quod uel egeſtate, miſeria, uel inedia perire uideantur, vt cõtra præter magnam conſcientiæ quã experiuntur tranquillitatem, fœlicitatem quoque uitæ præſentis adſequuntur,

tur, qui toti à Deo pendent, quærentes primum regnum Dei & iustitiam eius, Matth. 7. Quibus etsi aduersi quid accidat, mox cum Centurione ex fide Christum inuocant, & statim audiunt suauissimam illã consolationem. Ego ueniã, & curabo eum. Nulla enim est animi adflictio; nulla miseria corporis cui non statim ubi saluti expedire iudicauerit, medetur mitissimus Iesus: qui sanat omnes contritos corde, & sanat contritiones eorum.

TERTIO, *Centurionis quam Christo exhibuit humilitatem, dum ait, Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic uerbo & sanabitur puer meus. quæ profecto uirtus tanti est à Christo æstimata, siquidem aliarum omnium uirtutum quasi basis sit, ut sibi mentis, & famulo corporis ex Christi misericordia consequeretur salutem. Significauit autem hoc miraculo Christus sese uerum esse à Deo patre orbi datum Liberatorem & Seruatorem, qui quod impossibile erat legi, naturæ, uel Mosaicæ, conferre, scilicet ueram salutem, nimirum, peccatorum remissionem, Gratiam qua tentationibus resistamus, & Reconciliationem cum Deo gratis exhiberet, ut iustificati gratis ipsius hæredes simus secundum spem uitæ æternæ.*

QVARTO, *Ipsius Christi præclarum de Centurionis fide testimonium qui sequentibus se turbis & Apostolis dixit: Non inueni tantam fidem in Israel, ex quibus intelligimus quàm uerè dixerit Christus Ioan. 9. Ego in iudicium ueni in mundum, ut qui non uidẽt, uideant,*

uideāt, & qui uidēt, cæci fiāt. Horrēdū profectò Dei iudiciū quo populū Israeliticū, quem ut peculium suū tantis beneficijs ornauerat, nimirum, sui cognitione, Lege, Prophetis, & Scripturis, tanta seueritate, iustiss. tamen iudicio, passus est ita excæcari, & obdurari, ut agnitam ueritatem, idest Christū opprimerent, ut meritò hic Centurio homo bellis, rapinis, Idololatriæ, & Auaritiæ quondam deditus, ob mutatas animi adfectiones, iā enim istis uale, dixerat, adeoq; religionem imbiberat, ut Iudæis synagogam extruxerit, ipsis præponeretur à Christo, quo haud dubiè significabatur fore ut gentes fierent ciues Sanctorum, domestici Dei, & cohæredes gratiæ Dei. Hoc enim indicat Christus dū ait: Multi uenient ab oriente, et occidente, & recūbent cū Abrahā, Isaac & Iacob. Filij autē regni proijcientur in tenebras exteriores.

FERIA VI. POST CINERVM.

Matthæi V.

AVDISTIS quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico uobis: diligite inimicos uestros, benefacite his qui oderunt uos, & orate pro persequentibus & calumniantibus uos, ut sitis filii patris uestri qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui

Leu. 19. d

Luc. 6. d

Luc. 6. e

qui uos diligunt, quã mercedem habetis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres uestros tantum, quid amplius facitis? Non'ne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo uos perfecti, sicut & pater uester cœlestis perfectus est. CAP. VI.

Attendite ne iustitiam uestram faciatis coram hominibus, ut uideamini ab eis: alioquin mercedem nõ habebitis apud patrem uestrum qui in cœlis est. Quum ergo facis eleemosynã, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in uicis, ut honorificentur ab hominibus. amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: ut sit eleemosyna tua in abscondito, et pater tuus qui uidet in abscondito, reddet tibi.

Docet hoc Eunagelio Christus tria.

PRIMO, *Imperfectionem ueteris legis, quæ tantum Irã operabatur, Propter transgressionem posita est, Peccatũ demonstrabat, & Neminem ad perfectum adduxit. Dum auget prohibitione peccatum, metu pœnæ abstinent à uitijs, & subintrauit vt abundaret delictum, per eam cognitio peccati est, non delectio. Pædagogus tantum fuit ad Christum, umbram habens*

bens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Hæc tamen Sancta, Iusta, Bona. sed ijs qui legitimè ea utuntur, quanquam iustis non sit posita, sed iniustis, peccatoribus, plagiarijs, homicidis, impijs, & sceleratis. Nam iusti, ut Abraham, Isaac, Iacob, Daniel, cæteriq; patres, non timore ut ancillæ filij, sed amore, ut liberæ filij legi seruiebant, quũ habuerint spiritum non huius mundi, qui inimicos Dei constituit, sed qui ex Deo est, quo non amicos tantum diligebant, sed etiam inimicos, ut Dauid. 1. Reg. 23.

SECVNDO, *Legis euangelicæ perfectionem, quæ consistit in dilectione inimicorum, beneficio eorum qui nos oderunt, oratione pro persequentibus et calumniantibus, quæ licet iuxta August. lib. de spiritu & litera sint difficiliora quàm ut à nobis in statu naturæ corruptæ impleri possint, præcepta sunt tamen propter auxilium gratiæ quæ diffunditur in cordibus nostris, non per naturam, uel per legem, quia illa nos filios Iræ constituit ex uitio primi parentis. Ephes. 2. hæc terrendo & iubendo quòd sine gratia impleri nõ potest, homini tantũ demonstrat suam infirmitatem, ut quærat demonstrata infirmitas Saluatorem, Sed per spiritum Gratiæ, quo fit ut simus legis non auditores tantum, sed factores, diligentes inimicos non reddentes malum pro malo: sed econtrariò, benedicentes, quia sicut est uoluntas Dei, ut benefaciendo obmutescere faciamus imprudentium hominum ignorantiã, & carbones ignis congerendo super caput ipsorum,*

ut Stephanus, Dauid: eo tamen iudicio, ut naturam in eis nō uitia diligamus. Nam Dauid iniquos odio habuit. Psal. 118. & amicos, sed ita ut potiora quæ in eis sunt, nobis sint chariora, ut anima, & fama præferatur bonis externis, & fortunæ, & spiritum adoptionis, per quem efficimur hæredes Dei & cohære des Christi, qui nos inimicos sibi reconciliauit, Rom. 5. Pro impijs mortuus est ut nos offerret Deo. mortificatos quidem carne, quod baptismo et uero usu sacramentorum incipit hic, & perficitur in morte. uiuificatos autem spiritu. Nam corpus quod corrumpitur aggrauat animam sed spe salui facti sumus. benefecit ijs qui oderunt eum gratis. Nam pertransiuit bene faciendo & sanando omnes oppressos, quoniam Deus erat in eo. Act. 10. et orauit pro persequentibus, dum in cruce pendens dixit, Pater ignosce eis, quia nesciunt quid faciunt.

TERTIO, Perfectionē iustitiæ Christianæ quæ efficit ut simus filij patris cœlestis. Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur & simus. 1. Ioan. 3. non ex uoluntate carnis aut uoluntate uiri. Ioan. 1. sed ex Deo nati. Voluntariè enim genuit nos uerbo uirtutis suæ, ut simus initium aliquod creaturæ eius. Iac. 1. Id est, diuinæ consortes naturæ, si tamen fugimus eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. 2. Pet. 1. Nam quicquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia uitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo, quæ quum non secus ac leuis quædam umbra

bra transeant, fit ut suos cultores prorsus dimittant sine ulla consolatione perfecti, sicut pater noster cœlestis perfectus est non perfectione naturæ, quæ nulli mortali contigit unquam, at ne angelis quidem, sed perfectione gratiæ secundum mensuram donationis Christi pro conditione uitæ præsentis, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, quia sua gratia, & misericordia conseruat bonos ne excidant a iustitia. Iustus enim si ceciderit non collidetur, quia dominus supponit manum suam. Psalm. 36. inuitat malos ad pœnitentiam, Rom. 2. An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? Nolens mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Ezechiel. 18. ex illius igitur fauore qui hanc perfectionem fuerit consecutus, ut inimicos diligat, benefaciat iis qui oderunt eum, orat pro persequentibus et calumniantibus. denique filius Dei et nominetur & sit. Caueat ne coram hominibus iustitiam suam faciat, aut tuba canat sicut hypocrita. popularis auræ fauore captus spe immortalis illius, & immarcessibilis gloriæ excidat.

SABBATO POST CINERVM.
Marci VI.

ET CVM sero esset, erat nauis in medio mari, et ipse solus in terra. Et uidens eos laborantes in remigando (erat enim uentus contrarius

rius eis) & circa quartam uigiliam noctis uenit ad eos ambulans supra mare, & uolebat præterire eos. At illi ut uiderunt eum ambulantem supra mare, putauerunt phantasma esse, & exclamauerunt. Omnes enim uiderunt eũ, & conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, & dicit eis: Confidite, ego sum, nolite timere, Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit uentus. Et plus magis intra se stupebant, non enim intellexerunt de panibus. erat enim cor eorum obcæcatum. Et cùm transfretassent, uenerunt in terram Genesareth, & applicuerunt. Cumq; egressi essent de naui, continuò cognouerunt eum: et percurrentes uniuersam regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui se malè habebant circumferre, ubi audiebant eũ esse. Et quocunq; introibat in uicos uel in uillas, aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut uel fimbriam uestimenti eius tangerent, & quotquot tangebant eum, salui fiebant.

Matt. 14. d

Proponit hoc Euangelium tria.

PRIMO, *Docet fidelibus nullam accidere aduersitatem absque summi patris uoluntate: ipsum autem subinde id facere, ut suorum fidem, sine qua impossibile est placere Deo, Hebr. 11. et patientiam, in qua possidebunt animas suas, Luc. 21. exerceat: quia enim*

plerunque

plerunque marcescit sine puluere uirtus, ideo suos electos subinde tentat aduersis. Psal. 118. Bonum mihi, quia humiliasti me, & prosperis, ne naturæ nostræ imbecillitas, uel eleuetur rerum præsentium nimia fœlicitate, ac tandem Dei obliuiscatur. Psal. 82. uel frangatur nimia seueritate rerum aduersarum: ideo orat fidelis: Domine, ne in furore tuo arguas me. Psal. 8. & 72. etsi uerò æquali tentationum pondere uideatur Deus affligere in præsenti Iustos, ut Abraham, Loth, Dauid, Apostolos. & Impios, ut Pharaonem, Antiochum, Herodem. In utriusque tamen sortiuntur disparem finem. hos enim purgat ut fructũ plus adferant. omnem enim qui fert fructum purgabit eum. Ioan. 3. Istos ut perdat, quia omnem palmitem in me, ait Christus, non ferentem fructum, tollet eum, & in ignem mittet, & ardet. Ioan. 15.

SECVNDO, Ostendit fidelibus gnauiter esse laborandũ in aduersis: spe futuræ liberationis, quam ex uerbo Dei concipiunt, scientes Deum esse fidelem: qui non patietur eos tentari supra quàm possint. 1. Cor. 10. Non derelinquere omnes qui sperant in eum. adesse in tribulatione, audire clamantes, eripere & glorificare. Psalmo. 90. Proinde etsi circumeat tanquam leo rugiens aduersarius ut deuoret, fortiter ei in fide resistendum ab eis. quia experiuntur quòd tribulatio patientiam operatur. Rom. 8. & Patientia operatur ueram probationem, Probatio Spem, quæ non confundit. Quare licet, ut hic Apostoli derelicti uideantur in mari procelloso, et undarum æstibus agi-

tato grauissimis scilicet aduersitatibus mundi, carnis, diaboli in nocte tenebrosa, ignorantia rerum diuinarum, & curis huius seculi, uentis contrarijs, doctrinis scilicet uarijs, & peregrinis. nequaquam tamen merguntur fluctibus, uel desperationis, ut negent Dei prouidentiam, uel ipso facto sicut Cain. Genes. 3. & Iudas. Matt. 27. & Præsumptionis, ut Lucifer. Esa. 14. & Nabugodonosor. Daniel. 4. in quibus etsi esse pœnitantia peccati admissi, deerat spes misericordiæ. Vera enim pœnitentia est, ut nec sperantem pœnitentia, nec spes deserat pœnitentem Fulgentius.

TERTIO, Significat huius Euangelij historia, Christum nunquam suos deserere: si tamen uocationi suæ non defuerint, nec spei anchoram deiecerint, sed laborent fideliter in remigando, inseruiendo uocationi in qua uocati sunt. Ephes. 4. Quod autem Christus in prima, secunda, uel tertia uigilia non uenerit ut suis opitularetur, fecit ut suorum patientiam exerceret: tanta enim est naturæ prauitas, ut nisi morbum agnouerit, & naturæ suæ imbecillitatem, mox acquisitam salutem propriæ tribuit industriæ, & Dei Potentiam non agnoscit, Misericordiam non prædicat, & Bonitatem non laudat, atque ideo in quarta demum uigilia accedit Christus, id est, rebus iam deploratis, & in summa desperatione constitutis; ut eius omnia adscribamus prudentiæ. Deinde monet hic locus, ut Apostolorum exemplo, non defatigemur animis dum à Deo corripimur, ne cum hoc mun

do

do damnemur. Hebr. 12. Sed licet moram faciat, esse tamen expectandum, quia ueniens ueniet, & ambulabit super mare, ut fluctus tentationum, procellat aduersitatum, & uentos contrarios supprima, ut amplius nihil sit quod iustos contristet, qui iustificati ex fide pacem habent ad Deum. Rom. 5. Vtinam nunc in tanta religionis Christianæ perturbatione adsit dominus Iesus, qui spiritu suo persecutionum, symoniæ, hæreseon, schismatum, & flagitiorum procellas comprimat, & pastores, episcopos, Pontifices officij sui moneat, ut fortiter remis scripturarum ecclesiam tueantur.

DOMINICA PRIMA QVAdragsimæ. Euangel. Matth. IIII.

TVNC IESVS ductus est in desertū à spititu, vt tentaretur à diabolo. Mar. 1. b Luc. 4. a
Et cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit, scriptum est, Non in solo pa Deu. 8. a
ne uiuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctā ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dicit ei. Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptū est enim. Quia angelis suis Psal. 90. c
mādauit de te, & in manibus tollēt te, ne fortè

offendas

offendas ad lapidem pedē tuum. Ait ili IESVS: Rurſum ſcriptum eſt. Non tētabis Dominum Deum tuum. Iterum aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum valde: & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dicit ei: Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me. Tunc dicit ei IESVS: Vade ſatana. ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis: & illi ſoli ſeruies. Tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

Deut. 6. c

Deut. 6. c et 10. d

Proponit hoc Euangelium triplicem Chriſti cũ Sathana conflictum, quem non ſui ipſius, ſed noſtra omnium cauſa ſuſcepit. Eſt autem

PRIMO, *De cura & ſolicitudine uictus, & diuitijs comparandis, quibus uictui & neceſſitati ſuccurratur. Chriſtus enim ea ratione ductus fuit à Spiritu ſancto in deſertum. famelicus, & eſuriens. Ieiunio 40. dierum exhauſtus & defatigatus. Proinde diabolus occaſionem nactus adoritur: quanquam dubius de ſucceſſu, quod ſciret ſanctiſſimos illos Moyſen Exod. 34. Eliam. 3. Reg. 19. de quorum tamen humanitate non dubitauit, ſimilem inediam ſuſtinuiſſe,*

nuisse. nititur autē Christum adducere in diffidentiam: pusillanimitatem: & desperationem: qua uictus discedat à fiducia quam habebat erga patrem, penes quem est omnium rerum prouidentia. Atque eisdem prorsus technis in dies fideles opprimit, quos Inopia rei familiaris, Penuria, Paupertate, et Aegritudine oneratos perspexerit: quibus nihil æquè molitur quàm fidem de promissionibus diuinis eximere, ex præsenti calamitate conuincere cupiens, Deum ipsorum curam abiecisse, atque ideo licere malis artibus, scilicet Fraudibus, Periurio, Imposturis, Deceptione, & Usuris rem familiarem augere, necessitati succurrere: hoc est enim quod ait: Dic ut lapides isti panes fiant. Sed Christum imitentur fideles, fidant diuinæ promissioni, inseruiant uocationi, quærant regnum Dei & iustitiam eius, &c. Denique resistant diabolo, sic fiet vt fugiat ab eis.

SECVNDO, De adipiscenda dignitate & potentia ī hoc seculo, hoc est, Ambitione, Cupiditate regnandi, & Pollicitatione regnorum. sic enim fieri solet in nobis, malo scilicet illo genio, seu dæmone potius impellente, vt dum sufficiens est paratus uictus qui necessitati sufficiat, mox irrepat dominandi affectus, qui nos subinde ita transuersos rapit, vt Honestatis, Pietatis, Religionis, Fidei, & Amicitiæ nullam prorsus rationē habeamus: quo fit plerunque vt amicus amico tēdat insidias, imò, filius, socer, filia, affinis, subinde, patri, genero, matri, affini, exitium paret. Cuius rei exempla tam ex sacris quàm prophanis literis peti possunt:

sunt: Absalon cupiditate regnandi ductus, patri insidias struxit. 2. Reg. 15. 16. 17. Esau fratri Iacob. Gene. 27. Sed obseruandū est quibus conditionibus huic malæ nostræ cupiditati sese satisfacere polliceatur. Si nimirum ante ipsum cadentes, adorauerimus: inuidet enim Deo suam Potentiam, Maiestatem, & Gloriam, eamq́; sibi uendicare conatur, falso dictitans sese mundi principem, ac Monarcham. Sicut autem Deum adorat, qui ipsi legitimum honorem, & timorem impendit, scilicet toto corde, tota mente, & tota anima diligens, ipsius promissionibus fidens, mandatis obediens, minas metuens: ita et huic dæmonis præcepto obtemperat, qui legitima uocatione relicta, ut existimationem sui apud alios obtineat, Hæreses docet. Schismata suscitat. Dei præcepta contemnit. Seculi mores amplectitur. Denique animam ipsam uenalem circunferunt, quos hæc inuaserit ambitio: ex hac misera reipub. Christianæ facies nascitur, qua sursum ac deorsum tam in Repub. quàm in religione uoluuntur omnia. Siquidem exemplo Christi, nemo est qui gladio spiritus Sathanæ resistat, uerbo Dei obtemperando.

TERTIO, De cōparāda humana gloria, sed rationib. illicitis, ac uerbo Dei prohibitis. Verum huic resistāt oportet fideles, sumentes armaturam Dei, ut possint in omnibus perfecti stare: nempe ut monet Apostolus Ephes. 5. induere loricam iustitiæ calceare pedes in præparationem Euangelij pacis. sumere scutum fidei. galeam salutis assumere. gladium spiritus arripere,

ripere. quod est uerbũ Dei. Est enim nobis colluctatio non aduersus carnem & sanguinem tantum, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum. Neque ulla ratione nobis cessandũ est, nunquã enim cessat hostis, sed ut leo rugiens circumit quærens quẽ deuoret. 1. Pet. 5. Si enim bis uictus ne sic quidem abstinuerit à Christo, multo minus à nobis desistet. Vt autem prætextu verbi Dei Christo præcipitium persuadere conatur, ita etiamnum pijs omnibus spe conciliandæ existimationis suggerit falsarum opinionum paradoxa, abusuum defensionem, fomenta seditionum. hi enim reuera sese de pinnaculo templi deijciunt, qui captiui à diaboli laqueis, ueritatem Dei in mendacio detinent, & Fidei Sacramentorum, & Scripturarum integritatem peruertunt, Ecclesiæ unitatem doctrinis uarijs & peregrinis scindunt: non tam uentris quàm existimationis causa, ut in fœlici hoc nostro seculo, dæmonis haud dubiè impulsu sese deiecerunt, quotquot sunt nouarum opinionum architecti: quales sunt fere primarij Lutherus, Suuynglius, Oecolampadius, Brentius, Caluinus, Beza, Viretus, Suuæckfeldius, Muncerus, Menno Frisius: qui propria perditione non contenti, sectas non metuunt introducere: atque, ut hic Satan, prætextu scripturarum, tanquam pellibus ouinis, eas fidelibus obtrudunt: pari prorsus ratione, ea nimirum ex scripturis supprimentes, quæ causæ suæ officere posse perspiciunt. Atqui Christi exemplum imitentur fideles, ac clauum clauo pellant

ſcripturis perfidè citatis, uerum ſcripturarum intellectum opponant, quem uidelicet Eccleſia ſemper, ubique, ab omnibus defendit, hoc eſt, quem Chriſtiani orbis uniuerſitas, antiquitas, & conſenſio eſt tutata.] Sic enim fiet, ut non facilè erroribus seducantur.

FERIA SECVNDA DOMINICÆ primæ. Euangelium Matth. XXV.

CVM autem uenerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo: tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis: hœdos autem à ſiniſtris. Tunc dicet rex his qui à dextris
ſa. 58. b erunt, Venite benedicti patris mei, poſſidete
e. 18. b paratum vobis regnum à cõſtitutione mundi. eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & operuiſtis me: infirmus, & uiſitaſtis me: in carcere eram, & ueniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei iuſti, dicentes. Domine, quando te uidimus eſurientem, & pauimus, ſitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te uidimus hoſpitem, & colle-

gimus te: aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te uidimus infirmum, aut in carcere: & uenimus ad te? Et respondens rex, dicet illis: Amen dico uobis: quandiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet & his qui à sinistris erunt. Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere: & non uisitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsis, dicentes: Domine, quando te uidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere: & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico uobis: quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem, in vitam æternam.

Psal. 6. c. Sap. 7. d. Luc. 13. f.

Ioã. 5. e.

Docet Christus hoc Euangelio, fore diem quo cuncta quæ fiunt sub sole sit adducturus in iudicium: in quo potissimum tria obseruanda sunt.

PRIMO, *Maiestas iudicis quæ consideranda est uel secundum personæ dignitatem: est enim Filius Dei Filius hominis Patri æterno æqualis secundum Diuinitatem: minor secundum humanitatẽ. Cui pater omne iudicium dedit, ut omnis qui credit in ipso non pereat. Ioã. 5. Hic igitur tantus in die Sopho. 1. iræ, tribulationis, caliginis, quo tribulabitur fortis, quo nec aurũ nec argentũ poterit liberare homines aut iumenta, ad iudicium ueniet: sed ita ut ignis ante ipsum præcedat, ut inflammet in circuitu inimicos eius, cum principibus populi sui sedat in sede maiest. suæ. Tunc congregabuntur ante eum omnes gentes, & segregabit eas, uel secundum conditionis. est enim misericors & iustus. Nam talem eum experientur Pij leuantes capita sua, & dicentes, aduenisti redemptor noster. Impij, dicentes montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos. Luc. 23. Zac. 13. Hunc nemo poterit fallere criminum occultatione. corrumpere obltione munerum, ut iudices prophanos. Deut. 26. Exo. 23. Siquidem omnia nuda & aperta sunt*

oculis

oculis eius. Ipse dominus Deus potens et terribilis per sonam non accipiet, nec munera. Deut. 10. Dum enim ad iudicium sederit, libri aperientur, & mox aderunt Testes, Conscientia, Synderesis: & Accusatores, Dæmones, Angeli mali. quanquã non erunt necessarij: quia ut est Malach. 3. Ipse dominus accedens ad iudicium erit testis uelox Maleficis, Adulteris, Periuris.

SECVNDO, *Differentia iudicandorum, quam exprimit Christus bucolica quadam metaphora sumpta à bubulcis, dum ait agnos, quo nomine pios, qui uirtutibus insignes, non sua, sed quæ Christi sunt quæsierunt, intelligit. quos statuet à dextris, ut uel ex ipso loco immortalitatis gloriam intelligamus. Esa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, &c. quia nomine dextræ omnis fœlicitas significatur. hœdos, id est, impios, & damnandos ob fœdam scelerum sentinam, contemptum Dei, cupiditatem, neglectum bonorum operum. quos statuet à sinistris: quibus omnis miseria & infœlicitas, ut nomine tenebrarũ: iuxta illud. 1. Reg. 2. Impij in tenebris conticescent. Fiet autem ista locatio iudicandorum, angeli ministerio, idq́; in ictu oculi, nouissima tuba. Cuius efficacia fiet, ut omnes qui in monumentis sunt, audiunt uocem filij Dei, ita tamen ut resurgant Pij, qui Deo, eiusq́; uerbo firma fide adhæserunt, quæ per charitatem operatur ad gloriam. & Impij, qui abusi sunt Dei patientia, dicentes in corde suo: Non est Deus. Rom. 2. Psal. 14. ad pœnam. Adferunt autem*

hæc insignem consolationem bonis, ex considoratione immarcessibilis gloriæ Dei, et terrorem malis, ex consideratione æternæ damnationis. Ex ijs autem intelligimus non eundem esse interitum hominum & iumentorū, sed iustissimum illum iudicē daturum cuiq; secundum opera sua, sed ita ut præcedat generalis corporum resurrectio. De qua 1. Corint. 15. Daniel 12. Iob 14. Ezechiel 37.

TERTIO, Dispar sententia, secundum disparem iudicandorum conditionem: erit enim una Absolutionis, quæ plena misericordiæ. Rom. 6. Gratia autem Dei uita æterna, & Iustitiæ 2. ad Timot. 4. Bonum certamen certaui, &c. dū ijs qui à dextris erūt, dicet, Venite benedicti patris mei: nam Esuriui, Sitiui, Hospes fui, Infirmus, In carcere, Nudus, &c. & dedistis mihi manducare, dedistis mihi potum, collegistis me, uisitastis me, uenistis ad me, operuistis me. Quod enim uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Vide candide lector, non soli fidei, sed operibus uitam æternam tāquam mercedem reddi. malè ergo Iustum in omni opere bono peccare, & opera nostra non esse meritoria apud Deum docent hæretici: non enim uult Deus iniquitatem, nec peccatis mercedem decernit nisi supplicium, & ignis æmulationem quæ consumpturam est aduersarios. Quod autem hæc sententia sit Misericordiæ, & Iustitiæ. docet ex scripturis Aug. epist. 105. lib. de gratia & lib. arb. ca. 8. 9. et lib. 4. cōtra Iul. c. 3. Altera condemnationis, plena Aequitatis. nam quòd in inferno mali pereant,

non

non eſt diuini operis, ſed humani: æquitas enim, inquit Fulgentius, diuina hoc exigit, cui nulla placet iniquitas. & Terroris: quia ligatis manibus, & pedibus, proijcientur in tenebras exteriores, ubi erit Fletus, Stridor dentium, & Horror. Vbi denique uermis impiorum non morietur, & ignis non extinguetur. quia dolores erunt & acerrimi & perpetui, ubi pœnales ſenſus torquent animas, nec extorquent puniunt corpora damnata, nec finiunt. Proſper de uita contemplatiua ca. 12. Quomodo autem Dei iuſtitia poteſt pro peccatis momentaneis, & temporarijs reddere æterna ſupplicia, uide apud Auguſtinũ epiſt. 49. quæſt. 4. de Ciuitat. Dei. lib. 21. cap. 18. 29. in Enchir. cap. 112.

FERIA TERTIA HEBDOmadæ primæ. Euangelium Matthæi XXI.

ET cùm intraſſet Hieroſolymam, commota eſt uniuerſa ciuitas, dicens: Quis eſt hic? Populi autem dicebant: Hic eſt IESVS propheta Mar. 11. b
à Nazaret Galileæ. Et intrauit IESVS in tem- Luc. 19. g
plũ Dei, & eiiciebat omnes uendentes & ementes in templo, & menſas numulariorum, & cathedras uendentium columbas euertit, et dicit eis: Scriptum eſt: Domus mea, domus ora- Eſa.
tionis uocabitur: uos autem feciſtis illam ſpe-

Iuncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanauit eos. Videntes autem principes sacerdotum & scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio Dauid: indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? IESVS autem dixit eis: Vtiq; nunquam legistis,
Psal. 8.b. Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti
Mar. 11.b laudem? Et relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibiq; mansit.

Complectitur hoc Euangelium tria.

PRIMO, *Humilem & piam plebis Hierosolymitanæ de Christo confessionem quam extorserunt Christi sanctimonia, innocentia uitæ, uirtus miraculorum, & docendi auctoritas, quæ in ipso longe erant admirabiliora quàm in aliquo unquam fuerant prophetarum. Hæc tamen excæcati principes, pharisæi, sacerdotes, & scribæ, ita continebant ac deprimebant vt horum causa odium ipsi & inuidiam conciliarent. Atqui impossibile erat vt admiranda hæc Christi opera essent irrita ac à fructu uacua. Isa. 55. quare licet essent iuxta patris æterni uoluntatem abscondita à sapientibus & prudentibus, Matth. 11. Quales etiam nunc sunt qui suæ sapientiæ sic innituntur vt omnia rationibus humanis metiri uelint, nihil fidei*

conce-

concedentes. & qui secum & cum suis consiliarijs deliberant de uerbo Dei, de ritibus, de cæremonijs, de sacramentis quæ pro suo arbitrio figunt ac refigunt, sunt tamen reuelata paruulis, & humilibus, id est, nihil sublime de se sentientibus. sua peccata confitentibus, solum Deum sapientem, prudentem agnoscentibus. hi enim excæcatis huius mundi potentibus & carnalibus corde credunt, & ore confitentur. Rom. 10. per fidem, & confessionem Christum esse uerum Prophetam in mundum missum.

SECVNDO, *Seueram Christi iustitiam quam exercet in impios sacerdotes, & profanos Symoniacos templi Dei uiolatores, qui pietatis prætextu quæstui inseruiebant suo, qua nulla est perniciosior peccandi licentia. Itaque Zelo quodam accensus Christus hanc corrigit, dum uendentes, ementes, nummulariorum mensas, & cathedras uendentium columbas eiecit & subuertit, quo facto haud dubie significauit, quàm grauis eos maneat pœna qui cultus diuini prætextu cupiditatibus suis inseruiunt, & sacra prophanis miscēt, confidentes in uerbis mendacij, dicentes templum domini, templum domini. Hier. 7. Speciem quidem habentes pietatis, uirtutem autem eius abnegantes, quales sunt beneficiorum fœdissimi harpiæ, simoniacæ labis turpissimi ministri, patrimonij pauperum inuasores, & bonorum crucifixi decoctores. in hos enim grauiss. animaduertet Christus, & flagello, templo illo cœlesti illos expellet. Quia autem pœnes sacerdotalem dignitatem erat etiam & iudiciaria potestas,*

Deuter.

Deuter.17.Christus autem erat à patre missus sacerdos & iudex, ideo ipse iudicis partes exercuit, nec Herodi, aut Pilato, penes quos erat ciuilis magistratus auctoritas, hos templi prophanatores corrigendos dedit, significans prophani principis officium nõ esse, prætextu abusuum ecclesiasticorum, opes & thesauros ecclesiarum inuadere, in prophanos usus conuertere, quòd sine sacrilegio id fieri nequeat, etsi passim id uideamus: sibi autem illam uindictam seruauit, vt olim in Heli. 1. Reg. 2. et in Samuelis. 1. Reg. 8. filios grauiter animaduertit, quos tanta seueritate puniuit, vt nemo sine horrore ipsorum supplicium legat.

TERTIO, *Admirandam Christi in cæcos, claudos, & mutos, gratiam miraculorum*, qua eos qui laborabant ignorantia rerum diuinarum, & uarijs opinionibus claudicabant, curauit, & in scribas & pharisæos responsionem, qua ipsorum sycophantias & calũnias refutat auctoritate scripturæ, dicens: Domus mea domus orationis uocabitur. Vnde eius agnoscere licet misericordiam, quia eos qui se totos illi credunt, secundum corpus sanat, & animam iustificat, quando eos quos ab æterno a massa perditionis separandos elegit, misericorditer uocauit in admirabile lumen suum, iustificauit data peccatorum remissione, & glorificauit, vt essent ciues et domestici Dei. & vt in cœlesti Hierusalem iucundum illud Osanna perpetuo cum angelis Deo concinant: hoc enim adumbrasse arbitror carmen hoc epinicion, quod par-

uuli

uuli, simplices, & lactantes Christo Hierosolyma ingredienti concinebant. nec non iudicium, quo iustiss. facit, vt qui uident caeci fiant. Ioan. 9. id est, scribas & pharisaeos qui externa uitae sanctimonia, auctoritate iudiciaria, & propria iustitia freti Christum cõtempserunt, & suam uolentes statuere iustitiã, Christi iustitiae, uirtutum, & meritorum nõ sunt facti participes, sed propria ipsorum malitia obdurati, & excaecati suo merito sunt relicti, quia semper restiterunt spiritui sancto, vt merito ipsos caecos, & duces caecorum uocaret Christus.

FERIA QVARTA HEBDOmadæ primæ. Euangelium Matthæi XII.

TVNC responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis, dicentes: Magister, volumus à te signum videre. Qui respondens ait illis: Ge- Ionæ.2.a
neratio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cũ Ionæ. 3. b
generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hic. Regina Austri 3. Re. 10. a
surget

1.Pa.9.a ſurget in iudicio cum generatione iſta, & con
demnabit eam: quia uenit à finibus terræ audi
re ſapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Sa
lomon hic. Cùm autem immundus ſpiritus
exierit ab homine: ambulat per loca arida quæ
rens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Re-
uertar in domum meam unde exiui. Et ue-
niens, inuenit eam uacantem, ſcopis munda-
1.Pe.2.d tam, & ornatam. Tunc uadit, & aſſumit ſeptē
alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe: & intrantes
habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius
peiora prioribus. Sic erit & generationi huic
Luc.8.c peſſimæ. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce
Mar.3.d mater eius & fratres ſtabant foris, quærentes
loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater
tua & fratres tui foris ſtant, quærentes te allo
qui. At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: Quæ
eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et ex-
tendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: Ec-
ce mater mea, & fratres mei. Quicunque
enim fecerit uoluntatem patris mei qui in cœ
lis eſt: ipſe, meus frater, ſoror, & mater eſt.

Chriſtus hoc Euangelio agit quatuor.

PRIMO, *Docet iudicium carnis odio, inuidia, & ma leuolentia excæcatæ, non intelligere quæ ſunt ſpiritus Dei.*

Dei.1.Corinth.3. quo sit, ut neglecto Dei uerbo signis firmiore. 2.Pet.1. petant a Christo signa, & prodigia, dicētes: Magister, uolumus à te signum uidere, quod scilicet excedat facultatem naturæ creatæ. uerum quum hæc non peterent ad fidei, doctrinæ, & ueritatis confirmationem, quarum causa Deus Opt. Max. non in nouo tantum, sed & ueteri testamento solet hæc beneficia concedere Ecclesiæ: sicut dum lex promulgaretur audiebantur tonitrua, micabant fulgura, tubarum clangor perstrepebat, & mons fumigabat, quæ partim ob duritiam populi indicandam, partim ob legis conscientiam terrentis naturam significandam, à Deo fiebant: sic uoluit Christus Euāgelij prædicationem signis confirmari, donec ea satis altas egisset radices. Ideo Paulus docet ea non fidelibus dari, qui contra spem (ut de Abraham testatur Apost. Rom.4.) in spem credunt, qui contempta utilitate humanarum cogitationum, ad fidei altitudinē adsurgunt, & toti etiam in summa rerum desperatione constituti, ab ipso Deo dependent. sed in fidelibus, quorum inquinata mens est & conscientia ad Tit.1. quibus opertum est Euangelium Dei, quibus Deus huius seculi excæcauit mentes, ut non fulgeat eis lux Euangelij, 2.ad Corint.4. quemadmodum hi Pharisæi: quo fit, ut apertissimis signis magna peruicacia resistant, proprio iudicio excæcati.

SECVNDO, Proponit seueritatem Dei erga incredulos, qui ueritatem Dei in mendacio detinebant, dum ait: Signum non dabitur generationi huic prauæ,

quæ

quæ ſemper reſtitit ſpiritui ſancto. prophetas occidit. Matt.23. Dominum Ieſum occidit. 1. ad Theſſa. 2. & adulteræ, quia mutauit gloriam Dei in idolum, Hier. 2. fontẽ aquæ uiuæ dereliquit, coluit Baal, Aſtaroth, omnemq́ militiã cœli. 3. Reg. 12. Oſe. 7. Eze. 8. 23. Sed non potuit obliuiſci miſereri Chriſtus, ſiquidẽ miſſus erat ad oues quæ perierunt domus Iſrael: proinde ne quam excuſationem de peccato ſuo habere poſſent, Ioan. 15. ſignum promittit, ſcilicet Ionæ prophetæ: ſed quod uidentes non uiderent, & intelligentes non intelligerent, pollicetur autem ſignum propheticum, ut agnoſcerent quo cum ſibi negotium eſſet: ſcilicet cum Deo, qui poſſet occulta cordium, ac renes ipſos rimari. Hier. 17. abditiſſimas ipſorum cogitationes prodere, & Homine, qui poſſet irã patris æterni, à quo erat in mundum miſſus, ſua morte placare, ut meritò agnoſcere poſſent ipſum eſſe maiorem Iona propheta, qui morte ſua Chriſti typum tantum expreſſit, dum abſorptus à cete, terræ eſt reſtitutus, & prædicatione impios Niniuitas ad ueram pœnitentiam ſine ullis ſignis adduxit. & maiorem Solomone rege, qui pacifico imperio Chriſtum adumbrauit. ſapiẽtia illum expreſſit, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei reconditi. ad Colloſſ. 2. & prudentia ſermonis uidetur reginam Saba ad ueri Dei cognitionem adduxiſſe.

TERTIO, Commendat iuſtitiam diuini iudicij, quâ ſententiam damnationis pronunciat contra rebelles, & incredulos ſacerdotes, ſcribas, & phariſæos.

quorum

quorum tanta fuit contra Prophetas à Deo missos ad ueritatem annunciandam, Christum doctrinam suam cœlestem miraculis confirmantem, & Apostolos Euangelium & sacramentorum doctrinam sanguine suo statuētes rebellio, ut manifeste ueritati semper resisterent. Act. 7. Matth. 23. Proinde sententiā à Christo contra ipsos pronunciandam in die iudicij confirmabunt uiri Niniuitæ, homines scilicet barbari, infideles, & nulla lege instituti, qui comminatione futuri excidij audita ab homine obscuro, & nullis miraculis claro, mox tamen pœnitentiam egerunt: qua non tantum latam sententiam euaserunt, sed & peccatorum remissionem sunt consecuti. & Regina Austri, quæ Iosepho teste Aethiopiæ, & Aegypto imperauit, mulier imbellis, sexu fragilis, regijs adsueta delitijs: sola tamen audita fama Solomonis tantum laboris suscepit, ut ipsum audire admiraretur, et tantum non obstupesceret ad illius sapientiam. quum tamen impij principes, sacerdotes, scribæ, & pharisæi Christum uerum Dei filium, sese uerum esse Deū & Messiam promissum diuina uirtute testantem, spreuerint ac contempserint. Obseruent hæc uerbi Dei & sacramentorum contemptores. hos enim, nisi resipuerint, eadem manet sententia, quàm hic Christus impijs comminatur Iudæis.

QVARTO, Terribili quadam similitudine ostendit, quàm terribile eos maneat iudicium, qui post acceptam notitiam ueritatis, & pœnitentiam factam ab operibus mortuis, rursum in semetipsis crucifigunt filium

lium Dei. & tanquam canes reuertuntur ad uomitum. hos enim malus ille dæmon, tãquam leo rugiens, & ambulans per loca arida, & inaquosa, idest, homines nullo cœlestis gratiæ rore perfusos, bonis operibus, quæ præparauit Deus ut in ipsis ambulemus, destitutos, quum nulla uerarum uirtutum præsidia reperiat, circuit quærens ut deuoret, & adsumptis septem alijs spiritibus multò se nequioribus, huiusmodi homines uacuos, idest, ut loquitur Petrus. 2. cap. epistola 2. fontes siccos, nubes sine aqua, & arbores autumnales, id est, iuxta Augustinum lib. de fide & operibus cap. 25. qui fidẽ quam acceperunt bonis operibus non exornant, ingressus inhabitat: quo fit, ut fiãt nouissima illorum peiora prioribus. Nisi enim in sanctitate, et iustitia ambulemus omnibus diebus nostris post acceptam notitiam ueritatis, fiet ut ista Christi comminatio nobis contingat.

FERIA QVINTA HEBDOmadæ primæ. Euangelium Ioannis VIII.

DICEBAT ergo IESVS ad eos qui crediderunt ei, Iudæos. Si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis, & cognoscetis ueritatem, et ueritas liberabit uos. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus unquam: quomodo tu dicis, Liberi eritis?

tis? Reſpondit eis IESVS: Amen amen dico uo
bis, quia omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt Rom.6.d.
peccati. ſeruus autẽ nõ manet in domo in æter- 1.Pe.2.d.
num: filius manet in æternum. ſi ergo uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Scio quia filii Abrahæ eſtis, ſed quæritis me interficere, quia ſermo meus non capit in uobis. Ego quod uidi apud patrem, loquor: & uos quæ uidiſtis apud patrem ueſtrum, facitis. Reſponderunt, & dixerunt ei: Pater noſter Abraham eſt. Dicit eis IESVS: Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui ueritatem uobis locutus ſum, quam audiui à Deo. hoc Abrahã non fecit. Vos facitis opera patris ueſtri. Dixerunt itaq; ei. Nos ex fornicatione non ſumus nati. unum patrem habemus Deum. Dixit ergo eis IESVS, Si Deus pater ueſter eſſet, diligeretis utiq; me. ego enim ex Deo proceſsi & ueni: neq; enim à meipſo ueni, ſed ille me miſit. Quare loquelam meam non cognoſcitis? quia non poteſtis audire ſermonem meũ. Vos ex patre diabolo eſtis, 1.Ioã.3.d.
& deſideria patris ueſtri uultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non ſtetit: quia non eſt ueritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt & pater eius. Ego autem ſi ueritatem dico, non creditis mihi.

Continet hoc Euangelium tria, omnibus perquàm scitu necessaria.

PRIMO, Quomodo uera libertas parari possit, dum ait: si manseritis in sermone meo. manet autem in sermone & uerbo Dei, quod potest saluare animas nostras, Iac. 1. quisquis opere exercere studet quod audit, auditur autem hoc uerbum, auribus externis, quando solo tinnitu uerborum aures feriuntur sine ullo motu spiritus sancti, quod prorsus frustra & inutiliter fit. quia non auditores legis iusti sunt apud Deum. Rom. 2. Si enim quis auditor est uerbi et non factor, hic comparabitur uiro cõsideranti &c, Iac. 1. et auribus internis, quando occulta reuelatione spiritus sancti animi secreta panduntur, ut ueritas uerbi admittatur. Isa. 50. Mane erigit mihi aurem ut audiam eũ quasi magistrum. & Psal. 84 Audiam quid loquatur in me dominus. & Deut. 13. 27. 1. Reg. 12. Ioan. 6. Omnis qui audiuit à patre, & didicit. et hoc auditu cessat in homine cæcitas, & obduratio mentis. Psal. 94. Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Itaque hoc auditu amplissimã illam consequemur, quam hic Christus promittit, promissionem, scilicet ut simus uerè ipsius discipuli, qui non ex sola fide discernuntur, siquidem præter hanc, & alias notas dedit Christus, quibus possent à nobis dignosci ueri & falsi discipuli. ueri cognoscuntur fide, Si manseritis in sermone meo, id est, si uerè credideritis,

ritis, quia ego ſum. ſpe, quæ eos non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per S. ſanctum, ſed patienter expectans. charitate. In hoc cognoſcent omnes quod uerè diſcipuli mei ſitis ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Ioan. 13. Matth. 10. Qui amat patrem ſuum aut matrem ſuam pluſquàm me, non eſt me dignus. falſi uerò quia felici tempore credunt, aduerſo uero recedunt, qui denique uerbis fatentur ſe noſſe deum, factis negant. Lu. 8.

SECVNDO, *Quæ ſit Chriſtiana libertas, dum ait, ueritas liberabit uos, ſcilicet à peccato, quod inuidia diaboli intrauit in orbem terrarum, & ſua tyrannide omnes ita oppreſſit, ut nemo ſit mundus à ſorde, nõ infans quidem, cuius eſt unius diei uita ſuper terram. quod per unum hominem in hunc mundum intrauit, in quo omnes peccauerunt. Rom. 5. à quo ſola liberat indebita gratia conditoris, iuxta Auguſt. corruptione, ſcilicet merito peccati inflicta naturæ. graue enim iugũ ſuper filios Adam à die exitus de uentre matris eorum, &c. Eccleſiaſtici 40. quo fit ut corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimat terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Sap. 9. Hæc iuxta Auguſtinum lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 3. non peccati cauſa, ſed pœna: ex qua & cæteræ naſcuntur infirmitates quibus ſubijcitur natura noſtra. Ipſa enim creatura uanitati ſubiecta eſt, non uolens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe, donec liberetur à ſeruitute corruptionis. Rom. 8. & miſeria, quam omnes experimur dum ſentimus a-*

liam legem in membris nostris captiuantem nos in lege peccati; qua fit ut quod adiacet uelle bonum perficere non possimus. Adeo ut etiam sanctissimus exclamet Apost. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ro. 7. ac sibi ipsi respondens, uerã huius loci interpretationem adferens ait, gratia Dei per Iesum Christum dominũ nostrum. Errant ergo toto cœlo, qui putant Christũ hoc loco omnem libertatẽ fidelibus permisisse, ut magistratui Ecclesiastico, & politico, qui à Deo Ecclesiæ est institutus, obedientiam denegent. siquidem omnis potestas & Pontificia. Luc. 10. Qui uos audit, me audit, &c. Matth. 16. Si ecclesiam non audierit, sit tibi, &c. & Regia, Non sine causa rex gladium portat. Ro. 13. Item uis nõ timere potestatem &c. 1. Reg. 8. 1. Petri 2. Siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus, &c. à Deo est: & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem Dei ordinationi resistit, ipse sibi damnationem acquirit, Rom. 13. Promittit itaque Christus non libertatem quæ sit uelamen malitiæ. 1. Pet. 2. & carnis, qua scilicet proni in omne nefas ruamus. iuxta Paulum, Vos in libertatem uocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem carnis detis. Galat. 5. sed per charitatem spiritus seruite inuicẽ. pugnẽt enim δὺς διὰ πάσων inter se hæc duo (quæ imperiti Anabaptistæ non discernunt) uidelicet carnis, & spiritus libertas, illa libera à iustitia, peccato seruiens, filios iræ et damnationis constituit, & captiuos sub lege peccati. qui enim

facit

facit peccatum, seruus est peccati. huiusmodi liber uocatur iustitiæ, quia iustitia caret. & illa Libera à peccato seruit iustitiæ. Rom. 6. Liberati à peccato serui facti estis iustitiæ. filios iræ, efficit filios adoptionis, hæredes Dei, & cohæredes Christi, Rom. 8. Galat. 4.

TERTIO, Quæ sit miseria, quam peccati tyrannis adfert, quum enim Iudæi impudenti mendacio negassent sese unquam seruiuisse, quum toties uicti Aegyptiis, Babiloniis, Chaldæis seruiuissent, ut ex historiis facile est uidere, Christus docens se non de corporea illa seruitute loqui, quæ cõsistere cum libertate spiritus potest, ut ostendunt Ioseph, Daniel, aliiq; innumeri, ostendit generali isthoc axiomate omnem peccatorẽ esse seruum. siquidem illi peccatum dominatur, quod perhibet Apost. dicens: non ergo regnet peccatum in uestro mortali corpore ut obediatis concupiscentiis eius. dicitur autem facere peccatum, qui iuxta Iacobum à propria concupiscentia contra Dei legem illectus, & abstractus, dicto, facto, & uoluntate liberè illud agit, nulla scilicet impellente fatali necessitate: peccatum enim adeò est uoluntarium, ut si non sit uoluntarium, iam nõ sit peccatum, nec seruum constituat qui stipendium peccato debitum mereatur. Roman. 6. dispar autem est cõditio serui, & filii, quia seruus non manet in domo in æternum. timore tantũ agit, & spe mercedis, quum tantum habeat spiritum seruitutis in timore. sed filius manet in domo in æternum: quia accepit spiritum adoptionis filiorum Dei,

 rege-

regeneratus non semine corruptibili, sed incorruptibili per uerbum Dei. 1. Pet. 4. dedit enim eis filios Dei fieri iis qui credunt in nomine eius. Ioan. 1. Gal. 3. omnes autem filij Dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu. Concludit itaque Christus, gratiam redemptionis, qua à seruitute ac dura peccati tyrannide liberantur quotquot sunt occulta Dei sapientia præordinati ad uitam, non liberandos ui & energia legis. si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus esset: non operibus liberi arbitrij: quia & si per naturā iustitia, inquit Augustinus lib. de gratia & lib. arb. cap. 13. ergo Christus gratis mortuus esset. imaginaria est enim omnis libertas quæ aliundè quàm per Christum obtinetur. quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum. Rom. 8. restituens eam libertatem quam peccato amiseramus.

FERIA SEXTA HEBDOMADÆ primæ. Euangelium Ioannis V.

CAPVT V.

POST hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit IESVS Herosolymam. Est autem Hierosolymis, in probatica, piscina quæ cognomitur

natur Hebraicè Bethesda, quinq; porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum: expectantium aquæ motum. Angelus autem domini descendebat secundum tempus in piscinam: & mouebatur aqua. Et qui primus descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum uidisset IESVS iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei. Vis sanus fieri? Respondit ei languidus, Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. dum uenio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei IESVS. Surge, tolle grabatum tuum & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi, illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis. Qui me sanum fecit, ille mihi dixit. Tolle grabatum tuum & ambula. Interrogauerunt ergo eum, quis est ille homo qui dixit tibi. Tolle grabatũ tuum & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. IESVS enim declinauit à turba constituta in loco. Postea inuenit eum IESVS in templo, & dixit illi: ecce sanus

factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo, & nunciauit Iudæis quia IESVS esset qui fecit eum sanum.

Complectitur hoc Euangelium quatuor.

PRIMO, *Significat fore ut breui festa Iudæorum, ut pote quæ typica tantum erant, abrogentur: Fuerunt autem Iudaica festa præcipua Paschæ. Exod. 12. Pẽtecostes. Exod. 23. Leuit. 23. & Schenophegiæ. Leui. 23. Hæc Christus, etsi subiectus legi non esset, quia tamen non uenit soluere legem, aut prophetas, sed adimplere. Matth. 5. aliorum more excoluit: sed ita, ut significaret fore propediem illa abroganda: Siquidem Iudæi illa non ex intentione legislatoris colebant, quos grauiter Isaias cap. 1. 7. Hieremias. cap. 6. Amos cap. 5. & Oseas cap. 2. perstringunt significantes ipsorum uitio fieri, ut nauseam Deo pariant ipsorum festa, Christus autem ut festorum ueram rationem indicaret, ipsis interesse uoluit. Ascendit autẽ ad festum Pentecostes, in memoriam datæ legis institutũ, ut hoc insigni aliquo miraculo faceret perspicuum. Ascendit autem uariys de causis. 1 ut legi satisfaceret. 2 ut gloriã patris promoueret. Ioã. 8. 3 ut miraculis hominum infirmitatem iuuaret. Ioan. 9. Me oportet operari donec dies est. quum autem esset Hierosolymis*

rosolymis probatica piscina, extis sacrificiorum lauandis accommoda: quàm etiam annuè insigni aliquo miraculo Deus ornare solebat, angeli ministerio, qui Christum referret, hic quum iaceret magna multitudo languentium, cæcorum, claudorũ, & aridorum exspectantium aquæ motum, quem Angelus diuina uirtute semel annuè faciebat: neque enim aliũde quàm è cœlo allato auxilio humanæ naturæ miseria sanari poterat, quia omnes peccauerant. Ro. 3. Psal. 52. 13. donec aduenit Christus, magni consilij Angelus, qui animorum & coporum, morbos, cæcitatem, paralisim, & languores nostros auferret in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ uiuamus. 1. Petri. 2.

SECVNDO, Insinuat in eo quem 38. annos decubuisse describit, humanæ naturæ miseriam & paralysim: quæ dum uellet sine Christo uel per legem, quæ propter transgressionem posita erat, & iram operabatur. 2. Gal. 3. uel per naturam, quæ tota erat ad malum propensa. Genes. 6. Hier. 17. vt ne bonum cogitare posset, sanari nec posset: si enim ex illis uera contingeret salus, gratis Christus mortuus esset, quare iacentes in nosocomio non sanabantur nisi accessu Angeli, id est, accedente Christo, qui acrimonia uerbi omnium animos peccatorũ ægritudine corruptos & oppressos sanaret. uenit enim non uocare iustos, sed peccatores. Matt. 9. ad pœnitentiam, quæ uera est post naufragium tabula. hæc merito Christi salutem stabilem operatur, remissionem peccatorum obtinet,

&

& ex filijs iræ filios regni facit: hanc enim non tantū apertis uerbis cōmendauit Christus Luc. 13. & alijs locis innumeris, uerum factis quoque expressit, dum ægris sanitatē, & mortuis uitā restituit: quod enim externis illis miraculis agebatur, id in animis peccatorum, occulta spiritus sancti operatione fieri mōstrauit. ut autem in hac probatica piscina Angelorum ministerio in usum piorum edebantur miracula, signa, & prodigia ad mosaicæ doctrinæ confirmationem: ita in noua lege ad ueritatis euangelicæ probationem eorundem Angelorum ministerio fiunt miracula ad memorias martyrum, ut docet Augustinus lib. 9. confess. cap. 7. epist. 137. lib. 20. contra Faustum cap. 21.

TERTIO, Singularem Christi misericordiam qua eū qui 38. annis decubuerat, misericorditer aspiceret, cæteris neglectis. Rom. 11. quia scilicet uoluit à massa perditionis separare. Exegit autem ab ipso prius propriæ infirmitatis, miseriæ, & paupertatis confessionem dum ait: uis sanus fieri. Est enim Christi gratia qua uocat auersos, iustificat peccatores, glorificat mortales, & beneficio quo præuenit, adiuuat, sustentat, dimicantes. indignus, qui non ex animo miseriā suam agnoscit. non est enim aliud ægritudinis nostræ remedium, quàm uera agnitio, & humilis confessio peccati, qua teste conscientia agnoscimus nos esse iræ filios, damnationis reos, indignos misericordia Dei, non tamen desperantes, sed ex fide propter mediatorem, confugientes ad thronum gratiæ per ueram cōtritionem,

tritionem, & peccatum sacramentali confessione à Christo instituta Ecclesiæ ministris confitemur. tunc demum sacramenti uirtute quod à Christi uerbo uim habet, sanamur: & potentiam qua eum solo uerbo sanaret, iubendo ut grabatum tolleret, & sanus abiret. Est nanque ea uerbi Dei uis, & efficacia, ut assuetos lecto deliciarum, scilicet libidinis, & uoluptatum illecebris, ceu quadam paralysi dissolutos, & animi robore destitutos, mox erigat ad subeundos graues, et acerbos ueræ pœnitentiæ labores, ut orationibus Deũ sollicitent, lachrymis per singulos dies stratum rigẽt, & ieiunijs corpus castigent Hoc enim est uerè grabatum tollere, abhorret nanque ab huiusmodi operibus caro. siquidem prauis ipsius operibus hæc repugnant. Neque uerò hæc quæ patres uocant satisfactionis opera, quicquã Christi merito aut satisfactioni derogant, ut magis ipsum commendent, siquidem illius spiritu in nobis diffuso per charitatem operante à nobis aguntur.

QVARTO, Perfidam hypocritarum in Christum calumniam, qui enim conspecto tanto miraculo debuerant in Dei laudem erumpere, hi propria malitia, et inuidia excæcati, Christo & languido sanato nituntur insidias, & odium conciliare dum clamant, Nõ est hic homo à Deo qui sabbato nõ custodit. Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum, in quibus iudicium rationis, & carnis agnoscere licet, quæ dum uera fide & pietate, quæ secundum Deum est destituitur, in præceps cæca ruit, nec Dei poten-

tiam

tiam aut misericordiam intelligit, sed ueram pœnitentiam ut hypocrisim damnat, scilicet qui se sanatum à Deo agnoscit, hic nec pudore cedit, nec clamosis rabulis terretur, sed fortiter prædicat Dei potentiam, & agnoscit beneficium remissionis peccatorũ.

SABBATO HEBDOMADAE primæ. Euangelium Matth. XVII.

Mar. 9. a
Luc. 9. c

ET post dies sex, assumpsit IESVS Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol: uestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. & ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eis loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad IESVM: Domine, bonum est nos hic esse. si uis faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrabit eos. Et ecce vox de nube, di-
2. Pe. 1. d
cens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit IESVS, & tetigit eos: dixitq; eis, Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem uiderunt, nisi so-

lum

lum IESVM. Et descendentibus illis de mon Mar.9.b
te, præcepit illis IESVS, dicens: Nemini dixe
ritis uisionem, donec filius hominis à mortuis
resurgat.

Quia Christus suis gustum regni cœlestis ante mortem se exhibiturum fuerat pollicitus, ut dictis fidem faciat, atque adeò fidelibus omnibus certam spem futuræ immortalitatis suggereret, specimen quoddam latentis in se diuinitatis in ista transfiguratione voluit exhibere. Docet itaq; Christus hoc Euangelio quatuor.

PRIMO, *Qui digni sint ex singulari ipsius misericordia, vt in montem domini conscendant, vt non per speculum in ænigmate, sed reuelata facie gloriam domni contemplentur. scilicet Petrus, Iacobus, & Ioannes, siquidem hi (vt relicto cortice literæ, ad sublimiora mysteria adsurgamus) eos nobis adumbrant, quos propheta Regius Psal. 14. habitaturos in*

in monte sancto pollicetur, dum interrogationi Deo propositæ sibi ipsi respondet ex spiritus sancti reuelatione; Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? id est, quis superatis huius mundi illecebris, periculis, malis denique omnibus uitæ præsentis, dignus erit, qui à te deposita hac domo manu facta, admittatur in cœlestem illam tuam gloriam, quam oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit? Isa. 6. aut quis requiescet in monte sancto tuo? Cui quæstioni respondet eum ingressurum, 1 qui ingreditur sine macula, 2 qui operatur iustitiam, 3 qui loquitur ueritatē in corde suo, 4 nec agit dolum in lingua sua, 5 non facit proximo suo malum, 6 qui iurat proximo suo, & non decipit, 7 qui pecuniā suam non dedit ad usuram, & 8. qui munera super innocētem non accipit. pauca hæc capita qui pro conditione uitæ præsentis seruarit, is demū dignus, qui Christi gloriam cernat: quam suo sanguine nobis præparauit. Ipse enim abijt parare nobis locum. Ioan. 14. ac montem illum Thabor (quem Egesippus ait esse altitudinis stadiorum 30. ac miræ rotunditatis ut non immerito regno cælesti comparari queat) cœlestem scilicet Hierusalem conscendat, sed cum Christo. Siquidem alijs non contigit huius tanti mysterij suauitatem aspicere quàm quos Christus qui factus est nobis à Deo patre sapientia, iustitia, sanctificatio, redēptio, uia, ueritas, & uita in montem duxit, id est, à terrenis hisce amore cœlestium accendit.

SECVNDO, Hac transfiguratione se uoluisse à cordibus

scipulorum

discipulorum auferre scandalū crucis, quod dissuadere Petrus conabatur. Matth. 16. & uoluntariæ passionis contemptum cum uiderent faciem: & uestimenta eius splendere sicut sol, & alba facta sicut nix: quibus ecclesiæ fidem & spem confirmaret, ut scilicet ipsa quæ est corpus eius, ad Ephes. 1. qua esset commutatione donanda, intelligeret. Siquidem in beata illa gloria, iusti sicut sol. Matth. 13. Stellæ in perpetuas æternitates. Dan. 12. & Scintillæ in arudineto. Sap. 3. fulgebunt: quum deus absterget ab oculis eorum omnem lachrymam, ut Apoc. 21. Isa. 25. 2. Corinth. 5. Tum mors, luctus, clamor & dolor amplius non erit, quia præcipitabit dominus mortem in sempiternum, auferet lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi de uniuersa terra. Voluit autem Christus hāc gloriam non in alieno, sed proprio corpore exhibere, ut hac imagine, eorum insaniam destrueret, qui putant omnia pecudum instar morte deleri: aut nihil post hanc uitam hominis superesse. Atque etiam eorum, qui licet animæ resurrectionem cōcedant, negant tamen corporum futuram, quod humanis rationibus inuestigare nequeant, quomodo, corporea hæc moles toties mutata, in pristinam sit reditura formam. quem errorem confutat Paul. 1. Corint. 15. Iob. 14. alijsq́ue innumeris scripturæ locis.

TERTIO, Hoc admirando spectaculo, cui Moysen mortuum, & Eliam etiam num superstitem adesse uoluit, ut se mortis ac uitæ dominum demonstraret, atque

atque illum, ut legis auctorem, nonne Moyses dedit uobis legem. Ioan. 7. lex per Moysen data est. Ioannis 1. cuius tamen à Iudæis ut transgressor accusabatur. hunc, ut legis Zelatorem, quo testimonium à lege & prophetis haberet, sese esse maiorem ijs, quum uulgi iudicio, tantum prophetarum quispiam esse putaretur. Mat. 16. atque adeo suam doctrinam non esse nouitiam, sed ab ijs olim multis ante seculis confirmatam, patet locus dicendi de ueritate fidei catholicæ, quam hactenus ecclesia à Christo usque defendit contra omnes aduersarios potestates. Tum etiam patris æterni præsentia, & uoce, qua de filio suo æterno Iesu Christo contestatur, non sub caliginosa, densa, uel fumigante nube, qua seueritas legis exprimebatur. Exod. 19. sed lucida, candida, & amena, quia nouus hic nomothetes non erat allaturus spiritum seruitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei, non legem terrentem, sed spiritum uiuificantem. præcipit enim audiri filium suum prompta scilicet obediendi omnibus mandatis eius uoluntate. quasi dicat, ille meus filius, non adoptiuus, sed proprius: ille, per quem omnia facta sunt: ille, sine quo factum est nihil. In hoc enim mihi complaceo. per illum mihi quotquot credent in nomine eius, fide per charitatem operante, mihi placebunt. Hunc audite: quia ille ueritas est, & uita: ille uirtus mea, & sapientia mea. Ipsum audite, qui sanguine suo mundum redimit, diabolum ligat, uasa eius capit, qui peccati chyrographum, et præuaricationis eius pacta dirupit.

dirupit. Ipsum audite, qui uiam aperit in cœlum per gradus crucis. quid trepidatis redimi, quid paue tis saucij liberari? Leo Papa.

QVARTO, Hominem carnalem, cuius typum hic Petrus expressit, non posse intelligere ea quæ sunt spiritus Dei, nec altius adsurgere quàm humanæ rationis acumine adsequi queat. 1. Corint. 2. proinde attonitus tantæ gloriæ aspectu, & ignarus quid dicat, petit tria fieri, scilicet Christo, Moisi, & Eliæ, tabernacula, quia filium Dei uiui hunc fuerat confessus, quasi illius confessionis etiamnum memor illum cæteris proponit, ut legis auctorem hunc uenerabatur, proinde dignum qui Christo adesset, & hunc nouerat Zelo legis impijs sese regibus etiam cum capitis periculo opposuisse, ac dignum iudicabat qui Christo in gloria coniungeretur. Porrò quum Petrus ab euangelistis perstringatur, ignarus quid diceret: multos tamen uideas hanc personam magna quadam animi tranquillitate ac conscientiæ securitate & exprimere, ac imitari, uel uotis ac precibus, uel factis & gestibus stultis, scilicet ac temerarijs, non tantum sæpe contra conscientiam, sed contra etiam uoluntatem Dei, atque eius uerbum.

DOMINICA SECVNDA Quadragesimæ. Euangelium Matthæi XV.

r.7.c IN illo tempore egressus inde IESVS, secessit in partes Tyri & Sidônis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamauit, dicẽs ei: Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio uexatur. Qui nõ respondit ei uerbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. At illa uenit, & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me. Qui respondens ait: Nõ est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens IESVS, ait illi: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

Admirandum fidei, patientiæ, & charitatis exemplum complectitur hoc Euangelium, cuius primaria argumenta ſunt tria.

PRIMO, *Mulieris Syrophenissæ orationẽ complectitur, quæ ſingularem ipſius fidem, pietatem, & inuocationem inſinuat. ſiquidem quod Chriſtum inuocat, ut filium Dauidis, ut ſibi miſereatur, fidei eſt qua credidit Chriſtum Meſſiam eſſe. non ſolum filium Dauidis, ſed uerum quoque Deum, qui & uellet & poſſet afflictis ſuccurrere, longè rectius de Chriſto edocta, quàm noſtri ſint Anabaptiſtæ, Suuencſeldiani, Seruetiani, & Enthouſiaſtæ, qui ipſius uel humanitatem, uel diuinitatem negant, non ſecus quàm olim Apollinaniſtæ, Euthichiani, Manichæi, et Mahometiſtæ. quorum omnium impietatem una hac breui periodo perſtringit hæc mulier à ſpiritu ſancto edocta, qui pignus & arrabo eſt hæreditatis noſtræ, Interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Rom. 8. & docet omnem ſcientiam. ſiquidem ut oremus ſicut oportet neſcimus, qui datur nobis ſpiritus ille precum, is eſt qui afflictam, & conſideratione peccatorum cõſternatam conſcientiam erigit in ſpem diuinæ miſericordiæ, atque (ut hanc mulierem) ad Chriſtum Dei uirtutem impellet, quàm dirigunt fides, ſpes, & charitas concepta ex auditu uerbi, conſideratione miſe-*

 ricordiæ,

ricordiæ, & singulari Dei erga nos amore. Illud tamen hic obseruare pios oportet, Deum subinde sese quasi alium exhibere quàm sit. cum enim natura clementissimus sit & pijssimus, ostentat tamen quandoque se paulò seueriorem, & quasi suorum preces negligentem: quod non alia ratione facit, quàm vt magis magisq́ excitet, & exerceat electorum suorum fidem, & alijs etiam conspiciendam proponat.

SECVNDO, Proponit mulieris in orando pro filia à dæmonio uexata constantiam: non enim mox animū deijcit, etiam si non statim exaudiatur, sed fortiter in ipsa perseuerat inuocatione, exemplo uiduæ, quia vt est Luc. 18. orationis perseuerantia quod cupiebat consequebatur à iudice: accusat Christi seueritatem, qui ipsius orationem, lachrymas, fidem, humilitatē, qua sese etiam ad geniculationem usque deiecit, neglexit: & detestatur conceptam de Christo opinionē, deceptam sese existimans, quod duriorem illum experiretur quàm existimarit: vt meritò magnā illius fidē & patientiā admirari liceat, quæ contra spem, in spem tamen (vt de Abraham testatur Apost. Ro. 4.) credidit, nec quasi propriæ orationi diffideret, Apostolorum iuuatur suffragijs. Sanctorum enim preces non diffidentibus aut desperantibus, sed credentibus & sperantibus patrocinantur. neque propterea irritas esse diuorum preces existimabimus, quòd eas hoc loco neglexerit: siquidem alijs locis innumeris eas scripturæ commēdant. Nam Abrahæ preces pro Abimelech suscepit Deus. Gen. 20. Paulus

lus sanctorum preces sibi prodesse posse credẽs; eas in omnibus penè epistolis petit, et orant fidelis pro Apostolo Petro captiuo, & exaudiuntur. Actorũ cap. 12. Malè ergo hinc negatiuè argumentantur, qui sanctorum inuocationem damnant. neq; enim ideo non audiuit Christus Apostolos, quasi indignæ fuissent ipsorum preces, sed ut magis mulieris fidem exerceret, ut constantiam omnibus faceret perspicuam, ut denique doceret si quando aliorum preces ambimus, nos proprias non debere aut omittere, aut negligere: siquidem tunc demum illæ prosunt, quæ ab alijs funduntur preces, quum ipsi & oramus, & uitam emendamus. quod igitur ait Christus non decere, ut panis filijs negetur, & canibus detur, significare uoluit gratiam noui testamenti, cognitionem nimirum euangelij, aliaq; eius beneficia, Iudæis primum præparata. Act. 13. uobis oportebat loqui uerbum Dei, etc. non autem gentibus; qui canum mores, infidelitate et scelerum licentia imitabantur. quo dicto uehementer pupugit mulieris animum, & quæ relicta uidebatur infidelitas expurgabatur. est enim sermo Dei uiuus & efficax, &c. Hebr. 4.

TERTIO, Fidei et constantiæ præmium, quod est reconciliatio cum Deo, quæ ex gentili facit Israelitam, et ex catella filiam Dei, hoc est, ut loquitur Apostol. hæredem Dei, & cohæredem Christi. Ro. 8. efficit enim hoc fides, quæ Augustino teste prima datur, per quam cætera impetrantur. Tanta autem fuit huius tum fides, tum humilitas, ut à Christo canis

appellata, non solum non excanduerit, sed sese etiam magis deiecerit. est autẽ hic primus ad salutem gradus, agnoscere propriæ naturæ miseriam, infirmitatem, & malitiam, denique indignam omnibus Christi beneficijs, adeò ut misericordiæ sit quicquid à Deo contigerit. est autem hæc Dei misericordia tanta, ut non solum filios pascat, sed etiam catellos, micis à mensa decidentibus, hoc est, peccatores, impios, & infideles alat beneficiis rerum præsentium. nec non premium, scilicet sanitatis in filia restitutio, quæ uirtute Christi liberabatur à Sathana, qui eam alligauerat, & matri pro ea deprecanti redditur. Quo haud dubiè significare uoluit Christus, ecclesiæ fidem & orationem, quæ pro peccatoribus & hostibus fidei in dies offertur, irritam esse non posse. atque adeò ipsos pœnitentes uirtute sacramentorum absolutos restitui unitati ecclesiæ, eiq; obedire debere. Nam remissio peccatorum, & iustificatio, quæ Christi beneficio contingit, non adfert libertatem illam carnalem, sed spiritus. qua fit, ut ecclesiam agnoscant, eam reuereantur, & eius præceptis obtemperent. Potest & ethica doctrina ex hoc euangelio peti, qua monentur parentes, ut non solum filiorum corporibus aut fortunis consulant, sed salutis potius & animæ rationem habeant: cùm contrà potius indies parentes agere uideamus. neque enim aliunde tanta morum corruptela erepsit, quàm ex nimia parentum indulgentia.

FERIA SECVNDA HEBDOmadæ ſecundæ. Euangelium Ioannis VIII.

EGO uado: & quæretis me, & in peccato ueſtro moriemini. Quò ego uado, uos non poteſtis uenire. Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet ſemetipſum, quia dicit, Quò ego uado, uos non poteſtis uenire? Et dicebat eis: Vos deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum, uos de mundo hoc eſtis: ego non ſum de hoc mundo. Dixi ergo uobis, quia moriemini in peccatis ueſtris. Si enim non credideritis, quia ego ſũ, moriemini in peccato ueſtro. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis IESVS. Principium, qui & loquor uobis. Multa habeo de uobis lo- Rom. 3. b. qui & iudicare. ſed qui me miſit, uerax eſt, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt, quia patrem eius dicebat Deum. Dixit ergo eis IESVS: Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, & à meipſo facio nihil. ſed ſicut docuit me pater hæc loquor. Et qui me miſit mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.

Complectitur hoc Euangelio Christus tria.

PRIMO, *Horrenda quandam comminatione terret impios, & infideles Iudæos, qui ipsum ut uerum Messiam recipere recusarunt. Est autem ista comminatio uaticinium futuræ internecionis totius populi Iudaici. Dicit ergo: Ego uado scilicet per crucem, mortem ignominiosam & passionem ad patrem, ut electis & prædestinatis præparem locum· non uobis, qui me persequimini, ac tum quæritis me, non amore inueniendi, & affectu credendi, sed odio persequendi. Est enim ea naturæ à Deo desertæ prauitas, ut ea omnia in sui perniciem uertat, quibus ad salutem uti debuerat: sic pharisæi, hypocritæ, & hæretici, qui sua iustitia, hypocrisi, & prauo scripturæ intellectu Deũ se quærere simulant, & Christi ueram cognitionem, eo minus inueniunt, quia non ex fide quærunt: ideo iusto Dei iudicio fit ipsis mensa eorum in laqueum, retributionem, & scandalum, irretiantur, conterantur, & cadant. Est enim Christus talibus lapis offensionis, & petra scandali, ijs qui non credunt uerbo in quo & positi sunt. 1. Pet. 2. Ii enim nunquam inueniunt Christum.*

SECVNDO, *Describit quale ipsos maneat merito infidelitatis, inuidiæ, & persecutionum Christo ab ipsis exhibitæ, supplicium, dicens: quia non creditis me esse filium Dei, Messiam in lege promissum, & Re*

demptorem mundi, moriemini in peccatis ueſtris, hoc eſt, æterna uos manet damnatio. Dicitur autem quis in ſcripturis mori peccato. Rom. 6. quod fit, dū quis uirtutis Christi ita particeps factus eſt, ut prorſus in illo ſit emortua natiua illa ex peccato cōtracta corruptio, ut amaros illos peccati fructus nō amplius edat, de quibus loquitur Apoſtolus Galat. 6. mori pro peccato, quod ſit, dum quis iuxta pronunciatam Geneſ. 3. ſententiam, naturæ debitum ſoluit, uel naturæ uiribus diſſolutis, uel illata extrinſecus morte uiolenta occumbit, quod bonis æquè ac malis commune eſt, licet diſpari ratione: nam malis eſt peccati meritum, bonis uero exercitium uirtutum. Chriſtus autem dum dicitur mortuus pro peccatis, intellige non à ſe commiſſis, ſed ut ea quæ nos commiſimus auferret, & mori in peccatis, quod fit, cum quis à maſſa perditionis iuſto Dei iudicio non ſeparatus, in odio et contemptu Dei finire permittitur hāc uitam, quod comminatur Chriſtus iis qui peccāt in ſpiritū ſanctū. Mat. 12. quod & irremiſſibile uocat: pro quo nō uult orari Ap[illegible] Ioēs. 1. epiſ. ca. 5. hoc nullis electis poteſt accidere, Ioan. 10. abſit enim, inquit Auguſt. ut ſine regenerationis aut reconciliationis ſacramento finire hanc uitam permittatur prædeſtinatus ad uitam. Eſt ergo merito pertimeſcenda hæc comminatio quam non ſolis Iudæis factam putabimus, ſed omnibus infidelibus, hæreticis, & impiis quibus æterna damnatio tanquam mali operis merces (ſtipendium enim peccati mors) reddetur, niſi præueniente Dei

gratia

gratia resipiscant à laqueis diaboli, qui in eis uoluntatem excæcauit, iudicium subuertit, & rationem sepeliuit, quasi miscuisset illis dominus spiritũ soporis & uertiginis, ut iuxta Isaiæ ca. 14. uideantur percussisse fœdus cum morte, & cum inferno fecisse pactum.

TERTIO, Quodnam sit carnis gratiæ Dei non illustratæ de uerbo Dei iudicium, scilicet non recipere ueritatis cognitionem, salutem ipso uerbo oblatam reijcere, & suum auctorem Deum contemnere. Ita enim impij hi tam seuera comminatione non mouentur, excæcati nimirum propria malitia: sed potius rident, dicentes, nunquid interficiet semetipsum, quia dicit: quo ego uado uos non potestis uenire? aut in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes? Ioan. 7. non intelligentes quid sit priuari Christo, uel ab ipso deseri: est enim excidere à gratia, priuari uia, ueritate, & uita, et morti æterna obnoxium fieri, ab ijs autem quisquis exciderit mox diaboli traditus potestati, ipsius uoluntati paret, perpetuo cum ipso periturus. Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Christus autem qua erat singulari clementia, etiam erga reprobos illos Iudæos, blando ac suaui responso ostendit hanc ipsorum perfidiã, iniquitatem, & malitiam, causam esse cur à Deo desererentur, dum ait: quo ego uado, uos non potestis uenire. quasi dicat: Ego per crucem, mortem, ac sepulturam pergo ad gloriam, uitam, & resurrectionem. Vos autem quia de hoc mundo estis, & quæ sunt mundi diligitis, scilicet

licet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam uitæ, eò non potestis uenire. horret enim caro crucem, ac proinde ad gloriam non potest accedere, nisi Christum imitetur.

FERIA III. HEBDOMADAE secundæ. Euangelium Matt. XXIII.

CAPVT XXIII.

TVNC IESVS locutus est ad turbas & ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint uobis, seruate & facite: secundum opera verò eorum, nolite facere. dicunt enim, & non faciunt. Alligāt autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo, nolunt ea mouere. Omnia uerò opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagôgis, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus rabbi. Vos autem nolite uocari rabbi. vnus est enim magister vester: omnes autem uos fratres estis. Et patrem nolite uocare uobis super terram. Vnus est enim pater

Luc. 11. g
Mar. 12. d
Luc. 11. f
& 20. g
Iac. 3. a

ter

ter uester qui in cœlis est. Nec uocemini magistri, quia magister uester vnus est CHRISTVS.
Luc. 14.c & 18.c Qui maior est uestrum, erit minister uester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.

Contra fanaticos illos agit Christus, qui omnem ecclesiasticam functionē sublatam uolunt: quiq; improbitate ac licētia uitæ hanc fœdè contaminant, æstimantes virtutem sacramentorum ex uirtute ministrorum dependere: Proinde Christus

PRIMO, *Dum ait, Super Cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi, & omnia quæcūque dixerint uobis seruate et facite, ostendit auctoritatem non tantum ciuilem, de qua Paulus Rom. 13. sed etiam ecclesiasticam, ex Dei esse ordinatione: non enim est potestas nisi à Deo, & fideles in libertatem uocatos, debere tamen ministris ecclesiæ parere, scilicet in ijs quæ ex uerbo Dei aut scripto, aut tradito docent: maximè si quando nihil aliud spectant, quàm quod Dei gloriam, & proximorum salutem promoueat. Est ergo*

Cathedra

Cathedra Mosi, legitima docendi, imperandi, corrigendi q; potestas, à Deo, qui Mosen primum, additis certis uocationis suæ signis, uocauit, collata: quam post in politia iudaica semper defendit, ut uidere licet in Iosue, Gedeon, Samuel, Summis sacerdotibus, Omnibus prophetis, pœnes quos & politica et ecclesiastica erat auctoritas, donec sublata iudiciaria potestate, regia est instituta: tunc enim pœnes sacerdotes tantũ & prophetas remansit auctoritas cathedræ, quibus sublatis, quod ante tempora Machabeorum accidisse Iosephus lib. 13. ca. 9. quando scribæ et pharisæi sunt rerum potiti, testatur, quorum uita etsi improba, & hypocrisi, omnino constaret, ipsorùm tamen doctrinam, quia à Mosi, & decalogi diuinitus traditi doctrina non dissideret, uoluit Christus à turbis, quæ non possunt altius in diuinarum rerum considerationẽ adsurgere, recipi: neque uult hoc suo præcepto propter improbos mores piam & sinceram doctrinam contemni. Cathedra autem Christi, publica potestas à Christo Apostolis, et omnibus episcopis collata in ecclesia, iuxta illud, Sicut misit me pater, & ego mitto uos: scilicet cum potestate prædicandi euangelium omni creaturæ, baptizandi omnes gentes, ligandi & soluendi, iuxta illud: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et sacrificandi corpus Christi, iuxta illua: Hoc facite in meam commemorationem. Luc. 22. Complectitur denique hæc potestas omnia quæcunque ad ecclesiæ, quã uocat Apostolus corpus Christi, integrum ac perfectum pertinent ministerium,

sterium, in ædificationem, non autem in destructionem: quæ quum non dependeat ex ministrorum, sed Dei instituētis uirtute, prohibet hoc loco Christus hāc contemni, ob ministrorum improbitatem aut lasciuiam. Si enim efficacia erant ministeria sacerdotum ueterum, quæ tamen typica et umbratica, multò magis certè euangelica ministeria à Christo instituta, nec non Cathedra Pestilentiæ, Sathanæ potestas, quæ sese in peruersa doctrina exerit in ecclesiæ Christi perniciem. Huic insident non ij tantum qui impiæ sunt uitæ, sed quotquot falsa doctrina Christo repugnant: quales sunt omnes aduersarij fidei, quorum hæresis ut cancer serpit. 2. ad Corint. 2.

SECVNDO, *Arguit impiam et superstitiosam pharisæorum religionem præposteram, qui ex rebus externis sanctimoniam metiebantur, dum onera grauia humanarum scilicet constitutionum, pugnātium cū uerbo Dei, quas damnat Christus. Matth. 15. 23. et importabilia, quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Act. 15. imponunt super humeros hominum, ut seueritate præceptorum tanquam seueri aristarchi, apud plebem haberentur: quum ipsi tamen digito non mouerent. quum ueri sit episcopi, quem posuit Christus regere ecclesiam, Act. 20. & pastoris, quem uult pascere gregē sibi commissum. 1. Pe. 15. & prædicatoris, cuius est prædicare oportunè, importunè, 2. Timoth. 4. officium uerbo, et opere præstare quod docent: turpe est enim distento uentre,*

ructante

ructante crapulam stomacho, crepare ieiunia: ac denique bacchanalia uiuere, quum Curios simules. Ea enim uerè est, quam hic Christus detestatur hypocrisis, duplex apud Deum iniquitas, quibus nihil esse mundum potest, quũ inquinata sit ipsorum mens & conscientia. Proinde quum in iudicio Dei consistere nequeant, utpote uera iustitia destituti, omnia sua faciunt ut uideantur ab hominibus. nam dilatant phylacteria, magnificant fimbrias, amant primos recubitus, primas cathedras in synagogis, salutationes in foro, & uocari ab hominibus Rabbi. Ea est enim carnis natura non illustratæ uerbo Dei, quod uoluit Deus esse lucernã pedibus nostris, ut splendore externarum cæremoniarũ quarum corporalis exercitatio ad modicum utilis est, quum pietas sit, quæ ad omnia ualeat, laudem uenetur humanam. damnãt aduersarij ex hoc Christi uerbo quicquid penè est piarum cæremoniarum in religione Christiana, aut monasticis exercitijs, quæ cæu compendia quædam consequendæ salutis, pia patrum ex uerbo Dei instituit religio, quasi tam essemus (ut illi loquuntur) stupidi ac bardi, ut salutem metiremur ex natura rerum externarum, scilicet uestitus, rasuræ, uitæ genere, alijsq; tyrocinijs uitæ monasticæ: quum nihil minus unquam docuerit uera Christi Ecclesia: quæ ex uiua fide per solum Christũ, agnoscit seruari se posse. Proinde nec locum nec habitum per sese quanquam sanctificare, quin potius tragicis huiusmodi monachis, qui præter externum uestitum nihil prorsus habent

bent ueræ religionis aut pietatis, ut meritò cum ijs quos hic perstringit Christus, conferri possint, hæc maioris fore damnationis causa adserit.

TERTIO, Vult Christus populum abducere ab admiratione pharisæorum, falsaq́ opinione quam de seipsis habebant, quanquam hoc (ut monet Augustinus) lib. de unitate Ecclesiæ cap. 5. nobis nõ sit imitãdũ, quia hæc Christus pharisæis exprobrat, non ut homo tantum, sed ut occultorum cognitor. Itaque Christus quum sanctimoniæ laruam huiusmodi abstulisset, suos ueram humilitatem, ac modestiam animi docet: dum prohibet Rabbi, uel patrem uocari, quod scilicet unus sit magister, & pater in cœlis, quo loco non putabimus Christum simpliciter horum cognominum usum prohibuisse. siquidem Paulus sese uocat doctorem gentium cum fide & ueritate, uult etiam seruos dominis suis morem gerere, filios patres reuereri, & discipulis licet eos à quibus instituuntur, præceptores et magistros uocare. Verum damnat Christus horum agnominum uehementes affectus in eis qui solius inanis gloriæ causa ista petũt: ut sic pluris apud plebem fiant, et ab ipsorum placitis populus dependeat. Est enim unus & uerus pater Deus, unus & uerus magister Christus, à cuius debemus pendere præceptis, ut nõ liceat nobis alterius cuiuspiã iurare in uerba magistri. Peccãt igitur, qui studio inanis gloriæ, istũ honorẽ expetunt, ut scilicet tanquam semidei ab hominibus salutentur, nec aliter quàm oracula, ipsorũ respõsa recipiantur. quod absit ut cogitet homo

Christianus, qui scripturarũ cognitionẽ habet. Si enim Paulus, qui uerus erat gẽtiũ doctor, ĩ fide ueritatis noluit dominari fidei suorũ. 2. Corinth. 1. nequaquam decet cum hac opinione titulos uenari, ut scilicet uelint ob promotionis dignitatem ita suspici, ne decedere ab ipsorũ doctrina liceat, dum audent scripturas non ex intentione Spiritus sancti, non ex communi sacrosanctæ Ecclesiæ consensu, sed proprio arbitrio interpretari, quod solius est Christi. Taliũ proh dolor hoc infelici nostro seculo quanta sit turba, satis suo malo uariæ experiuntur regiones: in quibus miseræ plebeculæ magna & incredibili tyrannide dominãtur sectarij: qui sua uariarũ hæreseωn paradoxa, nõ secus ac si diuina essent oracula, proponunt. Vult enim Christus omnes sibi esse subiectos, qui magisterij titulos accipiunt: non ut honoris tantum sint otiosi magistri, sed qui populum docent, ne quid contra ipsius uerbum doceant.

FERIA QVARTA HEBDOMADÆ secundæ. Euangelium Matt. XX.

ET ascendens IESVS Hierosolymã, assumpsit duodecim discipulos secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Luc. 18.c

 gen-

gentibus ad illudendum, & flagellandum, &
Mar.10.c crucifigendum, & tertia die resurget. Tunc
accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum
filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo.
Qui dixit ei: Quid uis? Ait illi, Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem IESVS, dixit: Nescitis quid petatis, Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meã & sinistram, non est meum dare uobis. sed quibus paratum est à patre meo. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. IESVS autem uocauit eos ad se, & ait:
Mar.10.c Scitis quia principes gentium dominantur eo
Luc.22.c rum: & qui maiores sunt, potestatem exerceant in eos. Non ita erit inter uos, sed quicunque uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister: & qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus: sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis.

Quia ſacra pœnitentia, ad quam nos quadrageſimæ tempus hortatur, efficax ſine merito paßionis Chriſti eſſe nequit, hoc Euangelio nobis proponit quatuor.

PRIMO, *Diſcipulis ſecreto enumerat paſſionis ſuæ futuræ omnia myſteria, ſcilicet quod tradetur principibus ſacerdotum & Scribis, condemnabitur morte, tradetur gentibus, illudetur, flagellabitur, crucifigetur, & tertia die reſurget. quibus uerbis Chriſtus, præterquam quod diuinitatis ſuæ potētiam, qua futura omnia præſcire ſeſe demonſtrabat, oſtendit arcanum Dei patris concilium, quo uoluit filij ſui humilitate antiqui hoſtis ſuperbiam elidere, ac de peccato damnare peccatum, ut iuſtitia legis impleretur in nobis, ſi tamen compatimur: nequit enim uera Chriſtiani hominis iuſtitia, quæ nō niſi merito paſſionis Chriſti contingit, in delitijs conſiſtere: quare ſi Chriſtum pati oportebat, & ita intrare in gloriam ſuam. Luc. 24. multo magis nos ob uarias cauſas. Prædicit autem Chriſtus omnia, ſcilicet*

1. *Ut oſtenderet ſeſe, iuxta prophetarum oracula, non inuitum, ſed prorſus uoluntarium paſſionem ſuſcepiſſe. Iſa. 53. Ioan. 10. oblatus eſt, quia ipſe uoluit. poteſtatem habeo ponendi animam meam etc. neque Iu-*

dæorum conuictum potentia, morti succubuisse, sed propria uoluntate, & amore nostri: propter nimiam enim charitatem qua dilexit nos, lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

2. Ut discipulorum animos contra futuram tempestatem præmuniret, periculum enim erat, ne fidei susceptæ semen prorsus suffocaretur, si præter opinionem eripi sibi uiderent eum, cui hactenus fidem habuissent: ex cuius doctrina uitam instituissent suã. si enim sæpius moniti, nondum tamen consistere poterant irruente malo, sed scandalizabantur, quid futurum, si omnino tale quid nihil expectantes, uidissent obtorto collo sibi Christum abripi, ac post uaria ludibria in crucem adigi?

3. Ut falsam quam de temporali regno iam imbiberãt opinionem ipsorum animis euelleret. siquidem credebant illa prophetarum uaticinia qualia sunt apud Isa.32.54. Psal.71. Isa.9. Daniel 7. alijsq́ locis innumeris, corporea prorsus fore: unde rogabãt, Domine si in tempore hoc constitues regnum Israel? Indicat enim aliud, scilicet spirituale regnum, se meditari, & iam parare per passionem.

4. Ut ostenderet se esse eum promissum in lege Messiã, in quem omnia collimarent dicta prophetarum: neque alium postea expectandum, sed in hunc esse spem omnem collocandam, atque ex præteritorum certitudine futura esse expectanda: atque ideo resurrectionis, in qua salutis fideliũ summa consistit, meminit.

SECVNDO, Docet quid plerunque sub prætextu Euãgelij

gelij uenari soleat humana ratio, scilicet honores, diuitias, & gloriam, siquidem sola resurrectionis mẽtione audita, mater filiarum Zebedæi, animalis adhuc, nec intelligens quæ Dei sunt: somniabat enim externum regnum, in quo sceptrum, gladius, & arma essent corporea, proinde à Christo, quem adorabat petit, ut sedeant duo filij, unus ad dextram, & alius ad sinistram, id est, vt hic in rerum administratione primas teneat, ac rempublicam gubernet, & hic, secundo loco, consanguinitatis iure, regni negotia curet, particeps non tam curarum quàm quæstus & lucri Christus autem docet, vt ex responso patet, suum regnum constare, fide, euangelio, oratione, spiritu sancto, & sacramentis, quibus resistit satanæ, morti, inferno, mundo, & carni. nõ est igitur quod in hoc regno quis fœlicitatem aut securitatem quærat, nam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Act. 14. & Christum ipsum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam. propterea respondet non matri, sed filijs, à quibus erat subornata. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? aut baptizari baptismo quo ego baptizabor? quasi dicat, non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. 2. ad Tim. 2. Luc. 18.

TERTIO, Præsumptionem horum fratrum, quæ plerunque ex ignorantia, & superbia nascitur, qua non agnita rei quam ambiunt difficultatem, tantum vt libidini suæ faciant satis, etiam quæ ultra uires sunt, aggredi non uerentur, & obliti pro-

priæ infirmitatis, tamen ut alijs præstantiores uideātur, suis uiribus maiora expetunt hos quisquis in concilium adhibuerit duces, præsumere quiduis non audebit tantum, sed etiam aggredi, licet cœlum terræ miscendum foret, tantū ualet sæua in homine ambitio, vt peccatum peccato addere non uereatur. Huius ambitionis tyrannide fit, vt ecclesiæ, imperia, regna, respublicæ, ciuitates, & familiæ non tantum dilabantur, sed intereant, euertantur, ac funditus pereant, dum regnis, & ecclesiis inhiant Principes ecclesiastici, & Principes profani, quando illorum sit uerbo & exemplo ecclesiam regere, non opes quærere, non arma uibrare., & horum sit imperia armis protegere, ab hostibus defendere, quo fit, vt dum sutor ultra crepidam iudicare pergit, magna subsequatur perturbatio, iustoq; Dei iudicio fit, vt dum extra uires nostras efferimur, turpiter subinde vt Cantherius in portu labamur. Sic Ozias dum præter suam dignitatem, sacerdotiū vsurpat, lepra percutitur, & Chore, Dathan, Abyron, uiui absorbentur à terra, Iamnes & Mambræ. monet hic igitur Christus, ne quis ultra uires suas sese efferat, vt Petrus, qui propria sui ipsius fiducia promisit se cum Christo non in carcerem tantum, sed & in mortem ire. Matth. 26. & Thomas, qui dixit ad reliquos discipulos: eamus & moriamur cū illo. sed quid accidit? Petrus ter negauit, & Thomas multis Christi reuelationibus post resurrectionem non credidit. Ioannis 2.

QVARTO, Patientiam Christi, quam ostendit erga

hos duos fratres, quibus amicissimè respondet dicens, calicem quidem meum bibetis, & baptismate quo ego baptizor, baptizabimini. sedere autem ad dexteram aut ad sinistram, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est à patre meo. quasi dicat, patiemini quidem propter nomen meum, & hæredes regni mei uos futuros spōdeo, tamen in me prius offendemini: sed quia tandem non ex naturæ uestræ uiribus, sed ex mea uirtute pro me patiemini, etiam regnū patris mei accipietis, & erga reliquos Apost. qui ægrè ferebant duorum fratrum ambitionē, quod alijs præferri uoluissent. Sed Christus eos conuocans, tribus efficacissimis argumentis eos conciliat, dicens, scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. non ita erit inter uos, sed quicunque uoluerit maior fieri, sit uester minister: & qui uoluerit inter uos primus esse, erit uester seruus. sicut filius hominis non uenit ministrare, sed ministrari, & dare animam suam redemptionem pro multis. Iis tribus argumentis, quorum 1. à similitudine regni prophani sumit. 2, ab humilitate quæ decet eos qui humilitatem euangelicam profitentur. 3, ab ipso Christo, qui cum diues esset, ita pro nobis egenus factus est, ut non haberet ubi caput reclinaret, ut scilicet ipsius inopia diuites efficeremur, Apostolos corripit: nam ex ignorantia, & carnali prudentia eorum prodibant cogitationes. Permisit autem dominus Apostolos huiusmodi uitijs subinde labi, ut post prædicatores Euangelij effecti, discerent

patienter ferre lapsos: iuxta illud: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis huiusmodi instruite. &c. Galat. 6. Christus igitur breui hac concione duorum fratrum ambitionem humilitatis commendatione deprimit. & decem discipulorum indignationem compescit. siquidem omnibus se in exemplum proponit, hac docet ipsos non debere putare suum regnum ijs artibus esse administrandũ, quibus mundanum administratur: quasi dicat, Pater meus duos in mundo ordines, ueluti duo luminaria magna constituit, mundanum, scilicet, & spiritualem, quem commisit administrandum Imperatori, Regibus, Ducibus, Principibus, Comitibus, Senioribus, Iudicibus, & Episcopis, Pastoribus, Doctoribus, Presbyteris, Concionatoribusq́;. Vt scilicet gladio externo bonos defendant, & malos puniant, illos uero ut uigilent pro animabus subditorum, Euangelium prædicent, sacramenta administrent, & excõmunicatione legitimè utãtur, quasi dicat, nõ decet uos gladio pugnare, sed uerbo diuino, ad Tit. 1. Vt potẽs sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Quare ex mea uita exẽplũ sumite. Ego dominus cœli & terræ omniũ uestrũ sum factus seruus, præbete ergo etiam uos erga omnes faciles, &c.

Solet hoc loco disputari ea quæstio, num scilicet iniquè agant parentes, qui suis liberis dignitates procurant, aut ecclesiasticas, aut ciuiles, de qua uide August. epist. 121. To. 2. Itẽ Prosperum lib. 3. de Vita contẽplatiua cap. 28.

FERIA QVINTA HEBDOMADÆ ſecundæ. Euangelium Lucæ XVI.

HOMO quidam erat diues, qui induebatur purpura & biſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis quæ cadebāt de mēſa diuitis, & nemo illi dabat, ſed et canes ueniebant, & lingebant ulcera eius. Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem diues, & ſepultus eſt in inferno. Eleuans autem oculos ſuos cum eſſet in tormentis, uidit Abraham à longe, & Lazarum in ſinu eius, & ipſe clamans dixit: Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguā meā, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: fili, recordare quia recepiſti bona in uita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu uerò cruciaris. Et in his omnibus, inter nos & uos cha os magnum firmatum eſt, ut hi qui uolunt hinc tranſire ad uos non poſſint, neque inde huc trāſmeare. Et ait:

Rogo

Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei. habeo enim quinque fratres, ut testetur illis ne ipsi ueniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Quia sic comparatum esse uidemus, ut ex præsentium rerum fælicitate, aut inopia æstimare soleant homines futuram conditionem, ut scilicet omnes diuites beatos, contrà omnes pauperes miseros & iræ filios reputent: ostendit hoc Euangelio Christus ex præsentibus rebus futuram cõditionem non esse metiendam. Proponit itaque quatuor.

PRIMO, *Duorum hominum & uitam, & mores, disparem,*

ſparem, nempe diuitis, in maxima rerum omnium fœlicitate & luxu, nã induebatur quotidie purpura, & bysso: is enim erat diuitis huius superbi affectus, vt ex fruitione opum, quasi supremam fœlicitatem metiretur, non habens aliquam in ueſtitu perſonæ, conditionis, dignitatisq́; rationem: ſiquidem ueſtium uſus à natura conceſſus neceſſitati et conditioni pro utilitate reipublicæ, non luxui ſeruire debet: alia enim Regi, Principi, Duci, ſenatori, priuato, plebeioq́; ueſtis conuenit, publicos enim decet dignitatem, quam ex Dei uocatione ſuſtinent, tueri: quæ ratio in priuatis hominibus locũ non habet. damnatur ergo in hoc diuite non rerum uſus, ſed turpis abuſus. ſiquidem non contentus ueſtium delitijs, addidit gulæ cupedias, quibus & effrenem, laſciuamq́; concupiſcentiam, ſatis per ſe in omnem libidinem irruentem prouocaret. nam epulabatur quotidie ſplendidè, et delicatè, quaſi dicat, cum diuitiarum comes ſit luxus, huic Deus uenter erat, hunc coluit iuxta Iſaiam. 5. cythara, lyra, tympano, tibia, & uino. & pauperis, in ſumma rerum ominum indigentia: nam iacebat ad ianuam diuitis ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis quæ caderent de menſa diuitis, & huius ulcera canes lingebant. Hæc ſi quis humana ſolum ratione perpendat, quis non iudicabit hunc (maxime ſi aliquam exiſtimet eſſe rerum inferiorum apud Deum prouidentiam) omnium fuiſſe infœliciſſimum, quando huic mala acciderint, quaſi iuxta Eccleſiaſten cap. 28. opera egerit impiorum.

neque

neque enim ſola paupertatis cruce acerbiſſima, ſed ægritudinis, miſeriæ quoque premebatur, adeò ut ſicut illo diuite nemo fœlicior, ita hoc nemo miſerior iudicari poterat. cæterum, quum non fortuitò, aut caſu, ſed ſingulari Dei Opt. Max. prouidentia & diuitibus, & pauperibus æque accidant. Nunquam cogitabit diues ſeſe ob diuitias fœlicẽ, aut Deo gratũ, & pauper ob paupertatem à Deo deſertũ. ſunt enim & diuitiæ & paupertas, res adiaphoræ. ſola uerò iuſtitia aut iniuſtitia eſt quæ hominem Deo conciliat, aut inimicum conſtituit, necnon & eorum mortem, quæ utrunque diſpar eſt ſubſecuta. Nam pauperi, terminus erat omnium miſeriarum, laborum, famis, & cruciatuum, ſed diuiti finem attulit uoluptatum, delitiarum, conuiuiorum. ſtatutum eſt enim hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium. Heb.9. quo ſcilicet decerneret præmia uitæ æternæ iuſtis, & pœnas gehennæ impiis. iuſtus enim eſt Deus, nec poteſt obliuiſci operis noſtri, & fidelis, ut non patiatur nos tentari ſupra id quod poſſumus: ideo Lazarum qui magna fortitudine & patientia durum, paupertatis telũ ſine inuidia ſuperauerat, laudabilis enim paupertas cum timore Dei. Prou.15. ut quia ſocius paſſionis fuerat, eſſet et conſolationis. Si enim compatimur, & congregabimus, & diuitem immitem, ſuperbum, omnibus uoluptatum illecebris diffluentem ſperantem in incerto diuitiarum, impium, ſecurum quaſi iuſtorum opera habentem, quum duceret in bonis dies ſuos, tenentem tympanum & cytharam, ex

hac

hac uita euocat, sed ita ut illum ab angelis deferri iuberet in sinum Abrahæ: sunt enim iustorum animæ in manu Dei, ut non tangat illos tormentum mortis. nam oculi domini super hunc metuentem Deum, ut erueret à morte animam eius, et aleret eum in fame. Custodit enim omnia ossa eorum, ut unum ex ijs non conteratur. Psal. 32. 33. Sap. 3. nam pretiosa in cõspectu domini mors sanctorum eius, Psal. 115. & hunc mortuum et sepultum, atque in inferno constitutum horrenda illa statim subsequerentur tormenta: iudicium enim sine misericordia illum decebat, qui nõ fecerat misericordiã cũ proximo suo. Iac. 2. Competit enim huic illud Eccles. 8. uidi impios sepultos: qui quum adhuc uiuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum.

SECVNDO, Hisce duobus exemplis quum docuisset rebus præsentibus sic esse utendum, ut in usum pauperum nobis eas esse collatas agnosceremus: ac proinde bonorum operum mercedem esse repositam uitam æternam, sicut ex ipsorum neglectu diuiti huic est reddita æterna damnatio, tanquam auaritiæ, luxuriæ, gulæ, & libidinis stipendium. sicut & Lazaro est, licet ex gratia, merito bonorum operum, scilicet patientiæ, longanimitatis, fidei, obedientiæ, tolerantiæ, passionumq; reddita uita æterna contra eorum sententiam, qui alicuius meriti esse negant opera bona. Cæterum ex ijs quæ amborum mortem sunt subsecuta, apertissimè animæ immortalitatem conuincit cõtra insanos eorum errores, qui putant omnia mor

te deleri. Proinde cum ut inquit Augustin. nihil faciat malam mortem, nisi quod sequitur mortem: nec mala mors sequi potest, ubi bona uita præcessit, sermone 24. de uerbis domini. Ergo splendida sepultura diuitis nihil superbo diuiti contulit ad salutem, siquidem curatio funeris, inquit August. conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt solatia uiuorum, quàm subsidia mortuorum. Si enim aliquid prodest impio sepultura pretiosa: oberit pio uilis aut nulla, Augusti. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 12. abiecta uero pauperis nihil inopi Lazaro obfuit, licet enim humana deessent exequiarum seu parentalium subsidia, aderant tamen angelica ministeria, quo uel solo argumento eorum respondere possumus errori, qui negligenda fideliũ corpora putant: sunt enim fidelium in Christo dormientium corpora sancta, propterea quod Spiritus sancti ea inhabitantis fuerint organa: ac proinde non negligenda, maximè uerò propter spem resurrectionis. Siquidem, ut idem inquit August. omnes illæ scripturarum auctoritates, quibus sepulturæ cura commendatur, non hoc admonent quod ullus insit sensus cadaueribus, sed ad Dei prouidẽtiam, cui talia placent etiam pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significãt, propter fidem resurrectionis adstruendam. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 12. Itẽ cap. 3. lib. de Cura pro mortuis.

TERTIO, *Dialogismo, quo seram huius diuitis pœnitentiam describit, petentis ab Abrahamo sibi misereri, Lazarum ad se mitti, aquæ gutta refrigerari, &*

flamma

flammæ cruciatu liberari. oſtendit Chriſtus illud eſſe uerißimum quod habet Eccleſiaſtici 14. *ante obitum operandam eſſe iuſtitiam, quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum: irrita enim ea omnis eſt pœnitentia, quæ mortem ſequitur ſecundam. derogat enim iuſtitiæ, & æquitati diuinæ, quiſquis damnatis ſuam prodeſſe poſſe pœnitentiam credit, aut pro ipſis Deo ſupplicat. Neque tamen propterea irritas eſſe quis opinetur eccleſiæ preces quas illa quotidie Deo pro defunctis, certa fide effundit: ſed iis quos in domino mori credit: nam pro ijs qui peccant peccato ad mortem non orat. ſed quia quoddam eſſe uiræ genus agnoſcit non ita malum, ut iis omnino iuuari poſſit. pro omnibus autẽ orat, et ſacrificium crucis Deo patri, ut habet Aug. lib.* 9. *Confeſſ. cap.* 12. *offert, occulto Dei iudicio relinquens, quibus prodeſſe ea poſſint, errat enim quiſquis ex hac ſcriptura eneruare uolet pro defunctis preces. ſiquidem de eo loquitur Chriſtus qui peccauerat peccato ad mortem: quare & ſera illius fuit pœnitentia: qualis erit corũ quæ deſcribitur Sapien.* 5. *cruciabitur ergo poſt mortem, qui carnem ſuam cum uitiis, & concupiſcentiis non crucifixerit, ut ſcilicet agat dignos pœnitẽtiæ fructus: huius enim uermis non morietur, & ignis non extinguetur. contra uerò Lazarus, id eſt, fidelis quilibet iuſtificatus ex fide pacem habet, nactus oleum gaudij pro luctu, & pallium laudis pro ſpiritu mœroris, ut eſt Iſa.* 61.

QVARTO, *Reſponſione Abrahæ ſolatium & refri-*

gerium

gerium negantis diuiti, etiam pro fratribus deprecanti, oſtendit uiuos non egere pro uitæ ſuæ ratione inſtituenda, aut reuelationibus, aut apparitionibus ſpirituū: habemus enim, ut inquit Petrus, firmiorē propheticum ſermonem cui benefacimus attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco. 2. Pe. 1. nunquid enim populus uiſionem requireret pro uiuis à mortuis? ad legem & teſtimonium reſpiciendum monet Iſaias cap. 8. nam qui admonitionibus ſcripturæ non crediderit, nec mortuorum reuelationi credet, quum ea plerunque incerta, & fallax, ſit ſiquidem Angelus ſathanæ ſubinde ſe transfigurat in angelū lucis. 2. Cor. 11. non enim cuilibet, ſed ex ſingulari Spiritus ſancti dono datur diſcretio ſpirituū. ſi enim hæc anſa præberetur dæmoni, neſcio quem non fideliū ille facilè in ſuam maſſam pertraheret. proinde quiſquis Moiſen, & Prophetas non audierit, ſed pertinaci animoſitate reſiſtere uerbo Dei peccando etiam cōtra conſcientiam, perrexerit, huic certè nullæ ſpirituum reuelationes proderunt, niſi ad maiorem obdurationem: ut uidens non uideat, & audiens non intelligat. Vtuntur aduerſarij hoc loco, uelut robuſtiſſimo ariete, quo putant ſeſe inconcuſſam catholicæ ecclesiæ doctrinam deijcere poſſe, qua docet ſanctum eſſe et ſalubre pro defunctis exorare ut à peccatis ſoluantur. Sublatis enim, inquiunt, apparitionibus uanis ſpirituum, intercidant neceſſe eſt papiſticæ uigiliæ, preces, oblationes, ſacrificia, ac denique quæſtus omnis ſacrificulorum. Quaſi uerò hæc ſanctiſſima

ma fidei doctrina imaginarijs, & falsis, ac dæmonia eis niteretur apparitionibus, ac non potius solido Dei uerbo, Apostolorum prædicationi, ueteris ecclesiæ auctoritati & consuetudini. Apparitiones tamen spirituum humanorum è corporibus defunctorũ Dei permissu quandoque fieri credit Ecclesia Christi, vt uidere est apud Augustinum lib. de Cura pro mortuis. cap. 11. lib. de spiritu & anima. cap. 29. ubi docet has per diuinam potentiam quandoque certis de causis fieri. Vide etiam lib. 12. de Genesi ad literam. cap. 13.

FERIA SEXTA HEBDOMAdæ secundæ. Euangelium Matthæi XXI.

HOMO erat paterfamiliâs qui plantauit uineam, & sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Cum autẽ tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas ut acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium uerò lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autem uidentes

Mar. 12. Luc. 20. Esa. 5. a Hie. 2. d.

H filium,

filium, dixerunt intra se: Hic est hæres: uenite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehensum eum, eiecerunt extra uineam, & occiderunt. Cùm ergo uenerit dominus uineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet, & uineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Dicit illis IESVS: Nunquam legistis in scripturis, lapidem quem reprobauerũt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris. Ideo dico uobis, quia auferetur à uobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit super lapidem istũ, confringetur: super quem uerò ceciderit, conteret eum. Et cum audissent principes sacerdotum & Pharisæi parabolas eius, cognouerũt quòd de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.

Psal. 117.d
Act. 4.b.
Rom. 9.g.
1. Pe. 2.a.
Isa. 28.d.

Pha-

Pharisæis propria malitia ita excæcatis ut manifestam ueritatem à Christo oblatam recipere nollent, Christus horrenda comminatione prædicit eorum excæcationem & reprobationem, qua auferrere tur ab eis regnum Dei, & daretur gentibus facientibus fructum eius. Agit itaque hoc Euangelio Christus quinque.

PRIMO, *Conuincit Iudæos sub metaphora patrisfamilias, qui plantatam uineam muniuit sepe, torculari, & turri, id est, legis cognitione, sacrificiorum oblationibus, & Angelorum custodia. Innumeris erga ipsos collatis beneficiys. Vinea enim domini Sabaoth, domus Israel est. Isa. 5. Hiere. 2. Psal. 79. quum enim omnes gentes demisisset ingredi uias suas, vt est Act. 17. solos Iudæos misericorditer de fornace ferrea, & domo seruitutis, scilicet Aegypto, duce Moyse, uariys portentis, magna Aegyptiorum clade, per mare rubrum, per desertum, cœlesti alimonia pastos in optimam promissionis terram, fluentem lac & mel deduxit. quibus ne quid ad fœlicem Rempublic. deesset,*

dedit Duces, Principes, Regesq́, qui uiribus, & armis externam politiam administrarent, ac hostes propellerent, ciues defenderent, religionem tuerētur, idolomaniam prohiberent: quales fuere, Moyses, Iosue, Dauid, Ezechias, Iehu, & Iosaphat, & Sacerdotes, Leuitas, Ministros, & Prophetas, qui sacrificijs, oblationibus, precibus, & uerbi prædicatione populum Deo reconciliarent, & à recto aberrantē reuocarent, ut Aaron, Eleazar, Achimelech, Isaias. Hieremias, & Ezechiel. Huiusmodi enim fidis colonis & ciuilibus, qui prophana tuerentur, & ecclesiasticis qui sacrorum curam gererent, Clementissimus hic paterfamilias, hanc Rempublic. elocauit: quibus hoc tantum curæ erat, & bonorum operum fructus Deo referrent. Sic Iosaphat magistratum ciuilem ad pietatem et Dei timorem prouocabat. 2. Paralyp. 19. Sic denique omnes prophetæ totam Rempubl. ad Dei timorem, ueram cordis conuersionem, fidem uenturi Messiæ abhortabantur. 4. Reg. 17.

SECVNDO, Iudæos ingratitudinis, qua neglectis tantis Dei beneficijs, ordinationi Dei resistebant, & rebellionis arguit, dum ait: Agricolæ apprehensis seruis alios ceciderunt, alios occiderunt, & alios lapidauerunt, ut Hieremiam, Isaiam, & Zachariam, filiū Barachiæ, aliosq́ innumeros. Actor. 7. quibus uerbis Christus horrendam mentis cæcitatem, qua propria malitia semper resiterunt Spiritui sancto, in Iudæis perstringit. qua licet mererentur semel à Deo deseri; atque omnibus acceptis beneficijs priuari: quia tamen

tamen eius tanta est erga hominem φιλανθρωπία, & humanitas, qua etiam auersos uocat, non contentus fuit semel atque iterum ad pœnitentiam, peccati confessionem, & cordis conuersionem, Iudæos uocasse ministerio uariorum prophetarum, sacerdotum, & piorum principum, sed quemadmodum semper rebus desperatis aut dum ipsi in captiuitate constituti, audita prophetarum prædicatione, resipiscerent, misit eis saluatorem in Aegypto Moysen, in Assiria, Isaiam, Naum, Ionam, & in Babilone, Esdram, Zachariamq́;. Ita nunquam sine sui cognitione, etiam si subinde eam reijcerent, dereliquit Iudæos, nolẽs aliquem perire, sed omnes ad ueritatis cognitionem uenire. sed quem prophetarũ non sunt persecuti? quũ tamen ipsi apud Deum essent Exod. 19. gens sancta, regnum sacerdotale, & populus acquisitionis.

TERTIO, *Magnam Iudæorum exaggerat malitiam, qui tantis beneficijs à Deo affecti, siquidem ex singulari Dei beneuolentia, adoptio filiorum, gloria, testamentum, legislatio, obsequium, & promissa. ut est Rom. 9. ipsorum erant, nihilo tamen meliores sunt effecti: externa siquidem hæc omnia Dei immensa beneficia, nisi beneficio gratiæ Dei legitimus accedat horum usus, obsunt magis quàm prosunt, non ex natura sua, sed uitio hominum mente corruptorum. uerum ne sic quidem destitit benefacere Deus. Nunquid enim incredulitas ipsorum fidem Dei eneruauit? absit. est enim Deus uerax. quia ergo neque lex, neque prophetæ ueros fructus bonorũ operum produ-*

cere in ipsis potuit, quibus remissio peccatorũ, iustificatio, et salus æterna pararetur, misit clemẽtissimũ hic paterfamilias, ubi uenit plenitudo tẽporis, filium suum, non ut iudicaretur, uel condemnaretur mundus per ipsum. atque ideo inquit, forte uerebuntur filium, quasi dicat non dubitando, sed quid ipsos facere oporteret insinuando. hunc filiũ qui uerus est mearum possessionum hæres, licet non mittam in apparatu regio, & in naturæ diuinæ maiestate, sed in similitudine carnis peccati, in forma serui. etc. poterunt tamen, si legis, quam habent cognitionem admittant, agnoscere. quod ni faciant, sua id culpa facient.

QVARTO, singularẽ Dei patris charitatem cõmẽdat, qua misit filium suum in mundum, & Iudæorũ excecationem proponit, qua agnitum hæredem non receperunt. Ioan. 1. Sed malis ducibus, scilicet auaritia, ira, inuidia, et odio, accensi, in eum cui pro tantis beneficijs acceptis liberalitatem, amorem, charitatem, & beneuolentiam rependere debuerant, feruntur insani, nec ante sæuire desistunt quàm & hæredem eiectum extra uineam, Christus enim extra castra passus est, Hebr. 13. occiderint, & hæreditatem regni terreni magna tyrannide inuaserint. Sed quid accidit? ut possiderent, occiderunt, & quia occiderunt perdiderunt. Hæc. n. ipsorũ fuit contra Christũ coniuratio, dum reuersi ad iniquitates patrũ suorum, Hiere. 11. & Sapien. 2. dicunt: Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris, grauis est nobis ad uidendum. Venite, mittamus lignum in panẽ

eius,

eius, & eradamus eum de terra, morte turpissima cōdemnemus eum, etc. Perstringit itaque Christ[us] obstinatam pharisæorum, scribarum, & sacerdotum conscientiam, ut etiam inuiti cogerentur cōtra se sententiam dicere: siquidem ea ueritatis uis est, vt etiam ab improba mente erumpat. Rogati enim quid huiusmodi agricolis parricidis pœnæ esset infligēdum. respondent malos malè perdet, & uineam suam locabit alijs agricolis.

QVINTO, Ut minor illis esse excusatio posset de peccato suo, scilicet infidelitatis, quo Christo, & manifestæ eius ueritati resistebant, eos scripturis prophetarum apertè conuincit, ostendens sese esse lapidem reprobatum ab hominibus ædificantibus, id est, à principibus sacerdotum, scribis, & senioribus, quibus reipublicæ Iudaicæ erat imperium commissum, vt scilicet ædificarent domos spirituales, sed per Christum, qui dum sua iustitia quæ ex lege est, ædificium hoc absoluere uellent, nec poterant, uenit Christus, alijs lapis angularis, qui fecit utraque unū. ad Ephe. 2. electus, probatus, & pretiosus. Vt qui crediderint in eum non confundantur: item offensionis, & scandali, ijs scilicet qui offendunt uerbo, nec credunt in quo positi sunt. 1. Petri. 2. Christus enim est fidelibus factus à Deo patre. 1. Corint. 1. sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio: Ii tamen quia præmuntur infirmitate carnis, vt sæpius etiam ea quæ nolint agant, quo sit vt quandoque etiā sancti cadant, vt de Petro, & Dauide testantur scripturæ,

quibus vt loquitur August. utilis subinde est lapsus, vt post maiori cautione uitam instituant, tales & post amissam gratiam digni essent qui ea semper indigerent: quia tamen ita cadunt, vt super lapidem Christum maneant, ipsum nec negantes, nec contemnentes, sed potius per fidem ipsum tenentes. Sic lapsi confringuntur quidem, sed non conteruntur: iusti enim si ceciderint, non collidentur, quia dominus supponit manum suam: habent enim gratuitum Dei auxilium, qui per pœnitentiam reseruãtur ad salutem hauriendam ex fonte gratiæ Christi. Infidelibus & hæreticis autem ruina, offensio, & scandalum, siquidem ij non tantum super lapidem cadunt, vt ex humana peccent infirmitate, sed quia filium Dei conculcant, fidei tesseram rumpunt, charitatem, quæ est uinculum perfectionis, uiolant, Ecclesiam catholicam & Romanam, quæ est corpus Christi, turpiter lacerant, hos grauis illa duplicis contritionis manet sententia, qua à lapide Christo in iudicio illo supremo conterantur sine spe ueniæ aut misericordiæ consequendæ.

SAB-

SABBATO HEBDOMADAE ſecundæ. Euangelium Lucæ XV.

HOMO quidam habuit duos filios: & dixit adoleſcentior ex illis, patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit. Et diuiſit illis ſubſtantiam. Et poſt nõ multos dies congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam. & ibi diſsipauit ſubſtantiam ſuã uiuendo luxuriosè. Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames ualida in regione illa, & ipſe cœpit egere: & abiit, & adhæſit uni ciuium regionis illius. Et miſit illum in uillam ſuam ut paſceret porcos. Et cupiebat implere uentrẽ ſuũ de ſiliquis quas porci manducabant: & nemo illi dabat. In ſe autem reuerſus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei. Pater peccaui in cœlum, & coram te iam non ſum dignus uocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenariis tuis. Et ſurgens uenit ad patrem ſuum. Cùm autem adhuc longè eſſet, uidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt, et accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Dixitq; ei filius. Pater, peccaui in

cœlum

cœlum & coram te, iam non ſum dignus uocari filius tuus. Dixit autem pater ad ſeruos ſuos. Cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manũ eius, & calceamenta in pedes eius· & adducite uitulum ſaginatum, occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat & reuixit: perierat, & inuentus eſt. Et cœperunt epulari. Erat autem filius eius ſenior in agro, & cum ueniret, & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniam & chorum, & uocauit unũ de ſeruis, & interrogauit quid hæc eſſent. Iſque dixit illi. Frater tuus uenit, & occidit pater tuus uitulum ſaginatum, quia ſaluum illum recepit. &c.

Docet hoc Euangelio Chriſtus quatuor.

PRIMO, *Sub ænigmate prodigi & aſoti adoleſcentis, quid poſſit natura ſine gratia, ſcilicet poſt acceptam portionem ſubſtantiæ à patre, abire in regionem longinquam, & eam diſſipare uiuendo luxurioſè. ſufficit enim liberum arbitrium, ut eſt uitio primorum parentum læſum & eneruatum, ad malum: ad bonum autem nequaquam niſi adiuuetur ab omnipotenti bono. ſiquidem & naturæ, & gratiæ dona, à Deo in ipſa creatione collata, dum ijs inconſultius utitur*

utitur primus homo, illis grauiter læditur, & istis priuatur, nec potest nisi illo sanante, & restituente, qui dedit uti bene: qualis enim ille peccati merito est factus, talis ex uitiata propagine omnes in lucem edidit, auersos à Deo, contrarios, mortales, corruptibiles, & peccatores. amissa enim originali illa iustitia, per quam consistebant illa uirium inferiorum & superiorum harmonia, consecuta est statim ἀταξία illa, et rebellio, quam omnes in natura experimur. hanc enim significare uoluisse uidetur Christus uehementi fame, quæ regionem inuaserat: non enim de fame panis, ut propheta loquitur, intelligit: sed de fame audiendi uerbum Dei. mox enim naturam inuasit ignorantia rerum agendarum, et concupiscentia rerum noxiarum, ignorantia Dei, denique rerum omnium quæ salutem promouere possent. quo ad enim latuit, ueritatis uia, quanto magis eam quærebat, eo minus inuenire contigit. siquidem humanæ philosophiæ salebræ longè minus satisfacere poterant quam porcorum siliquæ. quanquam enim prima fronte magnam honestatem et modestiam polliceri ipsa philosophia uideretur. nihil tamen sublime aut diuinum adferre potuit.

SECUNDO, *Dum hunc asotum resipiscentem, ac miseriarum pertesum proponit: unde contingat homini auerso ueræ pœnitentiæ initium, quod non nisi à bona uoluntate nascitur, scilicet non ex solis liberi arbitrij uiribus, sed ex Dei dono in occulto præuenientis omnẽ humanã cogitationẽ. nõ enim idonei sumus cogitare*

re aliquid ex nobis quasi ex nobis. meminerimus igitur iuxta August. epist. 106. quod patrem hic asotus nõ quæsierit, antequã quæsitus est ab illo, qui uenit quærere, & saluum facere quod perierat. est enim opus gratiæ Dei, ut meritum hominis bonum & initiet ad iustitiam, & consumet ad gloriam. primo inchoans uoluntatem bonam, deinde eandem adiuuans inchoatam, ut eadem uoluntas & diuino dono bona sit, & diuino adiutorio malam superare possit concupiscentiam. Ita enim hic noster asotus, accepto radio cælestis gratiæ, rationem auersam, intellectum obscuratum, & uoluntatem peccato corruptam illustrante, ut ex fide (sine qua nec oratio nec pœnitentia placent) quàm procul esset à Deo, longè enim à peccatoribus salus. Psal. 118. alienus esset à pietate: nulla enim conuentio luci ad tenebras. 1. Corint. 6. & graui peccatorum pondere premeretur, agnosceret: nulla enim rectè suscipitur pœnitentia, quam non peccati propriæq; miseriæ cognitio præcesserit, quàm dũ fidei lumen præcedit, tum demum surgit à somno peccati. Rom. 13. ad Ephes. 5. surge qui dormis, &c. patrem adit misericordiarum, & Deum totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione. 2. Corint. 1. peccatum confitetur, qui enim abscondit scelera sua non dirigetur: qui autem confessus fuerit & ea reliquerit, misericordiam consequetur. Prou. 28. confessione .s. sacramentali à Christo instituta. & deijcit se infra ministrorum & seruorũ conditionem. oratio enim humiliantis se nubes penetrat. Videant

ex

ex hoc loco aduersarij, qui non uerentur asserere, contritionem, & quæ absolutam iustificationem præcedunt, efficere hominem magis peccatorem. neque enim displicent Deo hæc prodigi opera, qui patrem adit, eum inuocat, peccatum confitetur: ut nec publicani pœnitentia, nec Cornelij centurionis, licet nondum regenerati, opera. Act. 10. Luc. 18.

TERTIO, *Quantum sit gaudium in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente: non uult enim Deus mortem peccatoris, proinde pœnitentia quam iubet per legem, & dat per gratiam, qua gratia illum qui adhuc longe est, quia nondum per pœntientiæ sacramentum recōciliatus, uidet misericordia motus, accurrit, ruit in collum eius, & osculatur eum, dum misericordia illius præuenit nos. Psal. 58. antequam clamemus ipse exaudit. Isa. 65. clamat enim in nobis interpellando per spiritum. Rom. 8. & eum qui inimicus erat reconciliat per sanguinem filij, ut pacem habeat ad Deum. Rom. 5. Illud interim obseruandum arbitror, ad ueram iustificationem non sufficere solam bonam uoluntatem, nisi dum cætera quæ ad ueram pœnitentiam requirit scriptura, ut sunt confessio & satisfactio, moriendi necessitas excluserit: subuenit enim tunc misericordia redemptoris, cuius sanguine & purgantur & delentur peccata. neque illius efficaciæ derogat, qui has pœnitentiæ partes amplectitur, tanquam solidissimas post naufragium tabulas: ijs enim enatare licet, ut hic asotus, magnitudine scelerum horrorem iræ diuinæ concepit, Psal.*

118.

118. *Confige timore tuo carnes meas, consideratione clementissimi patris in spem ueniæ erigebatur. audiuit enim illud: uenite ad me omnes qui labora. &c. Mat. 11. & scelerum detestationi ueram pœnitentiam substituit. Itaque ex iræ filio, & damnationi obnoxio, factus est filius Dei: & propter fidem in Christum, sine qua impossibile est placere Deo, et propter opera ex fide profluentia: ut enim sine fide non placent opera, ita nec econtrà, quanquam plerunque fidei iustificatio tribuatur: hoc ideo fieri cum Aug. puto, quia fides prima datur, per quam cætera impetrantur. quia fides fundit orationem. quomodo enim inuocabuut in quem non crediderunt? Rom. 10. ostendit medicum, à quo solo est salus expectanda, docet qua methodo animorum morbi pellantur, & amplectitur spem et charitatem. addit orationem quæ fidei impetres firmitatem. cõiungit pœnitentiam nec quicquam quod ad salutem requiratur omittit. Sic qui hunc pœnitentem imitabitur, is quum deus nõ sit personarum acceptor, eandem ab ipso gratiam consequetur.*

QVARTO, *Insignem Dei clementiam, qua solet is erga eos aui uere et ex animo resipiscunt, uti: quia enim peccator dũ sese à Deo auertit, perdit innocentiam, iustitiam, charitatem, & spiritum sanctum, siquidem hæc cum conscientia peccati consistere nequeunt. Spiritus enim disciplinæ effugit fictum, nec potest habitare in corpore subdito peccatis. Sapien. 1. Ea autem est immensa Dei patris clementia ut re*

deunti per pœnitentiam mox iubeat dare primam stolam, id est, participes facit iustitiæ Christi, omniumq; meritorum ipsius per gratiam, sic enim illum induuntur quotquot in illo baptizantur, Rom. 6. & quod de baptismo, simile de pœnitentia. restituit enim hæc quod in baptismo acceptum per peccatum amisimus, et annulum in manu, id est, arrabonem spiritus, quo signantur fideles: est enim annulus datæ hæreditatis, & firmæ charitatis testificatio, quæ sine iustitia non imputatiua, sed uera & inhærente, iuxta illud, Qui facit iustitiã, iustus est, acquiri et recuperari nõ potest. hæc enim et charitatem ĩ se cõplectitur, iuxta Aug. perfecta charitas, perfecta iustitia. ca. 70. de nat. et gra. et calceamẽta in pedes, id est, in præparationẽ Euãgelij pacis, necubi coluber insidiãs plantã ingredientis inuadat, utq; super scorpiones & serpentes securius ambulet, non iã gradiens secundũ carnem, sed secundum spiritum, & uitulum saginatum in epulas, id est, participem facit corporis et sanguinis filij sui: hãc enim gratiã filijs qui restituti sunt in libertatem spiritus, & à peccato purgati, concedit, ut participes fiant corporis & sanguinis Christi. nã quid mãducat & bibit indigne, iudiciũ sibi mãducat, nõ dijudicãs corpus domini. 1. Cor. 11. Neque uerò istis cõtẽtus clemẽtissimus pater, ut ostẽdat quanti apud ipsum momẽti sit uera pœnitẽtia, uult proximũ quemque de pœnitentis salute gaudere. Ideò inquit, manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus fuit, quantum ad malitiæ abundantiam, et reuixit.

xit. perierat sine ulla spe recuperandæ salutis quantum in ipso erat, & inuentus est.

Hiero. ad Damasum de uocatione duorum populorum hoc Euangelium interpretatur To. 3. fol. 127.

DOMINICA TERTIA Quadragesimæ. Euangel. Lucæ XI.

Mat. 9. d. &. 12. b. Mar. 3. c.

Et erat eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. Ipse autẽ ut uidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in se diuisum desolabitur: & domus supra domum cadet. Si autem & satanas in seipsum diuisus est: quomodo stabit regnum eius, quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia? Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filii uestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi, iudices uestri erunt. Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia, profecto peruenit in uos regnũ Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens uicerit eum: uniuersa arma

eius

eius auferet in quibus cõfidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Cum immundus spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem. Et nõ inueniens, dicit: Reuertar in domum meam unde exiui. Et cum uenerit, inuenit eam scopis mundatam. Tunc uadit, & assumit septem alios spiritus secũ nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius, peiora prioribus. Factum est autem, cum hæc diceret, extollens uocem quædã mulier de turba dixit illi. Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimò, beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud.

Tria agit hoc Euangelium.

PRIMO, *Insigni miraculo ostendit Christi, tum clementiam, tum potentiam erga miserum, in quo mirè exercuerat dæmon suam tyrannidem. Nam vera fidei cognitione, quam corporis cæcitas significabat, auditu verbi, quo saluantur animæ, quod surditas pulchrè adumbrabat, & peccatorum confessione, & laude Dei illum priuauerat, quod intelligeret iis potissimum veram salutis rationem homini posse contingere: grassatur enim potissimum falsis de Deo opinionibus; ignorantia veritatis; & cu*

piditate peccandi: ut scilicet totum hominem perdat, tanta illius est maleuolentia, atque adeò potentia, ut iusto Dei iudicio id permittente, his armis multos deijciat: non tamen omnes. nam impeditur Christi potentia, qua suos eripit de potestate tenebrarum, & misericordia, qua reos damnationis æternæ, misericorditer præuenit. ut quemadmodum hunc miserum à dæmonio liberauit, ita eos ex filijs diaboli, faciat filios Dei, concessa remissione peccatorum, qua dignè possint suam Deo laudem tribuere, illi gratias agere, inuocare, agnoscere, & diligere: hi enim effectus ut meritorij sint, remissionem peccatorum sequuntur, non præcedunt. à mortuo enim perit confessio. Ecclesiastici 17.

SECVNDO, Proponit quam varia fuerint de hoc Christi facto hominum iudicia. Nam alia pharisæorum maledicentium & calumniantum, et alia plebis admirantis & obstupescentis. Ex quibus agnoscere licet diuersa hominum ingenia, in quibus una atque eadem Christi operatio varios producit effectus. Nam ut solis eadem operatio lutum indurat, & ceram emollit: ita hoc Christi stupendum miraculum in hunc finem editum ut se verum Messiam, Dauidis filium, ac Euangelij doctrinam confirmaret, istis fuit odor mortis in mortem, illis autem odor uitæ in vitam, ut non immeritò admirari possimus abditissimum abyssum iudiciorum Dei, quo dignos deseri deserit, non impartiendo gratiam qua veritatis lucem amplectantur, sed ita relinquendo,

ut

ut videntes non uideant, & intelligentes non intelligant. Isa. 6. Ioan. 12. Itaque quod debuissent adscripsisse potentiæ diuinæ, per calumniam Beelzebub tribuunt. Ita enim solet paulatim crescere humana malitia, nam primo negant Christum esse filium Dauid, secundo pollicentur se credituros, si non tantum terrenum aliquod edat signum sed cœleste: quæ maxima erat ironia: & tertio principi dæmoniorum tribuunt quod sola diuina potentia fieri animaduertebant. Christus autem pro singulari sua clementia leniter hanc ipsorum calumniam tribus efficacissimis argumentis refutat, non tam sui quàm patris sui æterni causa: atque adeò Euangelij quod mundo attulit. nam si admisisset miracula sua, uirtute dæmonum fieri, doctrinam quoque suam mox suspectam fecisset, quasi eodem spiritu profectam quo miracula, quod omnino ferendum non erat: nam in eo cardo salutis humanæ versabatur. Itaque hanc calumniam confutat Christus ab administratione, concordia, & politia regnorum, quæ si his quasi uinculis non contineantur, subsistere nequeunt: siquidem omne regnum in se diuisum desolabitur: diuisum est autem regnum vbi legitimæ potestati resistunt subditi, ac quod de regnis & monarchijs, idem de priuatis familijs iudicium esse docet Christus. quod scilicet concordia facilè crescant, & discordia dilabantur. Ex his infert Christus fieri non posse, vt Sathan Sathanam eijciat.

TERTIO, Ex proprietate exorcistarum uel Apostolorum

lorum energumenos iuuantium, ducis atrium suum defendentis contra iniuriam hostium, & immundi spiritus veterem suam mansionem repetentis efficacissimè docet criminationis huius falsitatem, atque in ipsos accusatores calumniam retorquet, docens se non alio spiritu quàm sancto dæmones abigere, quemadmodum ipsorum filij, quos uel inuiti fatebantur spiritu sancto id facere. Pulchrè autem ostendit hic Christus naturam inuidiæ, quæ de rebus optimis iudicat pessimè, et de pessimis optimè. nunquam enim iudicium aut rationem in iudicando sequitur, sed corruptam affectionem. cæteris autem duobus argumentis ostendit usum huius miraculi. Significat enim regnum Dei, quo scilicet ipse potentia verbi sui in cordibus piorum regnaret, hoc est, vt contereret caput serpentis, Genes. 3. destrueret eum qui habebat mortis imperium. Hebr. 12. & deleret quo aduersum nos erat chyrographum decreti. Colos. 2. iam adesse, iuxta uaticinia prophetarum, id quod etiam ex ipsius miraculis animaduerti posset, quæ prorsus aliena sunt ab effectibus & operationibus sathanæ. Videre etenim licet quod Christus dispersa colligit, & collecta conseruat, Sathan uero collecta dispergit, sana debilitat, furatur, & mactat. Ioan. 10. Atqui pulcherrima hæc Christi doctrina quum irrita in Pharisæis videretur, peperit tamen in una muliere fructum ueræ fidei, & confessionis: nam de Christo magnificè prædicauit. Luc. 11. quod vt nobis contingat orandus est Deus.

FERIA SECVNDA DOMINICæ tertiæ. Euangelium Lucæ IIII.

Et ait illis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura teipsum, quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Ait autem: Amen dico uobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua. In ueritate dico uobis: multæ uiduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidônis, ad mulierem uiduam. Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta, & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. Et repleti sunt omnes, in synagôga ira, hæc audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.

3.Reg.17. a.b. Iaco.5.de 4.Re.5.d.

Perstringit hoc Euangelio Christus varium & inconstans vulgi ingenium, quod leui momento

huc illuc impellitur: quem enim antè ad sydera usque extulit, hũc breui post in tartara deprimit. Itaque

PRIMO, *Ministros verbi monet, ne temerè margaritas porcis proyciant, aut sanctũ canibus, id est, ne ingratis auditoribus, aut contemptoribus frangant panem uerbi. sed tales ciuitates, urbes, uicos, & pagos deserentes, etiam puluerem de pedibus suis excutiant in testimonium, Lu. 9. 10. Act. 13. Matth. 10. contemptus, & ingratitudinis. Vult enim Christus ministris uerbi Dei suum reddi honorem, ac uitæ necessaria: ideo iubet, ut admissi in domum edant & bibant de ijs quæ apponuntur. Luc. 10. Galat. 6. Communicet autem is qui catechizatur uerbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis. dignus est enim operarius mercede sua. Hinc Sareptana. Sunamitis. 4. Reg. 4. Martha. Lucæ. 8. Maria Magdalena, Ioanna vxor Chuse, Susanna, Galathæ, cap. 4. & Macedones 2. Corint. 11. in scripturis laudantur, quod Eliæ, Elisæo, Christo, Apostolis, & Paulo uitæ necessaria, si non ad luxum, certè ad necessitatem suppeditarint. 1. ad Thessa. 2. 5. Rom. 15. Philip. 4. Si quidem vt apertè hoc loco testatur Christus, fieri nequit, ut in ea republica sementem*

mentem faciat semen uerbi, ubi contemptus est ministrorum. sequitur enim ibi necessariò ignorantia, cui sola ueritatis doctrina mederi potest: qua neglecta in omnia passim ruit uitia iuuentus, quæ semel corrupta uitæ licentia, quod superest temporis in omni lasciuia transigit. Hinc multas uidemus alioqui florentes respublicas eo dilabi, vt catholicæ doctrinæ cognitionem aut prorsus amittant, aut pro neglecto habeant, dum malunt suis cupiditatibus indulgere, quàm eos quos contemnunt uerbi ministros audire.

SECVNDO, Singulari quadam prudentia (nam in eo omnes erant thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei rediti, ad Colos. 2. docet, unde accidit vt frequēter verbi prædicatores contemnātur, idq́; ab exēplo Eliæ, & Helisæi, quorum hic in Iudæa ita cōtemnebatur, ut tēpore famis, quū clausum esset cœlum annis tribus, & mensibus sex, à nulla diuitum matronarum hospitio dignaretur, sed postquam corui, & angeli ministerio pastus esset, in Sareptam Sydoniorum, quæ ciuitas est Phœniciæ, inter Tyrum & Sydonem sita, ad pauperculam est ablegatus. 3. Reg. 17. Iste quum gratia sanitatum polleret, multisq́; miraculis meritò esset suspiciendus (ornauit enim huiusmodi donis etiam ueterem Ecclesiam Deus, quibus ueros à falsis decerni uoluit ministros) nulli tamen leprosorum contigit per illum mundari, nisi Naamam Syro. 4. Reg. 5. quod nequaquam ipsorū uitio accidisse docet scriptura, sed ob insignem contubernalium

bernalium & superbiam, qua prophetas notos & inter se educatos contemnebant, ita enim usu uenire uidemus, ut domestica penè contemnamus. Parit enim nauseam copia, etiam rerum maximarũ, quum contrà externa sæpe uilissima admiremur, & inuidiam, qua eos prosequebantur, tanquam ipsorũ lasciuiæ hostes. odit enim semper mundus ueros Dei ministros: quo fit, vt præclarissima ipsorum dona, quibus ad doctrinæ confirmationem eos solet ornare Deus, uideant & negligant. Sic Helisæum Caluum uocarunt pueri. 4. Reg. 2. Paulum contemptibilem pseudo apostoli vocabant, 2. Corint. 10. Christus itaque exemplo horum prophetarum tacitè Nazareos perstringit, indignos esse eos declarans, (licet missus esset ad oues quæ perierant domus Israel. Math. 15.) quibus doctrina cælestis, cui pertinaciter restiterunt, miraculis aliquibus confirmaretur. alludens hisce duabus historijs, fore, vt iuxta prophetarum oracula, gratia noui testamenti, & sacramentorum veritas, sublatis Iudaicis cæremonijs & umbris, Syris, & Sydonijs, id est, gentibus, in obedientiã fidei sese subijcientibus, daretur: qua de re uarijs in locis concionãtur prophetæ. Isa. 43. 54. 66. Osee. 1 Hiere. 16. Zacha. 8. 9. 14. Psal. 17. 85. alijsq; innumeris scripturæ locis. significantur enim istis duobus, scilicet lotione Naamam, & farina uiduæ primaria duo symbola & sacramenta noui testamenti baptismus, quo caro peccati lepra infecta instar paruuli restituitur, & cœlestis illa alimonia eucharistiæ

eucharistiæ corporis & sanguinis domini, quo filij, quo pascuntur electi.

TERTIO, Horrendum Dei iudicium, & quod iure omnes perhorrescere debemus, proponit in istis Nazareis, quorum malitia uel ipsius Sathanæ superare uidetur: is enim præcipitium tantum suadere ausus, uim nullam intentare præsumpsit, sed rationibus, & scripturis uictus abscedit. hi uero præterquam quòd peruersi non corriguntur, sed magis, & irritantur, & accenduntur. Nam non contenti dicterijs ac scommatibus, Dei filium, quem non poterant nisi affectata ignorantia non agnoscere, è synagoga expellunt, extra ciuitatem protrudunt, ad montis cacumen pertrahunt, et præcipitium intentant. Ex quibus perspicere licet, quos fructus in homine pariat uoluntas humana, fidei lumine destituta, odio, & inuidia excæcata: tantum enim abest, ut oblatam ueritatem recipiat, ut magis etiam oppugnet atque præcipitare conetur, quod malum eo est grauius, quo potiora sunt & maiora præsidia ac dona quæ reyciuntur. Hi etenim Nazaræi ciues præter eam quam ex scripturis habere potuerant de Christo cognitionem, habebant familiarem ipsius conuictum & contubernium, quæ si ut oportebat uoluissent obseruare, intellexissent facilè, longè illum cæterorum hominum naturam, mores, ingenium superare, utpote in quo omnia diuinum quid potius quàm humanum præ se ferrent. Sed hic peculiaris est inuidis genius, ut gratuitis Dei donis in perniciem sui

potius

potius quàm salutem utanutr. quod & in nostri temporis hæreticis animaduertere licet, quibus semel est decretum ueritatem agnitam oppugnare: huc enim omnes suos conatus intendunt, ut Christum, id est, fidei ueritatem Ecclesiæ adimant, ac tandem præcipitent.

QVARTO, Christi potentiam & diuinitatem, qua potuit contra naturam corporis physici, sine ulla penetratione dimẽsionum non tantum densissima quæque penetrare, uerum etiam hostium furori oculis, & conatui, sese subducere, ipsosq́; illudere, ut sæpius captantes, nunquam caperent, nisi dum uellet ipse, quod efficacissimum erat diuinæ potentiæ argumentum: mortalium etenim nullus est, ne regum quidem aut imperatorum, qui non frequenter inuitus & satis reluctans in hostium manus incidat, ac dedere sese cogatur. Si quis alius scripturæ locus, certè hic unus debuerat crassos sacramentariorum errores elidere ac prorsus eneruare: si enim potuit diuinitas corpus mortale adhuc, possibile, & qualitatibus corporeis obnoxium tale efficere, ut nec uideri, nec palpari, aut ullo sensu corporeo percipi posset: quid ni potuit uirtute uerbi sui corpori glorificato hoc præstare? Sed crassior est hic error, quàm ut refutari debeat: statim enim ut indicatur, se prodit.

FERIA

FERIA III. HEBDOMAdæ tertiæ Euangelium Matthæi XVIII.

Si autem peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum uel duos, ut in ore duorum uel trium teſtium ſtet omne uerbum. Quòd ſi non audierit eos, dic eccleſiæ: ſi autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico uobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Iterum dico uobis: quia ſi duo ex uobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis eſt. Vbi enim ſunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eũ, dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vſque ſepties? Dixit illi IESVS: Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.

Luc.17.a Leu.19.d Eccl.19.b Iacob.5.d Deu.19.b 2.Co.13.a Heb.10.e Ioan.8.c. Ioã.20.f. Luc.17.a.

Complectitur hoc Euangelio Christus doctrinam omnium saluberrimam, & nostro seculo pernecessariam, quo ita abundauit iniquitas, ut planè refrixerit charitas, quæ est vinculum perfectionis, quam vult Christus esse fraternæ correctionis amussim. Agit autem potissimum quatuor.

PRIMO, Dū ait, si peccauerit in te frater tuus, &c. non præscribit actum iuris uel ciuilis, uel ecclesiastici, sed correctionis fraternæ, quam vult non secus ac iuridicum ab omni affectione mala esse liberum: siquidem omnis corruptus iudex malè examinat uerū: fieri autem debet animo libero ab omni uindictæ cupiditate, ira, odio, & inuidia, si enim iudicem prophanum his uelint esse liberum leges, quod hi pessimi consules peruersam subinde dictare sententiam soleant. certe eum qui proximi salutem amissam restituere parat, decet quàm liberrimum ab huiusmodi affectionibus esse. Sed oportet amore, & commiseratione eum qui peccarit corrigere: eumq́, qui peccarit apertè uult Apostolus coram omnibus corrigi

gi, ut cæteri timorem habeant. 1. ad Timoth. 5. eum uero qui peccarit clanculum, uult Christus inter te & ipsum solum corripi, sed ita, ut utrinque lex charitatis seruetur: nam quæ pro charitate sunt instituta, non debent eidem repugnare. Ea ergo si uel in iudice uel in priuato prodierit de corde puro, conscientia bona, & de fide non ficta, proximi tantum spectabit salutem, & pœnitentiam, non confusionem, ignominiam, nec perditionem, ideo si te audierit, inquit, lucratus es fratrem tuum, Galat. 6. si præoccupatus fuerit homo, &c.

SECVNDO. *Quia præuidebat Christus fore tantam hominum impudentiam, ut non solum peccare non vererentur, sed etiam perfricta fronte auderent criminum esse defensores, ne sic tamen desperandum monet, sed adhibe, inquit, tecum uel unum uel duos, ut scilicet in ore duorum uel trium testium stet omne uerbum, iuxta legis decretum. Deuter. 19. Neque uerò putabimus omnes passim sine delectu esse admittendos, sed qui sint eodem charitatis affectu imbuti, ab inuidia alieni, arcani continentes, & salutis fraternæ æquè ac tu ipse, amantes, ne scilicet leuium hominum garrulitas peccãtis famam lædat: spectari enim vult Christus tantum hoc facto emendum peccantis, non perniciem. Proinde ea uitanda, quibus promoueri posset potius quàm impediri hoc malum. sed quid si duræ adeò ceruicis sit, ut ne sic quidem à peccato desistat? num deserendus, uel desperandus erit frater, pro quo Christus mortuus est? num*

num ut diaboli mancipium, inferni pabulum & mundi proletarium relinquetur? absit. Charitas enim, ex qua hic prodit affectus, patiens est, benigna est, omnia sperat, omnia sustinet. 1. Cor. 13. Quare non ante desistit, quàm nullam superesse spem uidet. cur igitur monet ut si lenibus hisce non proficias medicamentis, cauterion aut incisionem adhibeas. est enim ut morborum, ita & ingeniorum varietas. Quod si non audierit, inquit, dic ecclesiæ.

TERTIO, Ne quisquam putaret omnem uitæ licentiam cuilibet esse permissam, ac nulla iam superesse mali extirpandi remedia, quando priuata, aut coram testibus acta correptione nihil profecisses. Iudiciarium in ecclesia sua Christus instituit tribunal, ut uel sic humana coerceatur audacia, ut tuta sit inter improbos innocentia: non enim confusam & seditiosam rempublicam instruit suam ecclesiam Christus in summa ἀταξίᾳ quotidianarum seditionum. sed non secus atque in prophano regno aut imperio unũ esse uoluit ex diuina sua ordinatione, penes quẽ summa rei esset, ita in Ecclesia iudiciariam potestatem esse iussit cuius esset nascentia in dies scandala opprimere, sed alÿs artibus quàm regna politica, quæ utuntur fassibus, armis, torturis, exilio, & capitalibus sententÿs. Iis enim sublatis, quid forent regna, nisi publica latrocinia? Nihil enim æquè rempublicam continet, atque disciplinæ seueritas. Sed Christus ecclesiam suam leni disciplina et iugo dulcissimo regi voluit, scilicet euangelio, fide, & sacramentis,

quibus

quibus, ueluti suauissimis pharmacis, infirmitati fidelium occurri uoluit. Verum si exulcerata membra ijs offenderentur potius quàm iuuarentur, non eam prorsus aut imbecillem uel inermem reliquit ne possit resistere occurrenti malo, addidit enim fulmen illud quouis exilio, tridente, equuleo, & igne ferocius, quod corporibus illæsis, animam tamen acerbo uulnere sauciat, ac bonorum omnium communione priuat nempe excommunicationem, qua uult eum qui ecclesiam non audiuit haberi vt ethnicum, & à corpore ecclesiæ abscissionem, qua uult eum haberi ut publicanum. quo nescio si quid magis sit formidandum homini Christiano, huiusmodi enim separatus est à corpore Christi: quare nec membrum illius manere potest. si non maneat membrum Christi, non uegetatur spiritu Christi. quisquis uerò spiritum Christi non habet, hic non est Christi: traditur enim sathanæ, quia extra ecclesiam Sathanas est, sicut in ecclesia Christus. Ergo ut homini uiui membrum si præscidatur ab eius corpore, non potest tenere spiritum uitæ: sic homo qui præciditur de Christi iusti corpore, nullo modo potest tenere spiritum iustitiæ, etiam si figuram membri teneat quam sumpsit in corpore. Augustinus ad Vincentium.

QVARTO, Ad maiorem confirmationem ueritatis iuramento confirmat, non esse irritam aut inanem huiusmodi sententiam, quæ in ecclesiæ contemptores pronunciaretur: pollicetur enim eam & in cælis ratam fore, dicens. Quicquid ligaueritis super terrã,

erit ligatum et in cœlis. Hic enim est legitimus clauium usus à Christo concessarũ ecclesiæ ministris, qui dũ legitimè, et pro ratione officij utuntur, uel ligando, peccãtes deliberata malitia, ac animo pertinaci, uel soluendo pœnitentes, dignos scilicet Sequitur tunc ex diuina ordinatione uel uindicta, ut in exordio nascẽtis ecclesiæ sequebatur, exagitatio mali dæmonis in interitum carnis, 1. Corin. 5. uel gratia, quam in animis experiebantur hi, qui unitati fidelium restituebantur: ut in adultero Corinthio uidere licet. 2. Corinth. 2. Porrò licet apertos & externos excommunicationis effectus, quales Apostolorum temporibus statim subsequebantur latam sententiam, Deus ecclesiæ subtraxerit, nequaquam tamen existimabimus, minoris eam iam esse momenti, quàm tunc fuerit: eadem enim est potestas, & si non eadem ministrorum sanctimonia: non enim est homo qui ligat, sed Christus qui hanc potestatem dedit, quæ iam non minus uim suam in animam rebellem hominis exerit, quàm olim, dum in corpora quoque seuiret. Uerum hic admonitos uelim ecclesiæ Christi ministros, ne passim leuissimis scilicet de causis terribili hac abutantur potestate, quam in ædificationem, non autem in destructionem acceperunt: sed tum demum, quum non uidetur alia superesse corrigendi fratris medela. Vide Paulum 1. Corint. 5. 2. ad Thessa. 3. Aug. ser. 10. de uerbis domini, lib. de fide & operibus, cap. 3.

FERIA QVARTA Hebdomadæ tertiæ. Euangelium Matth. XV.

TVNC accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorũ? non enim lauant manus suas cùm panem manducant. Ipse autem respondens, ait illis: Quare & uos transgredimini mandatum Dei propter traditionem uestram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem: &, Qui maledixerit patri, uel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri uel matri, Munus quodcunque est ex me tibi proderit, & non honorificabit patrem suum aut matrem suam. & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem uestram. Hypocritæ, bene prophetauit de uobis Esaias dicens: Populus hic, labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite & intelligite, non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis quia Pharisæi, audito uerbo hoc scandalizati sunt.

Mar. 7. a. Exo. 20. c Deut. 5. b Ephe. 6. a. Exo. 21. c. Leu. 20. b Pro. 20. c Esa. 29. d. Mar. 7. c. Ioan. 15. a

At ille reſpondens, ait: Omnis plantatio quã non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur. Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. Reſpondens autem Petrus, dixit ei: Ediſſere nobis parabolam iſtam. At ille dixit: Adhuc & uos ſine intellectu eſtis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in uentrem uadit, & in ſeceſſum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. hæc ſunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

Luc.6.f.
Mar.7.c.

Magna verborum acrimonia inuehitur Chriſtus.

PRIMO, *In falſam ſacerdotum, & ſcribarum ſuperſtitionem, quæ humanas traditiones ſine uerbo Dei traditas, pontificum mandatis Dei præferrent, clauum clauo pellens: interrogantibus enim, quare diſcipuli tranſgrederentur traditiones ſeniorum, reſpõdet, quare uos propter traditiones, & ſuperſtitiones ueſtras, tranſgredimini mandatum Dei? Opponit itaque Chriſtus per antitheſim, & traditionibus hominum mandatum, & ſtatutis, hominum præceptũ*

Dei

Dei. Intelligit autem Christus non solum illud mandatum Dei quod scripto per Moysen est traditum, uerum etiam quod viua voce per cabala, siue traditionem acceperant, sicut hominum intelligit traditiones, quæ humano ingenio, contra Dei verbum erant excogitatæ, quales erant hæ pharisaicæ, qui dicebant: Qui dixerit patri vel matri, munus quodcunque ex me est tibi proderit. Matth. 16. & si dixerit homo patri vel matri Corban. Marci. 7. Neque enim Christus simpliciter omnes traditiones dānat. peccaret enim alioqui Paulus 2. Thessa. 2. Itaque fratres state, & tenete traditiones quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam. Proinde errant qui arbitrantur Christū simpliciter quascunque damnare traditiones. damnat enim eas solum traditiones, quæ ita sunt hominum, vt nullatenus Dei esse possint. i. solo ingenio humano excogitatæ, sine vlla spiritus sancti reuelatione, quæ tales sunt vt Dei præceptis repugnent & contrarientur.

SECVNDO, Christus itaque, vt falsam illis de iustitia operum, quam ex huiusmodi superstitionibus conceperant, laruam detraheret, acerrima Isaiæ sententia ipsos perstringit, qua in eis grauissimos errores reprehendit: scilicet quod labijs Deum honorarent, corde procul abessent ab eo, & docerent doctrinas & mandata hominum. Hæc enim propria sunt opera eorum, qui neglecta Dei iustitia, suam uolunt statuere, Ro. 10. quos proprio nomine uel hypocritas, uel duces cæcos, uel sepulchra dealbata.

Matth. 23. uocat Christus. Dicuntur autem labijs honorare, qui tantum ut poeta ait, trutinanti uerba labello sacra canunt, uoce tenus solum submurmurãtes, quum aliud longè animo uersent, quàm verbis pronuncient. ut si quis orationem prolixam simulet, ut sic domos uiduarum penetrare queat, corde procul à Deo abesse, dum ita rerum terrenarum cogitatione & concupiscentia impeditur, ut dum maximè coram hominibus pietatẽ simulat, nihil minus quã de Deo cogitet, non Christo, sed suo uentri seruiens, & docere doctrinas & mandata hominum. qui contra Dei uerbum ea quæ humano excogitarat ingenio, quæstus causa, populo obtrudunt, tanquam diuinum foret oraculum. Hoc loco mirè sibi blandiuntur nostri temporis hæretici, aliud nihil omnibus suis scriptis crepantes, quàm hæc in monachos & papistas quadrare, dum uelut sæueri aristarchi sese orbis iudices, contra ordinem iuris, constituunt. quo nulli licet accusatori iudicis partes sibi sumere. Conuincere enim prius debuerant veram religionem ex certo Dei uerbo à patribus institutam, Deum labijs tantum honorare: quod certè nunquam poterunt, quum omnia ipsorum argumenta aliud nihil quàm abusus, qui passim temporis diuturnitate in religione irrepserunt, demonstrant: quos certè dissimulare nec possum, nec uolo. sed quàm futilia talia sint argumenta, quæ ab usu sumuntur, vel tyronibus dialectices notius est, quàm ut probatione egeat. doceant itaque ueram religionem, quæ in spiritu & ueritate Deum

adorat,

adorat, labijs tantum honorare. Doceant cœlibatũ, continentiam, paupertatem uoluntariam, ueram humilitatem doctrinas esse hominum, & cũ uerbo Dei pugnare. Doceant, inquam, abstinentiam, quæ carnis frenandæ causa suscipitur, doctrinam esse dæmoniorum, (ut illi loquuntur) & utraque manu palmã dabimus? Sed nunquam poterunt, nisi magna impudentia uelint, quod indies non uerentur, adulterare uerbum Dei. aliò scilicet trahendo, quàm à spiritu Christi sit institutum. Proinde nihil minus hic agit Christus, quàm quod ueram religionem damnet, in quam si qua irrepserit superstitio, ea purgetur: si quæ licentia, coerceatur: si quis error, eo sublato, ueritas restituatur.

TERTIO, Concionatur Christus hoc euangelio cõtra falsam opinionem pharisæorum, quam in delectu ciborum conceperant: quia enim per Moysen uaria illis Deus ciborum genera interdixerat, credebant ex natura ciborum inquinari manducantem, & reum apud Deum fieri. atque eo spectabat & ipsorum traditio de frequenti manuum lotione, contra quam hic peccarant Apostoli, quum enim per prophetam mundiciem præcipi audirent, ut est, mundaminilqui fertis uasa domini. Isaiæ 52. Item: lauamini, mundi estote. Isaiæ 1. credebant ex immundicie sordium corporearum animum inquinari posse. quam sententia corrigit Christus, ostendens ut ait Apostolus omnẽ creaturam Dei bonam, & nihil esse reijciendũ quod cum gratiarum actione percipitur. conuocatis enim

 ad

ad se turbis, dixit: audite, & intelligite. Quia enim obstinata malitia sese excæcarant Iudæi, ut allatam per Christum ueritatem non agnoscerent, illis neglectis, conuocat Christus turbas, quibus cœperat pater iam reuelare mysteria. Mat. 11. docens quid hominem uel purũ uel impurum reddat scilicet non quod intrat in os, & non quod illotis manibus sumitur, sed quod procedit ex ore. Quia enim inquinata mẽs est, & conscientia fit, ut quicquid ex corrupto fonte cordis, & oris procedat, impurum sit et immundum. Voluntas enim, quæ humanarum actionum origo est, semel corrupta efficit, ut quicquid ab ea procedat immundum sit: proinde qui contra mandatũ Dei, uel ecclesiæ decretum cibum aliquem sine ulla necessitate, sed deliberata malitia & uoluntate arripit, ut gulæ suæ satisfaciat, hunc non cibus, sed mala concupiscentia & uoluntas reddunt immundum.

QVARTO, Succurrit infirmitati discipulorum, qui cœlestem hanc philosophiam de tollendo pharisaico, supercilio quod ex ciborum delectu sumebant, nondum poterant intelligere, docens negligendum esse scandalum, quod impij sumere solent ex pia doctrina: qualis erat hæc Christi, de natura ciborum, ac ratione ex natura petita, sententiam suam Petro roganti interpretationem edisserit, post grauem comminationem, qua ipsorum ruditatem, & hebetudinem arguit, quod adhuc sine intellectu essent, docet cibum, potum, & uestitum ex natura sua neminem coram Deo polluere: sed solo peccato hominem coram

ram Deo pollui, quod hoc ex corde suam originem sumeret, ut sunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, & blasphemiæ. Propter hæc enim quia natura sua mala sunt, & uerbo Dei prohibita, uenit ira Dei super omnes qui iis inquinati sunt. manducare autem manibus non lotis, aut communibus, non coinquinat hominem. omnia enim munda mundis, nec potest animus qui incorporeus est defœdari, nisi inquinamento & sordibus peccatorum.

FERIA QVINTA Hebdomadæ tertiæ. Euangelium Lucæ IIII.

SVRGENS autem IESVS de synagoga, introiuit in domum Simonis. Mat. 8.b. Mar. 1. c.
Socrus autẽ Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam, imperauit febri, & dimisit illam. Et continuo surgens, ministrabat illis. Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos uariis lãguoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei. Et increpans, non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse CHRISTVM. Mar. 1. d.
Facta autem die, egressus ibat in desertum lo-

eum : & turbæ requirebant eum, & uenerunt usque ad ipsum, & detinebant illum, ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. Et erat prædicans in synagogis Galileæ.

Quia uitio primorum parentum humana natura vtrinque, & in animo & in corpore grauiter est læsa, declarat hoc euangelio Christus, sese à patre missum medicum non tantum animorum, sed et corporum: proinde ab ipso quacunque premamur infirmitate salutem esse petendam. Considera, autem in hoc Euangelio tria.

PRIMO, *Insignem Christi & ineffabilem mansuetudinem, etiam erga omnes, qui vt ægra hæc socrus Petri, magnis sese febribus diuersarum cupiditatum premi sentiunt, ac non in synagoga pharisaica, aut in*

in diatribis humanæ philosophiæ, uel in hæreticorũ conciliabulis cõquiescunt, sed in domo Simonis, quæ est una, sancta, catholica, & apostolica Ecclesia. in hac enim licet grauissimè premantur peccati ægritudine, ut lecto prauæ consuetudinis affixi adsurgere nequeant, aderit tamen sanctorum communio, cuius beneficio (ut solet aridus in uite palmes, donec in ea permanserit) tandem accipiant beneficium, & auxilium Gratiæ cœlestis, quæ ardorem malarũ cupiditatum, scilicet libidinis, auaritiæ, superbiæ, inuidiæ, & iræ semel extinguat, atque ab hac dira tyrannide liberet. Sed donec à corpore Christi, quod est ecclesia, te ipse non abscideris. ea enim uera est Noe Arca, extra quã nulli salutem adsequi licuit, in qua tamen animalia, licet immunda seruabantur, tum misericordia conditoris, tum iusti merito. nequeunt enim irritæ apud Deum esse sanctorum preces, quum dixerit: Petite & accipietis, quicquid petieritis patrem in nomine meo, hoc fiet uobis. Efficax ergo est fideliũ oratio, quæ ex fide proficiscitur, sed in fidelium unitate: à qua qui sciungitur, nec fide nec oratione iuuabitur.

SECVNDO, admirandam Saluatoris misericordiã, qua facilem adeò sese exhibuit in admittendis piorũ precibus, quas ex fide offerebant; ut omnibus ægris manus imponeret, nullum reijceret, & potentiam, qua stans super ægram ita curauit, non ut lente amissus corporis uires reciperet, sed simul integram ualetudinem & corporis robur redderet.

Hæc

Hæc qui in Christo agnouerit, et per fidem fuerit professus, Rom. 10. ut se Christo subijciat, præceptis ipsius obtemperet, & medicam eius manum admittat. Is continuò surget, accepta peccatorum remissione, quam bona & præcedit & comitatur uoluntas, adiuta per gratiam: sed per sacramenta, quæ tanquam gratiæ instrumenta, in ecclesia sua reliquit Christus. In qua sola ea vult esse efficacia curandis & animorum, & corporum morbis: sed non recuperata ualetudine deses, et otiosus persistas, sed ut Christo ministres, Rom. 6. Sicut exhibuistis membra uestra seruire immundiciæ. &c.

TERTIO, Modestiam Christi, quæ uoluit ab improbis & malignis spiritibus suam uirtutem prædicari. Nam dæmonia clamantia, & dicentia quod esset filius Dei increpat. Siquidem non uult Christus ueritatis, & fidei hostes audiri, licet enim uerũ subinde dicant, hoc ideo, ut post tutius decipiant, agũt. Porrò quum nullus sit hostis nocentior euangelio, fidei, Christo fidelibus, & Ecclesiæ ipso dæmone, nulla enim conuentio luci ad tenebras, Christo ad Belial. 2. Corinth. 6. Idcirco Christus acerrima comminatione ipsum increpat, fideles admonens, ne quid uel cum ipso uel cum ipsius membris, ut sunt sagæ phytones, ariolis, hæretici, & infideles occultæ communicationis contrahunt, nec ueritatem ab ijs quærãt, ut multi hodie libris hæreticorũ ueritatẽ uerbi Dei quærunt. nec alibi sese eam inuenire iactitant quod non potest nisi maximi esse erroris ut insaniæ argumentum.

mentum. sed quum idem hic profiteantur dæmones, quod apud Matt. Petrus, scilicet quod si filius Dei, quorsum Petri fides laudatur. Dæmonis autem dănatur, quia Petrus sincerè & amando dæmon uerò fraudulenter, & vt decipiat, confessionem edidit. Quia ex hoc loco occasionẽ captant aduersarij cõtra cœlibatum & continentiam sacerdotum obganniendi, magna contentione asserentes, coniugatos fuisse Apostolos, ac proinde iuxta Pauli (ut scilicet illi uolunt) doctrinam Episcopum esse unius vxoris uirũ debere, præstare enim honestum coniugium uagæ libidini, & flagitioso concubinatui paucis, quæ sit catholicæ ecclesiæ doctrina, accipe, nimirum omnia Apostolorum facta quum multa sint personalia, non debere ad commune exemplum trahi, quosdam enim, & si coniugatos fuisse admittat, non omnes tamen, vt ueteres ecclesiæ patres ostendunt. neque quenquam Apostolorum demonstrabunt aduersarij, qui post Apostolatum à Christo acceptum matrimonio sese copularit. Quod honestum coniugium præstare turpi libidini clamitant, nemo id catholicus negat, quũ ecclesiæ decreta in concubinarios & libidinosos sacerdotes tam sint seuera vt in nullos magis. Quod asserunt episcopum vnius uxoris virum esse debere, hoc catholici omnes non eò referunt, vt iam episcopus consecratus cum vna contrahat, sed ad primitiuæ ecclesiæ necessitatem, quæ bonorum uirorum raritate laborabat, vt cogeretur eos etiam promouere qui matrimonio iuncti fuissent aut etiamnum essent. quem

morem

morem etiamnum græcorum ecclesia seruat, non autem eum, quem contra scripturas, contra iura tam ecclesiastica quàm ciuilia, contra denique tot annorum centenarys in Ecclesia Christi seruatam consuetudinem inuehunt aduersarij, ut scilicet sacerdotes uotifragi quas uelint ducant uxores: scilicet hoc est purum Dei uerbum, hæc ueritas euangely, vt libidini indulgeas: et pro arbitrio frena laxes: ac non potius, vt mundi sint, qui ferunt uasa domini, ut carnem suam cum vitiys & concupiscentiys crucifigant.

Confirmat hoc Euangelium articulum illum fidei, quo profitemur in ecclesia esse sanctorum communionem, iuxta illud Psal. 118. Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua: quum enim fideles omnes, sint unius corporis membra, cuius caput Christus, à quo influxum gratiæ cœlestis omnia membra recipiunt, sequitur (ut in rebus corporeis uidemus) membrum membro iuuari, & pro seinuicem esse sollicita membra.

FERIA SEXTA HEBDOMADÆ tertiæ. Euangelium Ioannis IIII.

VENIT ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob, Ioseph
Gen.48.d filio suo. Erat autem ibi, fons Iacob.

cob. IESVS autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora autem erat quasi sexta. Venit autem mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei IESVS: Da mihi bibere. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem ut cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana. Quomodo tu Iudæus quum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Respondit IESVS, & dixit ei. Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquã uiuam. Dicit ei mulier, Domine neq; in quo haurias habes, & puteus altus est: unde ergo habes aquam uiuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filii eius, & pecora eius? Respondit IESVS, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum. qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque ueniam huc haurire. Dicit ei IESVS, uade, uoca uirum tuum, & ueni huc. Respondit mulier, & dixit, Non habeo uirum. Dicit ei IESVS, Bene dixisti. Quia non habeo uirum. Quinque enim uiros habuisti: & nunc quem habes, non est tuus uir.

uir. hoc uerè dixisti. Dicit ei mulier. Domine, uideo quia propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & uos dicitis quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet. Dicit ei IESVS, Mulier, crede mihi quia ueniet hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est, &c.

Christus sublimia religionis Christianæ mysteria huic Samaritanæ communicat, quæ abscondita à sapientibus erant huius mundi. Agit autem præcipuè hoc dialogismo Christus tria.

PRIMO, *Occasione aquæ, quam sitibundus, nam hora erat quasi sexta, quæ nobis est meridies, in ipso æstu, & fatigatus scilicet ex itinere quod non curru aut equo uectus, sed pedes ut summam suam paupertatem demonstraret transegerat petit, ut ad colloquium Samaritanam inuitet, quæ à Iudæorum consuetudine abhorrebat: docet fore ut gratia noui testamenti in gentibus effunderetur. sese enim ideo à patre esse missum sciuit, ut nouam hanc philosophiã*

igno-

ignotam mundo adferret, ideo inquit, Si scires donũ Dei. & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere. quasi dicat, ignoras tu, ut etiam mundus, magnum illud pietatis sacramentum, quod 1. Timoth. 3. manifesta tum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gẽtibus, creditũ est mundo, &c. Hoc donum qui ex lumine fidei agnoscit, experitur suam inediam, sitim, necessitatem: proinde petit ab eo, & accipit aquam uiuam, donum scilicet gratiæ cœlestis, quæ mundat ab omnibus inquinamentis, Ezech. 36. Ephes. 5. sitientes recreat. Apoc. 22. Isa. 55. & laborantes & oneratos reficit. Matth. 11. Hi sunt enim effectus spiritus sancti quem intelligit Christus hũc qui acceperunt, flumina de uentre eorum fluunt aquæ uiuæ. Ioã. 7. Porrò mulier quæ nondum sublimem hanc assequi poterat doctrinam, vtpote carnalis adhuc, sui fontis aquã commendat, à dignitate personarum qui ea sunt usi, à copia, & ab antiquitate. Christus autem ut hanc prorsus à rebus hisce caducis ad cœlestem hanc philosophiam pertraheret, ostendit uirtutem eius quam pollicetur, aquæ esse, ut fideles in Christo regeneratos fide, spe, & charitate, iustitia, aliisq́ fructibus spiritus ita exornet, ut tandem non sitiant in æternum: dum. s. reuelata facie gloriam domini contemplabuntur. hoc enim est quod ait: Qui biberit ex hac aqua non sitiet iterum. & insuper occasione secreti quod tanquam Deus; & Καρδιογνώστης. Ier. 17. potuit de conditione mulieris prodere, quo ostendit se nihil præter salutem

tem humanæ naturæ spectare, eam autem nulli contingere posse, nisi præcedat sui ipsius cognitio, quam ignorantia Dei, peccati illecebræ, & terrenarum rerum cupiditates tollunt, donec restituatur per Christum: tunc enim (ut in hoc uidere est) accrescit cognitio redemptoris, scientia rerum diuinarum, & desiderium ueritatis. nam, quem antè Iudæum cõtemptum appellauit, iam fide illustrata dominum, prophetam, & Messiam appellat: domine, inquit, ut uideo propheta es tu. Proinde occasionem nacta, uehemens discendi studium prodit: solutionem petit agitatæ diu inter Iudæos & Samaritanos quæstionis: de uero scilicet cultu Dei. an scilicet in monte garisim, ut Samaritani, uel Hierosolymis ut Iudæi sit adorandum. Vtrique autem sibi uidebantur certi & securi de suo cultu. nam Samaritani sequi se dicebant antiquam patrum consuetudinem, scilicet sanctissimorum patriarcharum Abrahæ, Isaac, & Iacob, qui in monte hoc adorauerunt. Samaritani isti qui fuerint, uide 4. Regum 17. nempe Babilonij & Medi, in Samariam, postquam esset à Chaldæis expugnata, translati: quum decem tribus, quæ Israelitæ uocabantur, essent abductæ, hi partem legis, id est pentateuchum, tantum admiserunt, & idolomaniam cum uero Dei cultu adiunxerunt. uerum. Iudæi habebant expressum Dei uerbũ. 3. Reg. 8. 9. testimonia prophetarum. Isa. 56. Deu. 12. Christus autẽ uolens utranque opinionẽ cõfutare, docet Samaritanos, et Iudæos errare, quia illi adorabant quod ne

sciret

ſcirent.1.Corinth.8. ſcimus quia idolum nihil est, ſed iſti etſi verum Deum adorarent, quia tamē crebant nuſquam eum quam Hieroſolymis orantiū preces audire, poſſe grauiter allucinabantur.

SECVNDO, *Confutat falſam Samaritanorum, & Iudæorum ſuperſtitionem, quam vtrique de adorandi loco imbiberant, docens quod neque in Hieroſolymis, neque monte garizim, ſed in omni loco, iuxta illud Malach.1.non eſt mihi voluntas in uobis: ſed in omni loco nomini meo offeretur oblatio munda. non enim ad certa loca deus eſt alligatus, ſed ubique adeſt, cordium gemitus audit, & orantes uidet. Si tamen, vt docet hic Chriſtus, ueri ſint adoratores, hoc eſt, ſi patrem in ſpiritus, & ueritate adorent. nam & pater tales quærit adoratores non qui labijs ſic adorant, ut cor procul abſit, horum enim mēs ſine fructu eſt.1.Cor.14.& qui in multiloquio ſe putant exaudiri. Matth. 6.hos enim deteſtatur Iſa.29.populus hic labijs me honorat, &c. ſed qui corde credant ad iuſtitiam, & ore confiteantur ad ſalutem, vt ſcilicet pſallant ſpiritu, pſallant & mente.1.Corinth.14.*

TERTIO, *Docet quare ueram fidelium orationem oporteat eſſe in ſpiritu & ueritate, quia, inquit Chriſtus, Deus ſpiritus eſt, ſcilicet increatus, immenſus, cuius maieſtas nulla ratione humana, imò ne angelica, comprehendi poteſt, totus ubique præſens. ergo & in ſpiritu colendus eſt, uenerandus, & adorādus, neque in ſpiritu tantum, ſed ueritate, in corde perfe-*

sto, in iustitia, & sanctitate veritatis. Opponit autem Christus cultum, quem vult æterno patri exhiberi, iudæorum, samaritanorum, & gentilium cæremonijs, qualis erant typica, holocausta, sacrifisicia, & oblationes, superstitiosæ in certo loco orationes, & uota, & impia sacra uictimæ ex hominum carnibus, et cultus dæmonibus exhibiti, nō autem, vt impiè uolunt suuencfeldiani, anabaptistæ, & enthusiastæ, christianæ religionis cæremonijs, quæ in spiritu & ueritate, ex fide scilicet & charitate Deo offeruntur. Siquidem in ea quæcunque sunt externæ cæremoniæ, uel scripturis, vel Apostolorū aut patrum traditione institutæ, ad fidei, spei, charitatis, & religionis Deo exhibendæ spectant promotionem, adeò vt si adferri possint quæ ad hunc scopum referri nequeant, aut saltem ad proximi ædificationem promouendam, has ego nulla ratione ferendas putarem.

SABBATO HEBDOMADÆ tertiæ. Euangelium Ioannis VIII.

CAPVT VIII.

IESVS autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum uenit in templum, & omnis populus uenit ad eū, & sedens docebat eos. Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierē

in adulterio deprehensam, & statuerunt eā in medio, & dicunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant ten- Leu.20. b
tantes eum, ut possent accusare eum. IESVS autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terram. Cum ergo perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine Deu.17.b
peccato est uestrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terram. Audientes autem hæc, unus post unum exibant incipientes à senioribus: & remansit solus IESVS, & mulier in medio stans. Erigens autem se IESVS dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem IESVS: Nec ego te condemnabo. Vade & iam amplius noli peccare.

Christus impetitus astutijs Pharisæorum magna arte elabitur. sed ita ut falsam eorum hypocrisin prodat, feriendo ipsorum conscientias: Tria agit in hoc Euangelio. Nam

PRIMO, discernit Christus hoc loco inter legem, quæ terret seueritate pœnarum, qua peccata & flagitia punit, & euangelium, quod pœnitentes in gratiam recipit, sed ita, vt vtrique suum forum relinquat, neque enim, vt falso uolũt Anabaptistæ, tollit hic Christus omnem ciuilem & politicam authoritatem, nã patienter audit accusatores, ream non statim absoluit, & sententiam ex lege prolatam non damnat, vt iniquam, dum Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam adducunt, hanc in medio statuunt, & lapidandam ex Mose pronunciant. Siquidem in omni lege hoc adulterij malum semper grauissimè punitum est. etiam apud eos qui Dei cognitionem non habebant. Nam Aegyptij adulteros uirgis cædebant, mulieres naso mutilabant, Arabes adulteros capite plectebant, Græci mœchum in adulterio deprehensum, impunè permittunt necari, & Iudæi ante legem datam, igne puniebant, Genes. 38. de Thamar. In Leuitico mors tantum decernitur. Huc pertinet & sacrificiũ Zelotypiæ. Nu. 5. At nunc, pròh dolor, apud solos Christianos tantũ nunc ludus est, qui nec legibus ciuilibus, nec horrendis comminationibus uerbi Dei. 1. Cor. 6. Heb. 13. Prouerb. 6. 26. Ecclesi. 23. terrentur. Voluit autem Deus hoc malum, vt etiam cætera, quæ publicam pacem perturbant, morte puniri, non quod ea pœna esse posset satisfactoria. quia Christi morti hoc seruabatur, delere. s. peccatum, sed ne populus malum exemplum secutus, mala impunita non putaret esse

mala. Id enim tantum agit hoc euangelio Christus, ut discernat suum regnum à regnis prophanis, quorum est actiones ciuiles, capitales sententias, forensia negotia, & politicam iurisdictionem cognoscere, ac pro reipublicæ pace eas tractare. Rom. 13. Regnum autem Christi est tantum spectare salutem animarum, eamq́; promouere, prædicatione uerbi, fide, spe, charitate, sacramentorum administratione, quibus pœnitentes in gratiam recipit.

SECVNDO, Dum sese inclinat, & digito scribit in terram, quodnam ueri iudicis sit officium exprimit, nempe, ut Seneca inquit, Cito cognoscere, & tardè iudicare, ac cum propriæ naturæ consideratione sententiam ferre. Deinde scribarum, & pharisæorum singularem hypocrisin notat, quod scilicet falso præferant zelum iustitiæ, quum interim ipsi non minus essent coram Deo rei ac damnati, quam hæc misera: quia uiuebant sine metu iudicij diuini, quod non publica tantum peccata, sed etiam occulta puniet. In terram autem scribendo significat quale futurum sit de impijs, sceleratis, & peccatoribus iudicium, quod scilicet Hiere. ca. 17. 22. exprimit. Recedentes à te in terra scribantur. terra enim impiorum liber est, sicut cœlum electorum & prædestinatorum. Luc. 10. gaudete, quia nomina uestra scripta sunt in cœlis. item psal. 68. deleantur de libro uiuentium, & cum iustis non scribantur. Dum uerò se erigendo, ita sententiam profert, dicendo: Qui si

ne peccato est uestrum, primus in illam lapidem mittat, non hoc agit ut ream non prorsus absoluat, & legem qua huiusmodi malum punitur, eneruet, & iudiciariam potestatem damnet, quasi ministros iustitiæ prorsus impeccabiles esse uelit, sed tantum suã functionem discernit ab officio ciuilis politiæ: quasi dicat, meum munus est de pœna corporali nihil statuere. ò homo quis me constituit iudicem super uos? Luc.12. est enim spirituale, iubeo uos audire legem, sed politici magistratus est pœnas irrogare: non enim sine causa gladium portat. Rom.13. 2. Paralip.19. Errant uehementer qui ex hoc loco putãt nemini licere sontes punire, nisi qui sine peccato sit. qui ergo essent legis ministri? quũ nemo sine peccato sit. sed quũ magistratus minister Dei sit, uindex in irã ei qui malè agit, sequitur priuatorum uitia publicæ eorum non derogare functioni, ideoq́; rectè magistratus, uel adulteros, uel quoscunque sontes punit: etiam si is qui publicam personã gerit, nec pius sit, nec reprehensione careat. etsi omnino deceret ut lex iusta secundum August. ministros haberet innocentes, ne dum alios iudicant, se ipsos condemnent. Rom.2.

TERTIO, Proponit uarios euangelij effectus, quod non secus ac sol, pro conditione materiæ in quam agit, uel obdurat, liquefacit. Sic Christi sententia falsos hypocritas & accusatores qui in occulto agebãt quod publicè arguebant, condemnat. quum enim debuissent resipiscere, & oblatam ab ipso gratiam am

cti,

plecti, excæcati, & obdurati propria malitia, & accusante ipsos conscientia ipsorum, quæ non permisit ipsos coram seuero, & iusto iudice Christo, qui cordium ipsorum penetralia intueretur, diu consistere. sed ut fugit impius nemine prosequente. Prouerb. 28. ita malè sibi conscij, et metuentes ne proderet ipsorum flagitia, unus post alterum exibant, incipientes à senioribus. Conantur enim impij fuga, & occultatione peccatorum euadere iudicium Dei. Verumtamen miseram hanc & ream, quam peccati cognitio, quæ prima salutis adipiscendæ pars est, & fiducia misericordiæ, apud Christum continebant. (neque enim alibi remissio peccatorum obtinenda est) absoluit non legē quæ publica facinora punit, soluendo: sed tanquam imperator & legis author gratiam concedendo. Significat enim hoc facto Christus, se uerum esse Messiam, cui pater omne iudiciū dederit, ut possit cui uelit misereri, & quē uult iusto iudicio obdurare. quibus autē miseretur, hos nemo condemnat. Rom. 8. quis enim accusabit aduersus electos? Idcirco mulier hæc, quia iam per fidem senserat se iustificatam, & habere pacem cum Deo, Ro. 5. secura consistit: quia accusatores, aduersarij, & iudices, quanquam potentissimi, cesserant. Quis enim est qui condemnet, illo absoluente qui uitæ & mortis habet imperium? Exhibet ergo hic Christus exemplum gratiæ, & misericordiæ, dum pronunciata sententia condonationis ijs qui ex lege peccati merito damnantur. sed ita ut perpetuam ab ijs re-

quirat obedientiam mandatorum, dum ait: Nec ego te condemnabo, uade in pace, & amplius noli peccare. neque enim satis est, semel instificationem accepisse, nisi magna cautione obseruent, ne acceptam gratiam perdant, in eadem impingendo. necesse est enim eos qui conuersi sunt obsequi spiritui sancto, bonis operibus inhærendo, ut certam suam uocationem faciant.

DOMINICA QVARTA Quadragesimæ. Euangelium Ioannis VI.

CAPVT VI.

Mat. 14. b
Mar. 6. e.
Luc. 9. b.

POST hæc abiit IESVS trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis: & sequebatur eum multitudo magna, quia uidebant signa quæ faciebat super his, qui infirmabantur. Subiit ergo in montem IESVS: & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum pascha, dies festus Iudæorum. Cum subleuasset ergo oculos IESVS, & uidisset quia multitudo maxima uenit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans sum. ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non suffici-

unt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas, frater Simonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Dicit ergo IESVS, Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerũt ergo uiri, numero quasi quinque millia. Accepit ergo IESVS panes: & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum uolebant. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis quæ superfuerunt his qui manducauerant. Illi ergo homines cum uidissent quod IESVS fecerat signum, dicebant: Quia hic est uerè propheta, qui uenturus est in mundum.

Complectitur hoc Euangelium quinque.

PRIMO, *Consolationem contra tentationem de uictu, arte parandi uitæ necessaria, & honestate uitæ manifesto siquidem exemplo docet omnibus quærentibus Dei regnum, iustitiam, gloriam, nunquã desore uitæ necessaria: quanquam enim inter istos Christi*

sti sectatores multi essent, quibus dispar fuit sequendi ratio. Nam alij ex curiositate, vt scilicet uiderent insolita, alij ex ignauia & socordia, vt otiosi fœliciter uiuerent, alij uero maleuolo affectu, vt calumniandi occasionem nanciscerentur, sequebantur: quos tamen non omnino deserit Christus, etsi nolit nos aut se aut suo uerbo abuti ad carnis uoluptates. non enim Deus pater proposuit filium suum vt sit carnalis, ac terrenus tantum, sed vt sit spiritualis, & qui remissionem peccatorum & iustitiam largiatur. Potuisset quidem Christus ineffabili sua potentia sustentare ipsos, vt olim Mosen, & Eliam. Atqui vt doceret externa subsidia non esse reycienda, quãdo haberi possunt, idcirco adhibuit, tum etiã vt tã Apostolis quàm turbis perspecta fieret eius diuina uirtus. neque uerò statim succurrit, sed dissimulatione quadam vtitur, ut doceret patris sui æterni consuetudinem, qui solet quãdoque surdus ad piorum preces uideri, vt dilatione in afflicto excitet maiorem ardorem inuocandi. Hæc autem Dei operatio magnos in nobis fructus parit, scilicet tolerantiam passionum, obedientiam eorum officiorum, quæ deo & proximo debemus, & constantiam in oratione. sunt autem studioso ecclesiastæ obseruandæ cæremoniæ, quibus in hoc miraculo vtitur Christus: plus enim in recessu continent, quàm fronte promittunt. quod enim patri gratias agit, quod panes frangit, quod Apostolis distribuit, significat se eundem esse cum patre, à quo omne donum descendit: atque adeo

deo omnia beneficia ex summi patris uoluntate contingere, ac multiplicari gratiarum actione, ac fractione, quando scilicet in usum pauperũ partimur.
SECVNDO, Exemplo apostolorum docet pastores, cõcionatores, & episcopos, quos scilicet spiritus uoluit regere ecclesiam, quam acquisiuit Christus sanguine suo. Actor. 20. atque etiam prodesse aut praeesse. 1. Cor. 4. uel spiritu mansuetudinis, uel uirga supplicij, quomodo scilicet forma facti gregis ex animo etiam debeant rationem habere, non tantum sanae doctrinae, qua subditorum animi pascantur: sed etiam subsidiorum corporalium. Idcirco enim, ut rectè monet Ambros. lib. 2. offic. cap. 28. aurum habet ecclesia, non ut seruet, sed vt eroget, & subueniat necessitatibus. Quanquam hic de ratione doctrinae potissimum agatur, ut ea sit pura. sana, & catholica, continens eum, qui secundum ueritatem est, fidelem sermonem, ad Titum. 1. qualem scilicet ipse à Christo Apostolis scripturis, & ecclesiae diffinitionibus, accepit: huic officio si, ut oportuit, non defuissent prò dolor multi, non tantas uires iam obtinuissent haereses & schismata, quae miserè ecclesiam labefactant, sed miserebitur aliquãdo ecclesiae suae Christus, eãq; eripiet è faucibus furum, latronum, & mercenariorum, substitutis ueris pastoribus, qui famelicos pascent uerbo & exemplo Hieremiae. 3. si tamen quod ouium est praestent fideles, hoc est, obtemperent rectè imperantibus, ut enim Christum misit pater, ut esset Rex, & Sacerdos: ita ipse Apostolum misit cum

cum plenitudine potestatis ligandi & soluendi: quos qui spreuerit, non hominem, sed Deum spernit. 1. ad Thessa. 4.

TERTIO, *Superfluitas fragmentorum demonstrat bona per eleemosynas erogata fidelibus augeri, multiplicari, Licet enim ad miraculi confirmationem potissimum iusserit Christus fragmenta superesse, quia tamen omnis Christi actio, nostra est instructio, altius paulò hic nos assurgere uoluit, atque adeò, si allegoriã spectemus, insinuare se unicum esse animarum pastorem, qui scripturarum panes, quo saluantur animæ, nobis fregerit: dum scilicet aperit nobis sensum ut intelligamus eas. Luc. 24. Vel si ethica magis placeat doctrina, significat, quæ sit eleemosynæ, non ex tristitia, uel ex necessitate, sed hilari corde ut monet Apost. 2. ad Corint. 9. proficiscentis energia nimirum eos, qui non ex rapto, aut illicitis eleemosynas distribuunt, ueram iustitiam consequi, abundare in omne opus bonum, siquidem Deus ipsis panem ad manducandum præstat, multiplicat senem, & auget incrementa frugum iustitiæ, ut in omnibus locupletati abundent in omnem simplicitatem. Quod uerò fragmenta apud Apostolos esse uult, non obscurè quoque significat episcoporum, et eorum qui præsunt ecclesiis esse munus, ut eleemosynarum sint dispensatores: & pauperum, egenorum, mendicorumq́; ita rationem habeant, ut sciant eos quoque ad se pertinere.*

QVARTO, *Dum colligi fragmenta iubet, prodigalitatem*

litatem prohibet, & parsimoniam præcipit. Vult enim Deus nos reuerenter uti donis quæ nobis concedit, scilicet ad usus uitæ necessarios, & ab ipso ordinatos: grauiter contra hoc præceptum peccant, tum prodigi, qui illicitè profundunt, turpiter helluantur, aleis, scortationibus, commessationibus substantiam omnem abliguriunt. tum etiam auari, qui prætextu parsimoniæ argentum & aurum erugine corrumpi sinunt. Iacobi 5. Vestes à tineis rodi patiuntur, imò genium suum defraudant miserè. Solet enim subinde Deus hæc mala grauissimè punire, dum patitur Respublicas alioqui florentissimas, imò quandoque urbes & regna inopia, fame, & bellis exhauriri: si quidem plerunque luxus comes sit egestas, ut auaritiæ & cupiditatis, miseria & sordes. Isa. 5. Væ qui consurgitis mane, &c. siquidem scriptura teste, Ecclesiastici 14. Viro cupido & tenaci sine ratione est substantia. uide etiam Ecclesiastici 10.

QVINTO, Quod facto miraculo fugit Christus, significat quantæ uirtutis sit opes, diuitias, & potentiã fugere: non quod omnino mala sint, sunt enim bona Dei dona, ut ostendit August. epistola 89. non enim est potestas nisi à Deo. Roman. 13. Atqui docere uoluit Christus se à patre non esse missum ut armorum potentia, populi multitudine, uel regio fastu pollitică administrationem gubernaret, ut etiamnum somniant cæci Iudæi, sed ut fieret uictima et sacrificium pro peccato, ut in cordibus fidelium dominaretur, fide, spe, & charitate quibus perfecta consistit iustitia.

tia, & remiſſio peccatorum obtinetur per Chriſtum qui ſolus iuſtificat impium. hæc enim longè ſublimiora erant illis externis quæ admirari ſolet mundus. atque ad hæc ut ſe ueniſſe demonſtraret Chriſtus, fugit in deſertum: ipſo facto demonſtrans, quantum ſit ambitio, ſuperbia, et iactantia in rectè factis cauenda: ea eſt enim induſtria dæmonis, ut norit his artibus etiam optimas uirtutes corrumpere. quare hæc uitia ſemper omnibus pijs ſunt metuenda.

FERIA SECVNDA Hebdomadæ quartæ. Euangelium Ioannis II.

ET prope erat paſcha Iudæorum, & aſcendit IESVS Hieroſolymã, & inuenit in templo uendentes oues & boues, & columbas, & numularios ſedentes. Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & numulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit. Et his qui columbas uendebant, dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. Recordati ſunt uerò diſcipuli

Pſ.68.b. eius, quia ſcriptum eſt, Zelus domus tuæ comedit me. Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei. Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? Reſpondit IESVS, & dixit eis. Soluite

uite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi, Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cùm ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni quem dixit IESVS. Cùm autem esset Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, uidentes signa eius quæ faciebat. Ipse autem IESVS nõ credebat semetipsum eis: eo quòd ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

Mat. 26. f & 27. c.. Mar. 14. f & 15. c.

Psal. 3. b. & 56. c

Hoc Euangelium magnum Christi Zelum, quem erga eos qui pietatis & religionis prætextu impunè peccabant, ostendit. Docens quodnam præcipuum esse debeat munus

PRIMO, *Episcoporum & aliorum Pastorum, quos posuit spiritus sanctus regere ecclesiam, quam acquisiuit Christus sanguine suo. Act. 20. Ephes. 4. nem*

po

pe flagello è funiculis facto abigere uendentes, ementes, & nummularios è templo atque etiam boues, oues, columbas, & æs eijcere: nullus enim periculosior morbus ecclesiam inuadere potest, quàm qui pietatis, & religionis prætextu, ecclesiam uastat. Non minus enim eam offendit improba multorũ, qui quæstum æstimant esse pietatem, hypocrisis, auaritia, et simonia, quam hæresis, lasciuia, & ebrietas, ex una etenim radice prauæ concupiscentiæ, illa æquè atque hæc nascuntur: nec minus turbarum pariunt illa quàm hæc: adeò vt omnis præsentis in ecclesia tragœdiæ causa sit impia simoniacorum, & hypocritarum apertos errores defendentium proteruia. hos certè non decet episcopos & pastores in spiritu lenitatis, & mansuetudinis excipere, ut monet Apostolus Gal. 6. sed, vt hoc facto suo docet Christus, magna seueritate coercere. Donec enim in ijs quæ ad morum reformationem attinent, officio suo defuerint ij quorum interest, scilicet episcopi & pastores, nunquam huius mali, quo misere iactatur ecclesia, amolitionem sperare licebit.

SECVNDO, Docet non satis esse ad ueram Ecclesiæ reformationem, si impetu quodam feraris ad scandalorum ex ecclesia extirpationem, sed zelum esse condiendum scientia & verbo Dei, ne pro antidoto uenenum porrigas. Christus enim non tantum flagellis, & verberibus rem agit, sed eam ratione, & verbo Dei munit. sola enim authoritas si duobus hisce fulchris destituatur, non solum non corriget, sed

magis destruet. ministrorum autem ecclesiæ authoritatem in ædificatione vult esse Paulus, non in destructionem. 2. Corinth. 13. Christus itaque nummulariorum effuso ære, & mensis prostratis, dixit iis qui columbas uendebãt, id est, qui necessitate potius quàm malitia peccabant, quales erant hi pauperes, talium enim erant merces columbæ, sicut & ipsorũ peculiaria sacrificia. Auferte ista hinc. Licet enim prima fronte uideantur spectare ad Dei cultum, & gloriam promouendam, ne cui scilicet deesse possint ea quæ in sacrificia aut corban offerant, uult tamen Christus omnia ea auferri, ex quibus scandali occasio nasci posset: non sunt enim facienda mala ut inde ueniant bona. spectabant enim hi non Dei gloriã sed suum quæstum & uentrem. quos utinam hodie in multis non imitemur, vt uentris potius quã Dei rationem habeamus, quos grauiter perstringit Hiere. cap. 11. Quid est, inquit, quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? hi certè mihi uidentur (vt de simoniacis, quorum morbus longè est pestilentissimus ecclesiæ, nihil dicam) qui quum pietatẽ & ueram religionem sese defendere iactitant, omnia tamen ea quæ ad Dei cultum sunt instituta, in suum quæstum conuertunt: non uasa tantum sacra, sed etiam quoad possunt loca ipsa in usus prophanos commutant. quid est, si hoc non est facere domũ patris cœlestis, domum negotiationis? Vide, quæso, si hæc non rectius in nostri temporis hæreticos, quã ecclesiæ catholicæ et Romanæ ministros conueniat:

qui licet iniqui pensionibus, beneficiorum pluralitatibus, concubinatu, quæ sanè grauissima sunt in ecclesia scandala, illam defœdent, longè tamen grauiora talium hæreticorum sunt facinora.

TERTIO, Quum domum patris sui, non uult domum negotiationis fieri, manifestè anabaptistarũ, suuencfeldianorum, aliorumq́; hæreticorum errores confutat, atque catholicæ ecclesiæ veritatem de conseruanda rerum, & locorum religione confirmat: nec peccare eos qui loca sacra orandi causa accedunt, modo absit superstitio, & falsa opinio, quam nos æquè atque illi detestamur, qua scilicet putent fideles Deum sic alicui loco alligatũ, vt alibi exaudire nequeat. non enim deterior est conditio Christianorum, quàm fuerit Iudæorum: illos ergo si in templo potuit audire orantes, cur non & nos poterit? Seruetur ergo templis suis honos, uult enim in illis orari Deus: verbum suum doceri, sacramenta fidelibus administrari, eaq́; quæ ad religionem spectant tractari. Si quis enim templum Dei uiolauerit, disperdet illum Deus: quod licet de spirituali templo quidam intelligant, tamen Corinthios grauiter obiurgat, quod in ecclesia aut ebrij, aut adebrietatem conuenirent. 1. Corint. 11.

QVARTO, Quàm sint ex hac Christi seueritate secuti euentus dispares. nam excæcati propria malitia Pharisæi, non contenti ea actione, quæ, Hieronymo teste, omnia penè miracula superat, qua se solum tantæ obiecit turbæ, elucescente nimirum radio

dini-

diuinitatis qui impios percellebat, et in fugã uertit petunt à Christo signum, & miraculum, quo scilicet demonstret hanc functionem sibi à Deo patre concessam: quemadmodum Moses, Gedeon, Phinees signis suam vocationẽ diuinitus cõfirmarunt: Christus autem quum indignos eos aperto aliquo miraculo iudicaret, quod sciret eos calumniaturos quicquid faceret, proponit illis sub obscuro ænigmate suam passionem, & mortem, quam illi erant intentaturi, ac denique resurrectionem, quam ex diuinitate sua reciperet propter iustificationem nostram. Rom. 4. Quæ sublimia mysteria carnales, qui non percipiunt ea quæ sunt spiritus Dei, et animales, qui non sapiunt ea quæ Dei sunt, iudæi non poterant assequi, sed de temporali templo dici putabant. Discipuli uero, & quibus odio & inuidia mens nondum erat excæcata, crediderunt vt in illis ostenderetur iudicium: in his uerò, misericordia. venit enim Christus in hunc mundum, vt videntes non videãt, & audientes non intelligant. Ioan. 9. Illud tamen hoc loco obseruandum monet Euangelista, multorum fidem admodum fuisse dubiam & infirmam, quippe qui ex miraculorum consideratione nata tãtum fuit, nec radices in ipsorum animis egerat: proinde licet propensi admodum in Christum uiderentur, tamen se non credebat ipsis, ipso facto ministros uerbi monens, ne temerè se committant auræ populari, aut ex vulgi opinione & existimatione se iudicent. est enim Euripo magis varium vulgus.

FERIA TERTIA HEBDOmadæ quartæ. Euangelium Ioannis VII.

IAM autem die festo mediante, ascendit IESVS in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Respondit eis IESVS, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis uoluerit uoluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. qui autem quærit gloriam eius qui misit eum, hic uerax est: & iniustitia in illo non est. Nonne Moyses dedit uobis legem, & nemo ex uobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes: quis te quærit interficere? Respondit IESVS, & dixit eis: unum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit uobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus: & in sabbato circunciditis hominem. Si circuncisionem accipit homo in sabbato ut non soluatur lex Moysi: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite iudicare secundum faciem,

Leu.12.a Deut.1.c.

sed

ſed iuſtum iudicium iudicate. Dicebant ergo quidam ex Hieroſolymitis: Nonne hic eſt quem quærunt interficere? Ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid uerè cognouerunt principes, quia hic eſt CHRISTVS? ſed hunc ſcimus unde ſit.

Complectitur hoc Euangeliũ, præter grauem cum Iudæis habitam à Chriſto contentionem, de vera feſtorum colendorũ ratione, præcipuam quoque ſalutis adipiſcendæ rationem, quam docet non in ſola fide, ſed obedientia mandatorum eſſe conſtitutam. Agit autem quinque.

PRIMO, *Confutat inuidioſam iudæorum de ſe, ſuaq; doctrina admirationem, quam duabus de cauſis cõceperant: ſcilicet quod literas ſciret, & quod non didiciſſet. ſiquidem ignorantia peccati, merito propria eſt humanæ naturæ, quæ ſine ſtudio, diligentia ſuperari non poteſt: quam quum in Chriſto non animaduertiſſent, quia nihil ſublimius de ipſo quàm de alio*

 quouis

quouis cogitabant, admirabantur ipsum tanta maiestate, gratia, atque eruditione docere: non sicut scribæ & pharisæi, sed quasi potestatem habens Mar. 1. scilicet non Pharisaicas superstitiones, non frigidas legis ceremonias, sed cœlestem illam euangelij doctrinam hactenus ignotam mundo, angelis, & hominibus, Christus autem vt eos, qui puram hanc euangelij doctrinam, quam ipse è sinu patris mundo attulisset, amplecterentur in sua fide confirmaret, docet eam non esse aut humanam, aut carnalem, dum ait, mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me patris. quibus verbis eandem sibi esse cum patre naturam docet, hoc est, non adoptione, sed natura se Deũ esse. proinde nec hanc doctrinam aliter quàm à Deo profectam esse recipiendam. Admonens omnes verbi ministros, ne sua somnia populo, sed Dei verbum annuncient.

SECVNDO, Deinde quomodo hæc cœlestis doctrina apprehendi possit, demonstrat, scilicet fide, & opere, dum ait: Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina mea, vtrum ex Deo sit. quibus verbis non id agit vt doceat opera fidei esse meritoria. Fides enim prima datur, per quam cætera impetrantur: & nemo nisi ex fide operatur, sed homini etiam post receptam fidem eam inesse animi libertatem, vt possit eam vel recipere vel reijcere, siquidem, neminem cogit Dei gratia. Errant ergo philosophi & hæretici qui fatali necessitate omnia euenire contendunt. Christus enim, vt alijs innumeris scriptu-

ra

ræ locis, liberi hominis arbitrio concedit, Dei patris voluntatem facere, non quasi eam sine gratia possit vt voluerunt Pelagiani, implere, sed quia acceptam gratiam, sine qua bene agere nequit, liberè potest dũ vult reijcere. Ad exactam igitur voluntatis diuinæ cognitionem, quæ scilicet ad æternam salutem requiritur, non sola fides, uel inanis fiducia sufficiunt, sed requiritur obedientia mandatorum Dei. Iuxta illud: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Matth. 19. hoc qui fecerit, à semetipso non loquitur, & gloriam propriam non quærit. Hoc enim peculiare omnibus hæreticis, hypocritis & ambitiosis, vt prætextu nominis Dei, cupiditatibus consulant suis, & omnia sua gloriæ Dei præponant: vt econtrà, qui veri sunt Dei prophetæ & ministri, hi solam Dei gloriam quærunt, eius iustitiæ sese subijciunt, toti ab illo dependent, ita vt iniustitia in ijs non sit vlla.

TERTIO, *Iudæos transgressæ legis reos fecit, dum ait. Nonne Moyses dedit vobis legem? &c.* Ostendens eos esse sub maledicto legis. Maledictus enim omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in lege. Et quis sit verus, & legitimus vsus legis, ostendit, vt scilicet impleatur fide, & operibus, coercens manuum actionem, & cordis cogitationem. Siquidem præceptum de non occidendo non impleuit, qui metu legis manum ab homicidio abstinet: sed qui ne odium quidem in corde admiserit, idem de adulterio, de furto iudicium, nam iuxta legis intentionem homicida est, qui odit fratrem suum, adulter, qui vi-

derit mulierem ad concupiſcendum eam, & fur, qui concupierit rem proximi: idem de omnibus legis præceptis iudicium. Proinde Chriſtus hac ratione Iudæos homicidij in ipſum concepti arguit, declarans ſe eum eſſe, qui abdita cordium ipſorum penetrare poſſet.

QVARTO, *Si circuncisionem accipit homo in ſabbato, vt non ſoluatur lex Moſi*, legem de ſabbato interpretatur, eamq́ ex Dei ordinatione docet inferiorẽ eſſe ea, quæ de hominis ſalute præcipitur: proinde cedere debere quoties proximi neceſſitas id exigeret. eſt enim filius hominis, dominus ſabbati: neque enim homo propter ſabbatum, ſed ſabbatum propter hominem eſt, nam pædagogicum, & cæremoniale tantũ erat ſabbatum iudæis præceptum, ſignificans ab operibus malis & peccatorum fideles otiari debere, vt eſt Iſa. 58. Hebr. 4. Luc. 14. Charitati autem, quæ finis præcepti eſt, omnia cærimonialia, iudiciaria, & moralia inſeruire debere. Hoc enim eſt diem ſabbatum ſanctificare, proximi ex charitate ſuccurrere inopiæ, miſeriæ, & neceſſitati. huic enim nulla lex obſtare poteſt. ſi enim brutis lapſis, vt ait Chriſtus, licet ſuccurrere, multo magis homini, vt argumentatur Chriſtus, Luc. 14. Verum hic oportet diſtinguere inter contemptum, & neceſſitatem, nam hic lege punitur, vt patet in eo qui ligna collegit. Num. 15. ſed hæc vbique in omni lege excuſatur.

QVINTO, *Prohibet à temerario iudicio*, quia id ſemper in omni Republica grauiſſimos motus ac tumul

tus

tus excitare solet, ac non uult Iudæos vel odio uel inuidia suæ personæ, miracula in sabbato facta iniquius æstimare, quàm ea quæ Moysi lege permittuntur. Permisit autem ea in Sabbato circuncisionem. Ioan. 7. oblationem sacrificiorum Matth. 12. & lapsum bouem aut asinum erigere. Lucæ 14. Iniquè ergo contra Christum obmurmurabant, qui veram salutem, cuius typum illa adumbrarunt, attulit. Itaque grauiter in ipsos inuehitur, omnem illis ignorantiam, & excusationem adimens, dum ait, Et me scitis: & unde sim scitis: quia scilicet, ut iactatis, Moysi discipuli estis, sed ille de me scripsit. Scripturæ quoque, quas scrutamini, illæ testimonium perhibent de me. Igitur si Moysi et scripturis creditis, me nostis. Proinde nulla uobis superest excusatio ignorantiæ.

FERIA QVARTA Hebdomadæ quartæ. Euangelium Ioannis IX.

CAPVT IX.

ET præteriens IESVS, uidit hominem cæcum à natiuitate, & interrogauerunt eum discipuli eius, Rabbi quis peccauit, aut parentes eius, ut cæcus nasceretur? Respondit IESVS. Neq; hic peccauit, neque parentes eius: sed

ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt. Venit nox, quando nemo poteſt operari. quãdiu ſum in mundo, lux ſum mundi. Hoc quum dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei. Vade, laua in natatoria Siloe, quod interpretatur, miſſus. Abiit ergo & lauit, & uenit uidens. Itaque uicini & qui uiderant eum prius qui mendicus erat, dicebant. Nonne hic eſt qui ſedebat & mendicabat? Alij dicebant, Quia hic eſt. Alii autem, Nequaquam, ſed ſimilis eſt ei. Ille uerò dicebat: Quia ego ſum. Dicebant ergo ei. Quomodo aperti ſunt tibi oculi? Reſpondit. Ille homo qui dicitur IESVS, lutum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mihi. Vade ad natatoria Siloe, & laua. Et abii, & laui, & uideo. Et dixerunt ei. Vbi eſt ille? Ait, Neſcio, Adducunt ad Phariſæos eum qui cæcus fuerat: Erat autem ſabbatum, quando lutum fecit IESVS, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum Phariſæi quomodo uidiſſet. Ille autem dixit eis, Lutum mihi poſuit ſuper oculos, & laui, & uideo. Dicebant ergo ex Phariſæis quidam. Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit. Alij autem dicebant. Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? Et ſchiſma erat inter

eos.

cos. Dicunt ergo cæco iterum. Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? &c.

Complectitur hæc historia mysteriũ gratiæ noui testamenti, quæ facta est per Christũ, qui uenit in hunc mundum ut illuminaret omnes qui in tenebris & umbra mortis sedebant. Lucæ 1. hoc est, ut Paulus loquitur, peccatores saluos facere. Nam ea se de causa à patre missum esse testatur. Deinde quã dispares sint subsecuti effectus, nempe quod qui cæci erant, iam uideant: & qui uidebant, cæci sint. Agit autem potißimum hoc Euangelio Christus quinque.

PRIMO, *Ut ostendat insignem suam clementiam, tũ erga cæcum, quem præteriens dignatur placido aspectu intueri, quo Petrum negantem, Lucæ 22. Magdalenam*

dalenam pœnitentem, Lucæ 7. Latronem confitentem, Luc. 23. aspexit: quum enim omnia humanæ naturæ collata beneficia sint merè gratuita. quis enim prior dedit illi vt retribuatur ei? tum maximè incarnationis mysterium, quum nulla re magis quàm hac commendetur Dei misericordia, qua nos ille prior ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia rerum noxiarum, primorum parentum vitio excæcatos, & originalis iustitiæ thesauro spoliatos, suo aspectu dignatur: atque ex massa perditionis sibi filios, hæredes, et cohæredes regni deligit, quibus gratia fidei secundum propositum voluntatis suæ prædestinatis, uocatis, & iustificatis, tandem amissa restituetur merito crucis & incarnationis, dum visum restituet, non illum tantum corporeum, sed spiritualem, vt uerum Deum cognoscat non tantum hic per speculum, & ænigma, sed facie ad faciem gloriam domini speculando. tum etiam erga discipulorum crassam ignorantiam qua credebant antè Deum peccatum ulcisci, quàm ab homine perpetraretur: sed quia audierant ægritudinem peccatis imputari à Christo, Ioan. 5. arbitrabantur eam propositionem esse uniuersalem: & etiam quia scripturæ peccatis parentum affligi filios docent. Exod. 20. Deuter. 28. Ezech. 18. Huic enim (vt patientiæ, & mansuetudinis exemplum exhiberet omnibus erga subditos, infirmitate & ignorantia laborantes, vt monet Apost. ad Gal. 6.) respondet, ita vt & parentes & filium à peccato excuset: non quasi peccatores non fuerint, omnes enim

nim

nim peccauerunt, & non est iustus in terra qui non peccet: sed tantum negat cæcitatem fuisse pœnam alicuius sceleris. Vt multis subinde calamitates sunt pœnæ scelerum: vt Dauidi, Manasse, & Sauli accidit. Sed vt manifestetur gloria Dei, qua solet exercere suos uel ad probationem, exercitium uirtutum, in meritum peccati, & Dei gloriam, vt Iob, Thobiam, Paulum, Paraliticum, Sororem, Mosi, Lazarum, Cæcumq́ꝫ. Errant ergo qui putant afflictiones hominibus fortuito casu accidere, & prouidentiam tollunt quasi scilicet circa cardines cæli versaretur Deus, nec nostra consideraret: castigat enim omnem filiũ quem recipit ex immensa misericordia sua, non vt perdat, sed vt inde glorificetur. Ergo qui impatientia crucem à se abijcit, gloriam Dei reijcit.

SECVNDO, *Dum ait, me oportet operari donec dies est, aduentus sui causam aperit, nempe, vt doceret ignaros, consolaretur afflictos, & succurreret miseris. hæc enim sunt opera Dei, vt contrà opera legis sunt terrere, iudicare. et damnare quæ ministratio mortis appellatur à Paulo. 2. Corint. 3. Sed vt ab hoc maledicto nos redimeret, aduenit Christus, in quo perseuerauit donec dies esset, id est, vitæ tempus à patre præfinitum tulit. Quòd uerò ait, Veniet autem nox, &c. his uerbis occultæ passionis suæ breui complendũ mysterium significat: aut, si ad allegoriam transferre uoles, significat tum cuilibet esse rectè agendum dum licet auxilio gratiæ frui: nam in nocte, id est, post uitam, rectè operandi facultas negabitur, dum ligatis*

manibus

manibus & pedibus proijcientur in tenebras exteriores: Vel, donec luce Euangelij dirigimur, facilè licebit, accedente gratia Dei, (nam sola euangelij cognitio ad hæc non sufficeret) fructus producere Spiritus sancti, qui sunt Charitas, Patientia, Gaudium, Pax, Longanimitas, Bonitas, Mansuetudo, Modestia, et Fides. Ipse enim Christus quàm diu est in mundo, lux est mundi, illuminans omnem hominem. nemo enim nisi per illum illuminatur, vt scilicet filius Dei fiat is qui credit in nomine eius, amplectendo Fidē, qua prædicationi uerbi Dei credat, & Charitatem, præceptis obsequatur. Hi sunt enim effectus cœlestis huius lucis, quam pater in mundum misit: atque ut hāc doctrinam, qua rationem naturæ superat, in animis suorum confirmaret Christus, eam præclaro confirmat miraculo.

TERTIO, *Quod sputo lutum faciat, cæci oculos liniat, & ad Natatoria Syloe cæcum mittat, Vt eos lauet, & videat. Hoc vt grauissima & præcipua fidei nostræ symbola commendaret, fecit: quum enim sæpius longè maiora solo uerbo miracula perfecerit, hic tamen varijs vtitur cæremonijs, ne prorsus eas in sacris religionis nostræ mysterijs contemneremus, aut (vt solent impij Enthusiastæ) imaginariam tantum religionem somniaremus. Reddunt autem nos uera hæc signa, quibus vtitur Christus, certos de diuinitate, & sanctificatione, vnita humanitati μυστικῶς, qua velut organo est vsus ad reparationem humanæ naturæ, occultam voluntatis suæ rationem explicās,*

quam

quam scilicet uim: & energiam sacramentis ecclesiæ suæ esset collaturus. quæ noluit nuda tãtum esse signa, sed efficacia, quæ animum purgandi, sanandi, & sanctificandi vim haberent, non ex materia, qua constant, natura, sed uerbi potentia: nam accedit uerbũ ad elementum, & fit sacramentum. Expuit igitur Christus, vt aduertas quod omnia eius interiora lumen sint, & quod uerè uideat qui Christi mundatur internis. Vt enim lauat saliua, ita & sermo, Ioan. 13. iam uos mundi estis propter sermonem. Deniq; quod lutea nostra caro per baptismi sacramentum æternæ vitæ lumen accipiat.

QVARTO, Commendat insignem obedientiam, & fidem in cæco, qui non secus, atque Abraham, contra spem in spem credit. dum ea in oculos recipit, quibus excæcaretur potius quàm videret, & dum patitur se à Christo ablegari ad eas aquas, quibus sæpius esset vsus. Ea enim est ueræ fidei natura, vt captiuet intellectum in obsequium uerbi Dei, vt rationem humanam à consideratione corporearum rerum abstrahat, vt uerbo Dei lucenti tanquam lucernæ in caliginoso loco obtemperet, idq́; sequatur. Hæc enim nisi, qui uoluntatis suæ arbiter est, attulerit, nunquam sacramentorum Christi gratiam, sine qua salutem assequi nulli licet, consequetur: licet paruulis, qui originalis solum sunt rei peccati, alia ratione succurrat misericordia redemptoris, scilicet parentum & ecclesiæ fide. Adulti uerò nisi præter fidem, obedientiam quoque attulerint, nihil unquam præter ea quæ damnatio-

nem augeant assequentur. Contrà uerò qui obice remoto prauæ uoluntatis, uerbo Dei obediunt, ueræ pœnitentiæ lachrymis se lauant, hi demum sacramentorum efficaciam ex merito sanguinis Christi profluentem in se recipiunt, ac uident ereptos sese de potestate tenebrarum, & translatos in regnum dilectionis filij Dei ad Colloss. I. Ac ne ingrati sint gratiæ Dei, eam contra omnes aduersarios fidei tuentur, Christum prædicant, nec uerentur, ut hic cæcus, inuidiam mundi, magnatum indignationẽ, quibus Christi gratia semper ferè est odor mortis, sed magna constantia ad mortem usque tuentur: licet capitis subinde periculum esset subeundum.

QVINTO, Arguit impudentem scribarum & pharisæorum inuidiam maleuolentiam, & cæcitatem, qui toto conatu eò ferebantur, ut tantum hoc à Christo factum miraculum supprimerent. Nam non contenti cæci illuminati, parentum eiusdem, et uicinorum qui eum nouerant testimonijs, & aperta confessione, audent tamen horrenda quadam mentis cæcitate affecti, calumniari, quòd sabbato Christus hoc fecisset, quare impij de Christo pronunciant ipsum non esse à Deo, & peccatorem. Sic enim impij & ueri iustitiarij, qui propriæ nituntur iustitiæ se iustos, cæteros omnes peccatores æstimant: atque adeò sanctissima etiã facta calumniantur: uera pietatis opera, hypocrisim indicant: & quæ non nisi à spiritu Christi proficiscũtur, dæmoni imputant. Sed illuminatum uerbo fidei non oportet huiusmodi calumnijs cedere: sed contrà

forti,

fortiter agere, ictibusq́; aduersariorum resistere, palamq́; confiteri se Christi militem, Iesumq́; filium Dei esse. Quapropter ille intrepidè respondit, quia Propheta est. Et licet quis fuerit à parentibus consanguineisq́; derelictus ob Christi confessionem, extraq́; synagogam factus, à Deo se derelictum uereri non debet. Nam cæcus hic, à genitoribus ferè oblitus à Phariseisq́; reiectus, à Christo tamen suscipitur. Hinc Dauid, Quoniam Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. Psal. 26.

FERIA QVINTA Hebdomadæ quartæ. Euangelium Lucæ VII.

ET factum est: deinceps ibat IESVS in ciuitate quæ uocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ: & hæc, uidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum uidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi, Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant steterunt. Et ait, Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accepit

autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes, Quia Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus uisitauit plebem suam.

Christus ut se mortis æquè ac uitæ dominum demonstraret, præsenti Euangelio tria agit. Nam

PRIMO, *Facto ipso declarat eum se esse, qui in ueteri testamento splendido quodam epitheto uocabatur. Psal. 67. pater orphanorum, & iudex uiduarum. Nam orphanum adolescentem immatura morte sublatum uitæ restituit, & uiduam mariti, & filij morte desolatam consolatur. Vtrinque Diuinitatem, Potentiam, Mansuetudinem, & Misericordiam, declarans, tum etiam cur à patre in mundum missus esset ostendit, nempe ut destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum. Hebr. 2. & liberaret eos qui timore mortis obnoxij erant seruituti: Inuidia enim diaboli peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt. Proinde ut significaret iam adesse tempus, quo peccati, mortis, diaboli, mundi, & inferni tyrannis frãgeretur potentia crucis, qua domum fortis intraret, & omnia eius uasa diriperet in quibus confidebat. Luc. 11. Leui istac uelitatione, qualis esset belli futurus euentus, prælusit. Porrò quum orbitas, quæ ex morte filiorum, uel parentum accidere solet, grauissimos*

nissimos secū dolores adferat, maximè fœminis, quarum natura imbecillior est, quàm ut facilè aduersis resistere possint. Christus ut officium ueri Pastoris, & Episcopi demonstraret, quorum est, ut monet Apostol. 1. ad Timoth. 5. uiduas consolari, iubet eam à fletu cessare. quanquam uerò Christus, qua erat potentia, efficere potuisset, ne filius vnicus, & matri charissimus moreretur, tamē quia iudicabat hoc patris sui gloriæ, & ecclesiæ utilitati fore vtilius, quod mortuum resuscitaret, quia ex hac resurrectione agnosceret mūdus, Deo curæ esse mòrtuos, atque illi eos uiuere. Deinde ut in spem futuræ resurrectionis erigeretur ecclesia, voluit insigni isto miraculo duo hæc religionis nostræ dogmata, quæ uera sunt apud impios paradoxa, confirmare, qui putant omnia morte deleri. Ideo magna semper religione defunctorum corpora sepeliri, tum solent apud gentes, iudæos, quæ aliquā rationis scintillam sequebantur, ut testatur Cicero lib. 2. de legibus: penes quas etiam lex erat, ne quis sepulchrum deleret, ne alienū in ea corpus inferret. pompa quoque funebris erat frequens, quibus maximum etiam erat supplicium, insepultum abyci. tum apud qui ab ipso statim orbe condito magna semper religione ius sepulturæ coluerunt, ut uidere est in funeribus, Abrahæ, Isaac, Iacob, & Ioseph. Passus est enim Christus sacrosanctum suum corpus honorificè & cum aromatibus sepeliri. Stephanum quoque magno planctu, honesta sepultura dignati sunt discipuli, Ioannem Baptistam, aliosq; sanctos. Recte ergo

Ecclesia Romana defunctos in Christo loco sacro, & honesta sepultura dignos censet, eosq́ & lachrymis prosequitur. Eccles. 38. Fili mi, in mortuum produc lachrymas, & secundum iudicium contege corpus illius, & non despicias corpus illius. Malè ergo iam nostro tempore ius sepulturæ contemnit Anabaptistarum insania, violat auaritia ecclesiasticorum, dū passim vetera monumenta abolent; & rident hæretici omnes.

SECVNDO, Dum lachrymis viduæ ad misericordiā flectitur, constantem ecclesiæ doctrinam confirmat: qua docet paruulis, & mortuis prodesse posse sacramenta, & preces. Ea enim est misericordia conditoris, (etsi iustissimo suo iudicio non omnibus eam concedat) vt illis prodesse patiatur fidem alienam, quibus præter eam quam ex origine trahunt, nulla potest, vt inquit August. perfidia imputari, & istis sacrificia & oblationes prosint: qui quum viuerent, vt hæc sibi prodesse possent, meruerunt: quibus autem hæc prosunt, ad hoc prosunt, vt plenior fiat peccatorum remissio. Quid enim filio uiduæ profuit fides sua quam mortuus non habebat? huic tamen profuit fides matris vt resurgeret. sicut etiā baiulorum fides profuit paralytico, & mulieris Cananææ filiæ à diabolo possessæ. ea enim est gratia communioni sanctorum concessa, vt pro inuicem sollicita sint membra, & acceptū gratiæ cœlestis vigorē sibi inuicē cōmunicent. Quod uerò Christus matri fletum prohibet, et loculū attingit, etiā nō rogatus grauissimis de causis agit.

Primo,

primo. Vt doceat remouendam esse doloris causam, si quidem is aderat, qui mortuum in vitam reuocaret, Secundo, Vt omnibus certam spem faceret adeundi thronum gratiæ cum fiducia, quia si non rogatus subuenit, quid non facturus, vbi cum lachrymis preces offeruntur? Isaiæ 65. Tertio. Quòd accedit, & sanctissimi corporis contactu loculum tangit: eam esse eius qui peccato mortuus sit, miseriam docet, vt nisi ipse misericorditer subueniat, nunquam à morte peccati quisquam resurget. Non enim sumus idonei cogitare aliquid ex nobis. &c.

TERTIO, Huius mortui resuscitatione sese docet esse verum mortis, & uitæ dominum, cui obsistere nulla potentia queat. Mox enim vt iusserit, subsistunt baiuli malarum cupiditatum, quibus effertur ad tumulum æternæ damnationis animus: quales sunt, quos uocat Paulus Galat. 5. opera carnis, scilicet, Fornicatio, Immunditia, Inuidia, Iræ, Superbia, Auaritia, Rixæ, & Dissensiones, his enim qui indulserit, & Spiritu sancto destitutus fuerit, qui non potest habitare in corpore subdito peccatis, quasi mortuus, sensu rerum diuinarum caret. atque harum cupiditatum illecebris agitatus huc illuc rapitur, vt subsistere nequeat. donec uoce Christi præuenientis uoluntatem, ad peccatorum cognitionem reuocetur, & surgat. Ephes. 5. Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. nemo enim nisi illo uocante surgit. Iuxta illud: Perditio tua ex te Israel, Salus autem tua tantum modo ex me. Osee 13. Illa enim est uocis, & cla-

moris Christi efficacia, ut penetrabilior sit quouis gladio ancipiti, pertingens usque ad diuisionem animæ ac spiritus. Hebr. 4. Efficit enim hæc non solum ut in malum non progrediaris, sed etiam ut animo resipiscas, ac per ueram animi conuersionem, contritionẽ, confessionem, & satisfactionem, in uitam nouam resurgas, indutus nouum hominem, qui secundũ Deũ creatus est, in iustitia et sãctitate ueritatis. Ephes. 4.

SVNT autem ex hoc miraculo uarij secuti effectus: nã qui erat mortuus, & resedit, & cœpit loqui, & redditur matri à Christo. Sunt enim hi ueræ pœnitentiæ fructus, qui sequuntur iustificatum, ut ambulet in nouitate uitæ, ut deposito mẽdacio loquatur ueritatem, nec circũueniat in negotio fratrem suum. 1. ad Thes. 4. Ephes. 4. Quod uerò ipsum matri reddit Christus, hoc esse opinor, quod ad Rom. ait cap. 6. Paulus: Liberati autem à peccato, serui estis facti iustitiæ, ne posthac regnet peccatum in eius mortali corpore, ad obediendum concupiscentijs eius, neque exhibeat mẽbra sua arma iniquitatis peccato, sed ut exhibeat se Deo tanquam ex mortuis uiuens. Spectatores autem timor inuasit, & Deum magnificant. Est hoc enim ueræ fidei peculiare, ut opera diuina & admiretur et laudet, quorum hoc primarium est, quod auersum reuocat, peccatorem iustificat, de huius salute gaudet fidelium Ecclesia. Vera enim charitas non gaudet super iniquitate, sed congaudet ueritati. 1. Cor. 13.

FERIA

FERIA SEXTA Hebdomadæ quartæ. Euangelium Ioannis XI.

CAPVT XI.

ERAT autem quidam languens La
zarus à Bethania, de caſtello Ma-
riæ, & Marthæ ſororum eius. Ma
ria autem erat quæ unxit Domi-
num unguento, & exterſit pedes eius capillis
ſuis: cuius frater Lazarus infirmabatur. Miſe
runt ergo ſorores eius ad eum, dicentes: Do
mine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens
autem IESVS, dixit eis. Infirmitas hæc non
eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorifi-
cetur filius Dei per eam. Diligebat autem IE
SVS Martham, & ſororem eius Mariam, & La
zarum. Vt ergo audiuit quia infirmabatur,
tunc quidem manſit in eodem loco duobus
diebus, deinde poſt hæc dicit diſcipulis ſuis,
Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei diſcipu-
li: Rabbi, nunc quærebãt te Iudæi lapidare, &
iterum uadis illuc? Reſpondit IESVS, Nonne
duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulaue-
rit in die, non offendit: quia lucem huius mũ
di uidet. ſi autem ambulauerit in nocte, offen
dit: quia lux non eſt in eo. Hæc ait: & poſt
hæc dicit eis, Lazarus amicus noſter dormit,

ſed uado ut à ſomno excitem eum. Dixerunt ergo diſcipuli eius: Domine, ſi dormit, ſaluus erit. Dixerat autem IESVS de morte eius: illi autem putauerunt quia de dormitione ſomni dicerent. Tunc ergo IESVS dixit eis manifeſtè, Lazarus mortuus eſt: & gaudeo propter uos ut credatis, quoniam non eram ibi, ſed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas qui dicitur Dydimus, ad condiſcipulos, Eamus & nos, & moriamur cum eo. Venit itaque IESVS, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxta Hieroſolymam quaſi ſtadiis quindecim. Multi autem ex Iudæis uenerant ad Martham & Mariam, ut conſolarentur eas de fratre ſuo. &c.

Omnium eorum quæ Chriſtus in terris egit miraculorum, hoc eſt præcipuum, quod præſenti Euangelio ſolus Ioannes deſcribit, in quum totius religionis Chriſtianæ ſumma contineatur, & plura quam breui tabella cōplecti que-

ſant.

ant, præcipua tantum attigisse suffecerit. Complectitur autem potißimum quinque.

PRIMO. *Se etiam eos quos diligit castigare. Hebr. 12. nam Lazarum, Martham, & Mariam Magdalenam quanquam diligeret, patitur tamen illum graui insirmitate affligi, morte opprimi, sorores nimio dolore ex fratris morte consternari: nec antè accedit quàm gloriæ suæ expedire iudicauit. Hic etiam num Christus suos, qui de eius fauore clementia, & benignitate sibi nimium confidunt, quandoque deserit, vt se, suasq; vires, quid sine Christo possint experiantur, sed mox languet natura sine gratia, imo moritur, quia nihil nisi ad peccandum ualet, si lateat veritatis uia. Vbi uerò fidei lumen animum illustraarit, tum si quæ irruant aduersa, non aliò quàm ad animarum, & corporum verum medicum Christum humilem piarum orationum nuntium mittunt. Iuxta illud: Ad dominum cum tribularer clamaui, & & exaudiuit me, Psal. 119. 122. hoc enim est: Ecce quem amas, infirmatur. Huc enim dirigit fides, vt de Dei bonitate confidat, eiq; licet omnia cognoscenti, necessitatem tamē aperiat suam, quia credit Deū ponere lachrymas in conspectu suo, & gemitus nostros non esse ab eo absconditos. Vide Augustinum epist. 121. ca. 9. Cæterū ne quis sibi persuaderet Deū,*

stati

ſtatim ut orarit, aut ui orationum, aut fatali quadã neceſſitate adſtringi, frequenter etiam chariſſimis aut differt, aut negat quæ petunt. ut enim gratiæ donum eſt ipſa oratio, ita eſt & orationum effectus. Proinde Chriſtus negat huius ſui familiaris ægritudinẽ mortiferam fore, ſed ad gloriam Dei: quibus verbis Dei patris prouidentiam commendat, qua res humanas dirigit ac diſpenſat. Iob. 21. Thre. 3. Deinde quod afflictiones non ſunt perpetuò ſigna Dei irati. Sapien. 1. Prouer. 3. Pſal. 9.

SECVNDO, Quia voluit Chriſtus reipſa comprobare, quod dixerat fore, vt omnes qui in monumentis eſſẽt, audirent uocem filij Dei, noluit ſanare, nec languidum, vt paralyticum in lecto, & puerum centurionis in domo. nec mortuum in cubiculo: vt filiam Archiſynagogi Mat. 9. nec delatum iam extra portas tãtum, vt viduæ filium. Lu. 7. ſed iam fœtidum in monumento, vt oſtenderet nullum adeò deploratum eſſe peccatorem, qui non poſſit potentia redemptoris ad vitam gratiæ reuocari. Spectabat enim hoc facto diſcipulorum confirmationem in fide, et iudæorum cæcitatem ſemel confundere, ne quid excuſationis ſupereſſe illis poſſet. Porrò quum rudes, & imbecilles haberet diſcipulos, qui à morte non ſecus, atque ab angue, abhorrent, imò ab ipſa Iudæa, in qua illi ſæpius mors erat intentata, quod nondum myſterium crucis intelligerent, aut Dei conſilium in ratione humanæ ſalutis, tentat Chriſtus ipſorum animos, ſignificans timore periculi temporalis non debere nos à beneficijs

abſtinere,

abstinere, admonens hominum malitiam, impietatē, & improbos conatus, tum diuina potentia coerceri, impediri, frangi, ac mutari: tum etiam ex ipsa humanæ naturæ instabilitate, iuxta horarum varietatem, proinde etiam de pessimis quandoque bene sperandum. Indicat præterea Christus reditus sui causam, scilicet Lazari amici ægritudinem, et mortem, cui amicitiæ, & hospitalitatis iure, præsentiam suam negare nec debuit, nec potuit. atque ideo etiam miraculi beneficio se ei succurrere debere, nisi ingratitudinis notam subire uellet. Quod uerò ait, amicus noster, significat ueram membrorum Christi unionem, veramq; sanctorum communionem: qua sit, ut is qui Christi amicus est, is sit & omnium fidelium.

TERTIO, Ut ubique fugiendam moneret ambitionē, & iactantiam, non antè miraculum hoc aggreditur, quàm ambas sorores singulari quadam mansuetudine de resurrectionis mysterio edocuisset. Imprimis autem Martham, non solum occulta inspiratione, sed etiam externa uocatione, ad se uocat, quòd sciret eius ægritudinem magnatum & principum uisitatione, qui uenerant ad ipsius consolationem, augeri potius quàm minui. nam humana solatia plerunque friuola sunt & inania. Isa. 55. Quare appenditis argentum & non in panibus. i. cur, Deo neglecto, aliunde solatium quæritis? Ipse enim est qui consolatur in omni tribulatione. 2. Corin. 1. ad Heb. 4. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. &c. Complectitur autem hic dialogismus, Marthæ & Christi, de maximis my

steriys

ſteriјs fidei & religionis noſtræ conſolationem, doctrinam, & inſtructionem: dum docet ſe eſſe reſurrectionem. i. reſurrectionis cauſam. 1. Theſſa. 4. Si enim credimus quod Ieſus mortuus eſt, &c. & vitã. i. vitæ cauſam. Ioã. 10. Ego veni vt vitam habeant, & Io. 19. Ego sũ via, veritas, et vita. et temporariam, et æternã. Ergo ſi infirmitatis mortis, paupertatis, miſeriæq; terror animũ deijciat, non moueamur. Iuſtificatio enim, ſine qua æterna uita non cõtingit, ab ipſo tãtũ cõfertur: qua fit, vt pacẽ habeamus cũ Deo. Ro. 5. Si tamẽ ea quæ ad hãc cõparandam ſunt inſtituta media, amplectamur ea nẽpe fide, quæ per charitatẽ operatur. i. uera pœnitentiæ opera producit. Horum Chriſtus non à Martha ſolum, ſed ab omnibus fidelibus cognitionẽ, et fidem ſtipulatur, quod ſine ea impoſſibile placere Deo, per hãc autem etiã qui mortuus fuerit delictis et peccatis uiuet per pœnitentiã, fidem remiſſionem peccatorum. Videmus autem in hac muliere quibus incrementis adoleſcat in homine fides ex auditu uerbi Dei, et gratia ſpiritus sãcti mentem illuſtrante. Nã quem antè credidit tantũ vt ſanctũ, qui precibus à Deo quod uellet impetrare poſſet, & hominem, qui niſi præſens operari poſſet, hũc iã agnoſcit vt filiũ Dei, nõ adoptiuũ, aut aliorũ more per gratiã, ſed naturalem. Matt. 16. eadem eſt Petri confeſſio: facta autem hac fidei proteſtatione abit, & uocat ſororem ſuã. Vera enim charitas non ſua tantum ſalute contenta eſt, ſed proximi quoque ex animo deſiderat: unicuique enĩ mãdauit Deus de proximo ſuo. Eccle. 17.

Quarto,

QVARTO; Poſt eandem cum Magdalena repetitã fidei doctrinam, interea dum ut cupiebat Chriſtus, accurrit magnatum turba, qui futuri miraculi teſtes eſſent, ubi eam iam accendiſſet ſpe futuri, & uera fidei confeſſione confirmaſſet, ut humanæ naturæ ueritatem ſingularem quoque erga de functum amorem demonſtraret, conſpectis ſororum, & Iudæorum lachrymis infremuit ſpiritu, turbauit ſemetipſum, et lachrymatus eſt. Qui affectus in Chriſto nequaquam fucati aut commentitij, ſed ueri, non ſecus atque in nobis, in ipſo ex principijs naturæ oriebantur; ſed alia longè ratione, ſiquidem in nobis etiam contra rationis arbitrium erumpunt: Chriſtus autem ex arbitrio rationis eos admiſit: nam ſumma in illo erat harmonia partium ſuperiorum & inferiorum, proinde affectibus, ubi, & quando uoluit, eſt uſus. His autem declarauit Chriſtus, quàm grauiter commoueatur aduerſus peccati, mortis, inferni, et diaboli tyrannidem, qua omnes ab orbe condito ſemper oppreſſit, eamq; ſe perpetuo odiſſe. Eze. 18. Sap. 1. Pſal. 29. Sed ita ut humanæ naturæ miſeriam perpetuo deplorarit, & naturam ipſam dilexerit: propter nimiam enim charitatem qua dilexit nos, uenit peccatores ſaluos facere. Proinde rogat, Vbi poſuiſtis eum? non quaſi ignorans, ſed ut indicet quàm longè ſit à peccatoribus ſalus, Et lachrymatur, ut eandem charitatem nobis inculcaret. Hebr. 4. Non habemus pontificem, &c. Hos tamen tanti amoris affectus perfidia Iudæorũ ſiniſtrè eſt interpretata. dicebant enim: non poterat

iis qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur? Verum aliud longè Christo propositum fuit, quàm ipsi intelligere poterant. His autem omnibus ostendit Christus, quàm sit magnæ molis hominem praua peccati consuetudine pressum, in uitam reuocare, nō ex parte Dei, sed ipsius peccatoris difficultate. Peruersi difficilè corriguntur. Ecclesiast. 1.

QVINTO, Diuinitatis suæ potentiam, qua oratione ad patrem, & uocis potentia, qua fœtidum & quatriduanum è spelunca in uitam reuocat, sese uerum deū, vt ex fletu & lachrymis hominem, demonstrat. Dedit enim uoci suæ uocem uirtutis. Psal. 28. vt non possit non esse efficax etiam in iis qui deploratissimi hominum iudicio æstimantur. Est enim uox euangelii efficax (qua auersos uocat Christus) in cordibus prædestinatorum, & fidelium. nam potentia est Dei in salutem omni credenti. Ro. 1. Hac uoce audita prodit è monumento peccati per ueram contritionem ad iustitiam, è morte ad uitam: sed ligatus adhuc manus, & pedes institis: quia funibus peccatorum adstringitur peccator. Prouer. 5. Psal. 118. ablata etiānum bene operandi facultate: quia facies est sudario ligata, cæcitate scilicet mentis oppressa, vt malum bonum, & bonum malum arbitretur, Isaiæ 5. Christus autem licet ipse sua gratia præueniat, & illuminet peccatorem, non tamen soluit per se, sed ministris ecclesiæ, quibus ligandi, & soluendi potestatem dedit. Matth. 18. Ioan. 20. iubet à Lazaro, sed sua uoce, excitato (ipsius enim gratia præuenit peccatorem, ut

peccatum

peccatum agnoſcat & diſpliceat) tolli ſudarium, uincula, authoritate clauium miniſtris conceſſarum. i. uirtute ſacramentorum, per quæ Deus operatur in cordibus fidelium. Sed dum ſacramenta, & miniſtros Eccleſiæ non ſpernunt, per quæ, tanquam certiſſima fidei noſtræ ſymbola & inſtrumenta, ſalutem noſtram operatur deus, ut humilibus huiuſmodi ſignis humanæ mentis arrogantiam frangat, & in obſequio fidei captiuos teneat. Siquidem non niſi humilẽ, & peccata ſua conſitentem reſpicit Deus, & uerbo ſuo obtemperantem.

SABBATO HEBDOmadæ quartæ. Euangelium Ioannis VIII.

ITERUM ergo locutus eſt eis IESUS dicens: Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen uitæ. 1.Ioã.1.b Dixerunt ergo ei Phariſæi: Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt eſt uerum. Reſpondit IESUS, & dixit eis: Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, uerũ eſt teſtimonium meum, quia ſcio unde ueni, & quò uado: uos autem neſcitis unde uenio, aut quò uado. Vos ſecundum carnem iudicatis: ego non iudico quenquam. & ſi iudico ego, iudicium meum uerum eſt: quia ſolus

non

non ſum, ſed ego & qui miſit me, pater. Et in lege ueſtra ſcriptum eſt: Quia duorum hominum teſtimonium uerum eſt. Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de meipſo, & teſtimonium perhibet de me qui miſit me, pater. Dicebant ergo ei: Vbi eſt pater tuus? Reſpondit IESVS: Neque me ſcitis, neque patrem meum. ſi me ſciretis: forſitan & patrem meum ſciretis. Hæc uerba locutus eſt IESVS in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum uenerat hora eius.

Chriſtus Iudæis, quanquam deſperatis, proponit conſequendæ ſalutis remedium, ſi modò amplectantur. Sed quum in reprobum ſenſum ſeſe tradidiſſent, docet ſua ipſorum culpa ipſos perituros, quod propria malitia excæcati illum tollent recipere, quem pater æternus in mundum miſiſſet. Agit itaque Chriſtus in hoc Euangelio tria.

PRIMO, *Suauissimam Euangelij doctrinam insinuat, Cur scilicet à patre æterno in mundum sit missus: ut s. qui erat apud patrem, lumen de lumine, Deus uerus, de Deo vero. Ioan. 1. Vnigenitus in sinu patris, mundo varijs opinionum, errorum, & superstitionũ tenebris occæcato lux fieret, atque ut illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum. Sed quid? Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras ignorantiæ, & cupiditatis, quàm lucem fidei, & veritatis: eò quòd mala essent ipsorum opera. Ioan. 3. Omnis enim qui malè agit odit, nec venit ad lucem, ut non arguantur opera eius. Noluit enim intelligere ut bene ageret, Psal. 51. Sed Christus fastum, diuitias, gloriam, hypocrisim, & superstitionem, quibus tum iudæi suam volentes statuere iustitiam, Rom. 10. & gentiles commutantes gloriam Dei in idolum salutem sibi pollicebantur. accedens, uera lux mundi docet, nec per legem, nec per naturam salutem hanc acquiri posse: sed fide, spe, & charitate. quibus fit, ut Christum sequamur, in tenebris non ambulemus, & lumen uitæ habeamus. Hæc enim dulcissima est piјs omnibus euangelij doctrina: Noua lux orta timentibus nomen domini. Malach. 4. quam mundus non potest accipere: quia enim per sapientiam non cognouit Deum, 1. Corin. 1. placuit illi per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, id est, veram hanc lucem per fidẽ amplectentes, Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ioan. 1. sed ijs qui credunt*

nomine eius: quod ſcilicet lux ſit mundi, & tenebræ in eo non ſint vllæ quæ longè ſerenius & ſplendidius animos illuſtrat, quàm lucidus hic ſol, dum ſupra noſtrum harizontem emergit. Siquidem in nobis intellectum, voluntatem, et Rationem perfundit radijs Sapientiæ, Iuſtitiæ, & Perfectionis, vt ipſum qui factus eſt nobis à Deo patre 1. Corinth. 1. Sapientia, Iuſtitia, Sanctificatio, & Redemptio, ſequamur, ambulantes in ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Luc. 1. Is enim uerè ſequitur Chriſtũ, qui diſcit ab eo quod Mat. 11. mitis ſit, et humilis corde, id eſt, qui eius manſuetudinem, iuſtitiam, humilitatem, & obedientiam, cæteras q́; virtutes imitatur. Iis enim ſummam illam fœlicitatem, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, Iſa. 6. conſequemur, per lumen fidei accepturi lumen gloriæ. Pſal. 35. In lumine tuo videbimus lumen.

SECVNDO, *Horrendam Iudæorum cæcitatem, qui magna malitia & pertinacia ſcripturis, de Chriſto teſtantibus, miniſtris, quos ad capiendum Chriſtum miſerant, Ioan. 7. Nicodemo, innocentiam Chriſti defendenti, Ioan. 7. & Chriſto ipſi, ſeſe patri æqualẽ confitenti, Ioannis 8. 10. reſtiterunt, conuincit, inſignem eorum blaſphemiam arguens, qua non uerebãtur ipſum veritatis authorem mendacij arguere. Duo autem Crimina impingunt Chriſto, ſcilicet, & quod de ſeipſo teſtimonium perhiberet, et falſum diceret teſtimoniũ. Quia enim ſemel impegerant in lapidem offenſionis, & petram ſcandali. & mentis cæcitate*

tate affecti pepigerant fœdus cum morte, & cum inferno fecerant pactum, non verentur manifestam ueritatem etiam contra conscientiam opprimere, Christus autem pro ea qua erat singulari clementia, nolens aliquem perire, sed omnes ad veritatis cognitionem venire, 1. ad Timoth. 2. manifestam calumniã aperta veritate confutat, ac suum de se testimonium docet Patris sui æterni, Diuinorum miraculorum, et Propheticarum scripturarum testimonijs confirmari, quibus & si destitueretur, suum tamen testimonium esse verum: quia Deus est. hoc enim tacitè significat, dum ait, Quia scio vnde veni, & quo vado, id est, scio me esse filium Dei, exiuisse à patre, & venisse in mundum, relicturum mundum, & iturum ad patrem, Ioan. 16.

TERTIO, Ostendit discrimen inter priuatum iudicium, quo Mundus, et quo Christus ipse iudicat, ostendens illud, quia secundum faciem tantum est, erroneum, fallax, & impiũ esse, decipitur enim plerunque mundus externa specie, quia non proficiscitur è spiritu Dei, sed vel ex amore, vel ex odio, vel ex inuidia. Quibus affectibus quàm diu est impedita mens, fit vt verum cernere nequeat: omnis enim corruptus iudex, malè examinat uerum. potest hic locus intelligi vel de priuato, quo quisque proximum facilè iudicat, iudicio: quod prohibet Paulus 1. Corinth. 4. Nolite ante tempus iudicare, uel de iudicio publico, quo illi qui Dei ministri sunt, pronunciant quod rectum & iustum esse vult. Rectè iudicate filij homi-

num. Psal. 57. Re. 13. 2. Paral. 19. Cuius ministros vult esse potentes, Deum timentes, alienos ab auaritia, & odientes munera. Exod. 18. Quia non hominis, sed Dei exercent iudicium. Istud autem quia secundum veritatem est. Rom. 2. verum, iustum, & rectum esse, siquidem iustus dominus, & iustitias dilexit. Psal. 10. scrutans corda, & probans renes. Hier. 17. Quod autem ait: Ego non iudico quenquam: non vniuersaliter, sed secundum subiectam materiam est accipiendum. neque enim Christus se priuat potestate iudiciaria. siquidem pater illi omne iudicium dedit. Ioannis 5. Sed non iudicat quenquam Christus, uel secundum faciem, & externam laruam, vt temerarij solent leuissimis de causis proximum iudicare, vel hoc primo suo aduentu iudicio condemnationis, non enim misit pater filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus. Ioan. 3. Ideo & si ego iudico, inquit, iudicium meum uerum est: quia solus non sum, sed ego & qui misit me pater: quibus uerbis Arrianos, & Eunomianos consubstantialem patri filium, & Anabaptistas, & Suuencfeldianos Trinitatem personarum in diuinis negantis, pulchrè confutat.

FERIA

DOMINICA QVINTA in Passione. Euangelium Ioannis VIII.

QVIS ex uobis arguet me de pecca
to? Si ueritatem dico, quare uos
non creditis mihi? Qui ex Deo 1.Io.4.a
est, uerba Dei audit. Propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit IESVS. Ego dæmonium nō habeo, sed honorifico patrem meum, & uos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam. est qui quærat & iudicet. Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi. Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est & Prophetæ, & tu dicis. Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt? Quem te ipsum facis? Respondit IESVS, Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. est pater meus, qui glorificat me, quem uos dicitis. Quia Deus noster est, & non cognouistis eum, ego autem

noui eum. Et si dixero quia non scio eum: ero similis uobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater uester exultauit ut uideret diem meum: & uidit, & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum. Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham uidisti? Dixit eis IESVS: Amen amen dico uobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum. IESVS autem abscondit se, & exiuit de templo.

Continet hoc Euangelium quatuor.

PRIMO, *Apologiam, qua Christus veritatem tum doctrinæ, tum uitæ suæ defendit contra calumniam sycophantarum. Est enim omnibus impijs familiare, ex moribus, & doctrina æstimare doctrinam, & mores, quanquam ineptissimè, nunquam enim valet argumentum à doctrina ad mores, uel econtra. Christus itaque, vt omnibus pijs, ac præsertim Episcopis, Pastoribus, & Concionatoribus quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam suam, exemplũ daret, quo modo ipsos oporteat in medio nationis prauæ sine querela conuersari, non contentus integritate doctrinæ suæ, uitæ quoque suæ innocentiam tuetur ac defendit. Est autem obseruanda Christi Innocentia, Mansuetudo,*

tudo, & Modestia, quæ tanta fuit, vt non uereatur eã etiam inimicorum iudicio exponere, dicens: Quis ex uobis arguet me de peccato? Nulli autem, præter quam uni Christo, licet hanc proponere quæstionem. Qui solus vt habet Petrus cap. 2. peccatum non fecit, aut nascendo contraxit, est inter mortuos, liber. Psal. 87. & dolum non habuit in ore. Cæteri enim omnes, Apostolo teste, quum peccauerint, una tamen Virgine, vt habet August. semper excepta, lib. de natura & gratia, cap. 36. ac sint peccatores, tales sese agnoscere debent, & vt tales argui possunt.

SECVNDO, Aperit Christus fontem reprobationis Iudaicæ esse peccatum incredulitatis, sicut salutis est fides, ac propter insignem ipsorum incredulitatem docet ipsos non esse populum Dei, genus electum, regale sacerdotium, et gentem sanctam, sicut olim à Deo appellabantur, dum scilicet pollicerentur sese Dei præcepta seruaturos, dicentes: Omnia quæ locutus fuerit nobis dominus, faciemus. Exod. 19. sed esse potius, vt ait Christus, filios diaboli, Ioannis 8. genimina uiperarum. Mat. 3. sepulchra dealbata. Matth. 23. et reprobos, & maledicto obnoxios. quanquam longè aliter ipsi iudicarent, nimirum sese propter patriarchas esse gentem sanctam, quod illorum essent genus, ac non posse à Deo reijci: siquidem promissiones patribus factas secundum carnem tantum intelligebãt quod grauiter semper reprehenderunt prophetas. Hier. 7. Baptista. Matth. 3. & Christus. Hanc autem reprehensionem semper indignè tulerunt, ideo

tanta seueritate restiterunt, & Christum samaritanum, & dæmoniacum appellant: quæ maxima apud eos erant conuitia. hos enim, vt hostes Dei, execrabātur. Est autem id familiare omnibus impijs veram doctrinam & pios doctores persequi & accusare: sic serui Iehu Elizeum vocant insanum. 1. Reg. 9. Atqui ob humana impiorum iudicia non est à vera doctrina discedendum, sed in correptione perseuerandum. Ac tum sunt maximè retundenda conuitia, quando gloriæ Dei, veritati euangelicæ, & sacramētorum dignitati derogant, potius quàm existimationi priuatæ. Quia hæc blasphemia ab impijs Christo irrogata, gloriæ patris sui & prædicationi verbi derogabat, ideo magna seueritate illi resistit Christus, quem vtinam imitentur ij, penes quos est publica potestas: vt sunt magistratus ecclesiastici, scilicet Episcopi, Pastores, Concionatores. & politici, scilicet Reges, Duces, Principes, atque adeò omnes quorum interest Christi et ecclesiæ dignitatem tueri, quos in causis priuatis longè seuerissimos videre est, in rebus fidei segnes.

TERTIO, Pro illata sibi iniuria rependit beneficium, docens se dæmonium non habere, gloriam propriam non quærere, & honorificare patrem, vt tuto possint fideles ipsi credere, spem omnem in eum collocare, ex ipso dependere, siquidem ille vnus sit, quem proposuit Deus pater propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. qui non suam, sed patris sui, ac omnium nostrum gloriam & salutem quærit, rationem qua eam adipiscamur

scamur proponens: quam hic collocat in cognitione, fide, & obedientia uerbi sui. quod potest saluare animas nostras, Iac.1. quod auditu percipitur, fide quæ est ex auditu, Ro.11. creditur. Atqui sola illa uerbi fides non saluat: nisi enim obedientia subsequatur, inanis & mortua prorsus erit fides, potest hoc loco ostendi discrimen verbi Dei, & uerbi Sathanæ. Quod illud conuertat corda Hier. 23. sapientiam præstet paruulis. Ps. 18. & præstet vitam. istud uero à Deo auertat, Mentẽ obscuret, et Mortem adferat. aliaq́; illud plurima adfert commoda, quæ passim scripturæ referunt, istud uero plurima incõmoda, vt testantur eorum exempla qui istud in animo semel receperunt, vt Saul, Cain, Iudas, & alij innumeri. Christus itaque hic summam totius euangelij ostendit, quod iuxta Apost. virtus Dei est in salutem omni credenti. Ro.1. & Ioan.5. Qui uerbum meum audit, & credit ei qui me misit, habet vitam æternam. Porrò si quis alius sit locus, qui euertat eorum sententiam, qui solam fidem sufficere docent, certè hic est: tanta enim seueritate legis obedientiam exigit, vt neget eũ beatum esse posse qui mandata non seruarit. Sed vt Pharisæis ita, & hæreticis, sardanapalis, & epicureis, est hæc doctrina hypocritica & diabolica: negant enim veram bonorum operum iustitiam alicui prodesse, aut posse à morte redimere, contra aperta scripturarum testimonia.

QVARTO, Ad consolationem omnium eorum qui in ipsum credunt efficacissimis argumẽtis ostendit Christus

stus suam diuinitatem: siquidem patrem, cui natura æqualis est secundum diuinitatem, habet Deum, maior est ipso Abraham patre Iudæorum, & antequam Abraham esset, ipse est. His argumentis sicuti vehementer pupugit perfidos illos Pharisæos, ita magnopere consolatur pios fideles, qui ex fide agnoscunt se illi fidere, qui Deus sit, ac proinde & possit et velit iuuare & seruare, ut merito cum propheta dicere possint: Tu domine illuminatio mea. Psal. 26. salus mea, protector vitæ meæ. Porrò ut hæc cognoscere singularis est misericordiæ: qua gratis præuenit, & illuminat intellectum, ita iudicij fuit propria malitia excæcatos Iudæos relinquere, ut magis ac magis impingerent in lapidem offensionis, & petram scandali: hoc est, ut contumelijs, calumnijs, & iniurijs. adderent comminationes, & uerbera. Mali enim semper proficiunt in peius, nec antè desistũt, quàm quod praua voluntate conceperint perficiant. Quemadmodũ ij impij tantum abest ut suauissima hac Christi doctrina sint conuersi, quin potius magis sint commoti: Sed illa Dei est tum Potentia, tum etiam Misericordia, quàm singulari cõsilio hic exhibuit Christus, ut facilè possit impiorum conatus elidere & eneruare, ne tantum scilicet quàm velint noceant. Sicut enim sese hic defendit ne lapidibus obrueretur, ita nouit & suos de tentatione et periculis eripere, dum aut ecclesiæ suæ, aut ipsorum saluti expedire iudicauerit.

FERIA SECVNDA Dominicæ Passionis. Euangelium Ioannis VII.

AVDIERVNT Pharisæi turbam
murmurantem de illo hæc, & mi-
serunt Principes, & Pharisæi mi-
nistros, ut apprehenderent IE-
SVM. Dixit ergo eis IESVS: Adhuc modi-
cum tempus uobiscum sum: & uado ad eum
qui me misit. Quæretis me, & non inuenie- Io. 13. d.
tis: & ubi ego sum, uos non potestis uenire.
Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: Quò hic
iturus est, quia non inueniemus eum? Nun-
quid in dispersionem gentium iturus est, & do
cturus gentes? Quis est hic sermo quem di-
xit. Quæretis me, & non inuenietis: & ubi
sum ego, uos nō potestis uenire? In nouissimo
autem die magno festiuitatis stabat IESVS:
& clamabat, dicens. Si quis sitit, ueniat ad
me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scri 2.Par.16.c
ptura, flumina de uentre eius fluent aquæ ui-
uæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem acce-
pturi erant credentes in eum.

Christi misericordiam & iudicium, hoc Euangelium pulchrè proponit.

Primo,

PRIMO, *Iudicium, quo impium magistratum, qui Fidei doctrinam, Gratiam euangelij, & Miracula à Christo facta in confirmatiouem vtriusque opprimere nitebatur, perstringit magna verborum acrimonia: quibus, nisi prorsus in reprobum sensum dati fuissent, meritò debuerant resipiscere. Nam quum magistratus tam ciuilis, quàm ecclesiastici officium sit Rempub. regere, & tueri, non tam armis gladio, scilicet & bello, quàm prudentia, uidelicet iustitia, & æquitate item pascere, & docere, operibus, uerbo Dei, et exẽplo. 1. Pet. 5. Istiusmodi enim alimento si destituantur, oues pereunt. Hie. 12. 23. Ezech. 33. 34. Hi impij magistratus missis ministris quibus in Reipub. defensionem vti debuerant, ad seditiosos, maleficos, homicidas, plagiarios, & veneficos tollendos: hos armata manu in Christum Dei filium, pacis authorem, eũ qui nulli nocuit, et demum eum qui omnibus profuit, mittunt sola eos impellente inuidia, quia. s. audierunt turbam murmurantem. Est quidem magistratus officium seditionem, & turbas è Repub. tollere, sed quæ in eius perniciem vergunt, non autem impedire progressum veræ fidei, et piæ doctrinæ, qualis erat ea quã Christus in mundum tulit. Vtinam huius impij magistratus temeritatem non multi imitentur, qui persequuntur eam doctrinam, quam Christus docuit, quã ecclesia Romana semper est amplexa, & contra impios errores defendunt, hæreticos tuentur. Obseruabis hoc loco contra eos qui ad ciuilem magistratum pertinere volunt controuersias de religione cognoscere,*

re,

re, hos ministros ab ecclesiastico senatu, & non à ciuili fuisse missos. Iuxta præceptum Deuter. 17.

SECVNDO, Misericordiam, quam ostendit ferendo patienter horum satellitum impios conatus: quum enim posset aut propria virtute, ut olim Chore, Dathan, Abyron, Nu. 16. viuos submergere, aut turbis trucidādos prodere, maluit sua patientia ad pœnitentiam inuitare, ut significaret, doctrinam euangelij non esse sanguinariam, non spirare seditiones, & cædes, non excitare in Repub. tumultus, sed hæresi hoc esse proprium, ut testantur facta Donatistarū, Circumcellionum, Zuuynglianorum, & Anabaptistarum, qui uarijs non olim tantum, sed nunc quoque cladibus imperia regna magistratus Respublicas, et ciuitates opprimunt prætextu euangelij. At non sic Christus, Apostoli, Discipuli, & Martyres, quorum sanguine aspersa succreuit Ecclesia: in illis enim non murmur resonat, non querimonia, sed corde tacito mens bene conscia conseruat patientiam. Christus itaque hic non ad arma, gladios, saxa, uel cædes confugit, sed ad potentiam verbi Dei, quæ facilè omnes aduersarias potestates coercet, & reprimit, ut ait Paul. 2. ad Corinth. 10. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, &c. Cæterum quia indigni erant hi ministri, qui nudam veritatem audirent, quòd sciret eos calumniaturos, obscurè illis proponit mortem se non ipsorum, sed suo arbitrio subiturum, & insuper Diuinitatem quoque suam indicat, dum ait: Vbi ego sum, vos non potestis venire.

Tertio,

TERTIO, *Miſcet autem Chriſtus clementem hanc miſericordiam, ne quis vbique impunitatem peccandi ſibi polliceretur, terribili quadam comminatione futuri iudicij, dum ait: Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ſum ego, vos non poteſtis uenire. cui enim nec ad Gloriam, nec ad Patrem, nec ad Iuſtitiam peruenire licet, huic parata haud dubiè eſt terribilis illa expectatio futuri iudicij & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios. Heb.10.2.Pet.2. Sed hæc eſt excæcatæ carnis natura, vt Dei iudicium, & ſeueritatem non agnoſcat, ſed rideat: vnde rogant impij: quo iturus eſt, quia non inueniemus eum? nunquid in diſperſionem gentium, & docturus gentes? & quis eſt hic ſermo quem dixit: quia non inueniemus eum? Quibus ſatis declararunt nimiam mentis cæcitatẽ, quæ impediebat quo minus eis luceret verbum veritatis, & illuminatio Euangelij. 2.Corinth.4. Cæcitas enim ex parte contigit in Iſrael. Rom.10. exigentibus id ipſorum meritis: quia nunquam niſi deſertus deſerit Deus. Quos verò deſerit, hi dantur in reprobum ſenſum, in deſideria cordis, & in paſſionis ignominiæ. Ro.1. Vt videre licet, non ſolum in Iudæis iſtis, qui olim populus Dei, quorum erant adoptio, gloria, teſtamentũ, legislatio, obſequium, promiſſaq́ʒ, Rom.9. quum nunc his omnibus exciderint: ſed etiam in omnibus impijs Chriſtianis, qui verbis fatentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. ad Titum 1. & in hæreticis qui veritatem Dei in mendacio detinent, adulterantes uerbum. Ro.1.2.Corinth.4.*

Quarto,

QVARTO, Quod in nouissimo festiuitatis die, Christus in templo stando & clamando, immemor omnis iniuriæ, non desinit inuitare ad suauissima euangelij flumina sitientes: argumentum est magnæ illius in naturam humanam misericordiæ, bonitatis, & clementiæ, qua nolens aliquem perire, sed omnes ad veritatis cognitionem venire, 1. ad Timoth. 2. insigni metaphora omnia beneficia Spiritus sancti, quibus in credentibus est efficax, proponit: et qua ratione haberi queant, ostendit. s. dum sitientes, laborantes, & onerati. Matthæi. 11. ad Christum accurrant, seposito fastu propriæ iustitiæ, & agnita infirmitate naturæ, quæ medico indiget, quia sana non est. Matth. 9. Exigit autem pro tanto hoc beneficio Christus nō aurum, uel argentum, vt est Isa. 44. 55. sed fidem, bonā voluntatem, & obedientiam mandatorum, quæ licet nemo adferre possit, nisi ab ipso Christo acceperit: vt enim initium fidei, quæ prima datur, per quam cætera impetrantur, non nisi ex Deo habemus: ita nec initium bonæ voluntatis, quia tamen liberi arbitrij sumus, quo fit, vt sæpius hæc bona reijciamus, ne quē cogere videatur, accessum libertati nostræ relinquit. Qui sitit, & esurit. Isa. 55. Apo. 22. veniat, non pedibus corporis, sed affectu cordis: nec migrando, sed amando, & bibat, comedatq;. Igitur si afflictio, paupertas, mors, conscientia, & iudicium Dei premat, bibe per fidem ex fonte scripturarum, clamantium, Cum ipso sum in tribulatione. Psal. 90. Scit pater vester quod his omnibus indigetis, Matth. 7. Ego sum re-

surrectio

surrectio & uita. Ioan. 11. Eum qui uenit ad me non eijciam foras. Ioan. 6. Non misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum. Ioan. 5. Ideo, inquit, Christus, qui credit in me non inani aut imaginaria fide, sed sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Quia nescit molimina Spiritus sancti gratia, qua fideles non tantum in baptismo, vbi copiosissimè hanc percipiunt, sed & in vera perfectaq; pœnitentia perfundũtur, vt ferantur ad omnia pietatis & bonorum operum exercitia. uiuit enim in eis, vt ait Paulus Galat. 2. Christus: cuius Spiritu diffunditur charitas in cordibus ipsorum: qua impellente diligunt Deum ex toto corde, ex tota mente, &c. & proximum sicut seipsum. Matth. 19. Hæc vera sunt flumina, quæ de cordibus fidelium fluunt, quibus irrigatur ecclesia, sanctificatur ab operibus mortuis, defenditur aduersus hæreticos & schismaticos, qui suauissima hæc fluẽta, quæ non secus atque aquæ Siloe fluunt, cum silentio gustare nequeunt: eò quòd delectentur turbidis & lutosis fluminis Nili aquis, id est, falsarum opinionum, & hæreseωn.

FERIA TERTIA DOMInicæ Passionis. Euangelium Ioannis VII.

POST hæc autem ambulabat IESVS in Galilæam, non enim uolebat in Iudæã ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Erat autem in proximo dies festus Iudæorũ, scenopegia. Dixerunt autem ad eum fratres eius. Transi hinc: & uade in Iudæam, ut & discipuli tui uideant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse. si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum. Dixit ergo eis IESVS: Tempus meum nondum aduenit: tempus autem uestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse uos. Me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hũc, ego enim nõ ascendam ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto. Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille? Et mur-

mur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas. Nemo tamen palàm loquebatur de illo, propter metum Iudæorum.

Huius Euangelij historia quatuor proponit.

PRIMO, *In his fratribus, id est, iuxta phrasim scripturæ, cognatis, proponit nobis eleganter ingenium, & indolem mundi, & eorum qui mundo placere uolunt, quid nimirum spectent: nempe, vt ait Ioannes, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum & superbiam uitæ. Cupiebant enim hi fratres, non, vt impius uoluit Heluidius, filij è beata Virgine post Christum nati, aut, vt Epiphanius arbitratur, Ioseph, ex alia vxore filij: sed consanguinei Christi, vt ipse (ambitiosorum hominum more) insignia sua facta ederet, nō in locis humilibus et abiectis, sed in celebri illa Hierosolymitana vrbe: ubi totius regni magnates agebant, vt ipsius uirtute et splendore ipsi quoque emergere possent. Siquidem erant adhuc carnales, secundum hominem ambulantes. Atque ideo quia Christum Dei sapientiam, per quem placuit æterno patri saluos facere credentes, non agnouerunt, nisi secundum carnem: quæ cognitio sine fide nō prodest, hinc Christum à se abigunt: caro enim aliud nihil*

hil spectat, quàm quæ externa specie sublimia sint & magna. Mundus quod suum est diligit. Ioan. 15. ut autem à se ambitionis, & superbiæ crimen depellãt, ne suam, sed aliorum gloriam spectare viderentur, quum nihil tamen æquè atque suam quærerent: tametsi id arte quadam dissimularent. Discipulorum gloriam prætexunt, dum aiunt: Ut videant discipuli tui opera quæ tu facis, & si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Quibus verbis manifestè suam produnt ambitionem et incredulitatem, qua laborabãt, quibus impediebantur ut fidei veritatem & Christi virtutem non assequerentur, quia secundum carnem erant, & quæ carnis sunt sapiebant, Ro. 8. Prudentia autem carnis, iuxta Paulum, inimica est Deo: Deo enim semper contraria suggerit: ut pulchrè huius Euangelij docet historia.

SECVNDO, *Ostendit suo ipsius exemplo Christus, quales eos esse oporteat qui carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. Nempe alienos à dilectione mundi, scientes quod qui voluerit amicus esse huius seculi, inimicus Dei constituitur. Iac. 4. amicitia enim huius mundi Deo est inimica, & mundus transit, & concupiscentia eius. Proinde ipsos debere fugere de Babylone. Apoc. 18. ne iræ, uel fornicationis vino inebrientur: sed ut mundent se ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. 2. ad Corint. 7. Parati quocunque tempore iusserit Deus, ferre mundi iniurias, afflictionis, contumelias, persecutiones, & crucem*

ſcientes quòd per multas tribulationes oporteat nos introire in regnum Dei. Act. 14. tum etiam quod non ſine ſummi patris voluntate hæc accidāt, nō pro mundi arbitrio, qui ſemel extinctos uellet. quos odit. Reſpondet autem Chriſtus magna modeſtia tempus ſuum nondum adueniſſe, quo ſcilicet ille ab æterno decreuerat per paſſionem & crucem, non Iudææ tantum, ſed toti mundo innoteſcere. Quaſi dicat: hæc feſtiuitas mihi abominatio eſt. Iſa. 1. in qua ſcilicet omnis uiget malitia, ueritati obſiſtitur, diuina voluntas non ſeruatur. tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum, qui aliud nihil præter honores, diuitias, luxum, & mundi gloriam ſomniatis. uos qui etiā quū mala incrudeſcunt, quum Deus blaſphematur, quū veritas opprimitur, sēper ridetis ſecuri. Quibus uerbis apertè diſcernit inter eos qui ſunt Chriſti, & eos qui ſunt mundi, quia illis mundus crucifixus eſt, & ipſi mundo, Galat. 6. iſti autem tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.

TERTIO, Quando uerò ait non poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit: docet eleganter quæ ſit propria mundi natura, ſcilicet amare ſibi ſimiles: quia enim totus in maligno poſitus eſt. 1. Ioan. 5. non poteſt non malos diligere, & perſequi & odire pios, iuxta illud: quia de mundo non eſtis, propterea odit uos mundus. Ion. 16. Siquidem mali omnes ſuos conatus eò exerunt, vt mundo placeant, impietatem promoueant, placentia loquantur, adulentur, faſtum, honores, diui-

tias, luxum ostentent: ut denique, iuxta Isaiam, dicant malum bonum, & bonum malum. pij uero quia ex uerbo Dei damnant, & testimonium perhibent, quòd opera eius mala sunt, non solum manifesta flagitia, sed ipsius quoque hypocrisis, falsa iustitia, denique quia uerbis & factis se impietati opponunt, ideo odit eos mundus. etsi enim quandoque uideatur amare pios, tantisper scilicet dum silent, dum dissimulāt, dum ad ipsius vitia conniuent: mox tamen vbi arguere cœperint, & damnare, ne nimia conniuentia probare uideantur, amore mutato odit, persequitur, occidit. hoc Christo, apostolis, martyribus accidisse cernimus. Hoc loco sibi mirè blandiuntur nostri temporis aduersarij, qui nescio qua temeritate ea quæ Christus sibi ac suæ doctrinæ propria facit, in patrocinium suorum errorum non verentur quasi obtorto collo pertrahere, dum conqueruntur sese suarum hæreseωn causa ad supplicia rapi, nec verentur ea quæ Christus in impios & infideles pronunciat, in magistratum fidelium, quem Paulus Dei ministrum uocat Rom. 13. torquere. Docere prius debuerant et doctrinam suam, & uitæ suæ innocentiam, cum Christi & apostolorum, ac martyrum conuenire, nec pugnare cum doctrina ueræ & apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ, ac demum pios imperatores, reges, principes, legum decreta, mundi nomine censeri. Neque enim hoc est mundi opera arguere, hæreses docere; turpes incestus approbare; Christi sacramenta opprimere; & religionem subuertere. Sed, ut Christus & fe-

 cit,

cit, & fieri iussit; impietatem, hypocrisin, auaritiam, libidinem, iram, inuidiam, & odium, aliaq; manifesta crimina damnare, ac pro ijs docere ueram cordis iustitiam, pietatem, benignitatem, & mansuetudinē, fidem, castitatem, & benignitatem. &c. Galat. 5.

QVARTO, Dum negat se ad festum ascensurum, quo tamen pòst ascenderit, quum fratres eius ascēdissent: nequaquam contraria sibi dicere putandus est, sed respondet secundum consilium sibi à consanguineis datum, se non ascensurum. quibus uerbis elegāter ostendit, nos etiam ea quæ ad gloriam Dei spectare uidentur, non debere ad gratiam hominum, ut inde scilicet euanescamus, aut ut illi insolentiores euadāt, perficere. non enim sufficit bona agere, sed bona bene agenda sunt: nempe in gloriam Dei. ad Philip. 2. quem docet fides, & proximi utilitatem, quam suadet charitas. 1. Corinth. 13. hunc enim quisquis sibi scopum non præfixerit, à perfectione iustitiæ se abesse procul intelligat. Significat præterea Christus, fore ut Iudæorum festa, sacrificia, oblationes, ceremoniæ, & politia, quæ omnia Apostolo teste, sub figura rerū futurarum, quarum ueritatem Christus adferebat, ab illis seruabantur, breui abrogarentur: quando ad interiora uelaminis præcursor ipse pro nobis introiret, ad Hebr. 6. ubi uerum tabernaculi festum non ipse tantum, sed quotquot essent præordinati ad uitā, perpetuo apud patrem agerent. Ascendit autem ad hoc festum occultè, tum quia nondum uenerat hora illa qua transiret ex hoc mundo ad patrem, & in

qua

qua à turbis publica illa acclamatione exciperetur: tum etiam, ut uerum sese hominem esse demonstraret, neque enim ubique illum dicebat diuinitatis suæ potentiam manifestare, ut denique exemplo esset ijs qui circundati sunt infirmitate, ne scilicet inimicorum furorem, licet iniqua de causa conceptum, irritent, aut Deum tentent, sed dent locum iræ. Porrò ut suo ascensu Christus insignem suam erga Iudæos cõmendauit charitatem, qua cupiebat eos omnes ad ueritatis cognitionem venire, ita illi contrà, magna & obstinata malitia semper veritati restiterunt, et oblatum fidei lumen reiecerunt: odio nimirum in ipsum concepto ita excæcati, ut ne nominari quidem ipsum sustinerent: quod non sine iusto Dei iudicio accidisse putabimus: indigni etenim erant, qui sacrosanctũ illud nomen, quo non est aliud sub cœlo datum hominibus, uel sanctius uel diuinius, quo possent salui fieri, nominarent. proinde uago murmure murmurantes, dixerunt: ubi est ille? id enim odio proprium est, ut uel meminisse horreat eius quem oderimus: Sed hoc facto suo docet Christus, fidos uerbi sui ministros non debere propter odium impiorum à ueritate fidei uel latum unguem discedere.

FERIA QVARTA Dominicæ Passionis. Euangelium Ioannis X.

2.Mac.4 f.g.

FACTA sunt autem Encænia in Hierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat IESVS in templo in porticu Salomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei. Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palàm. Respondit eis IESVS. Loquor uobis, & non creditis. opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me: sed uos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater unum sumus. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, ut lapidarent eum. Respondit eis IESVS, Multa bona opera ostendi uobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus

Esa. 43.a. & b.

te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Respondit eis IE-

svs: Nonne scriptum est in lege uestra, Ego dixi, dij estis? Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura, quem pater sanctificauit & misit in mundum, uos dicitis. Quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum? Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non uultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia pater in me est, & ego in patre. Psal. 81.b

Hoc Euangelio Christus arguit Iudæorum horrendam cæcitatem, ac sese uerum Dei patris filium ostendit: quem scilicet pater in mundum miserit, ut prædestinatos & electos eriperet de potestate tenebrarum. Agit autem Christus quatuor.

PRIMO, *Dum festo Encæniorum, quod in memoriam templi post transmigrationem Babylonicam instaurati fuit institutum. 1. Mach. 4. ambulat, tanquam verus rex pacis, qui inimicitias nostras soluit in carne sua. Ephes. 2. in porticu Salomonis: vt facto suo etiam loca sacra non esse temerè prophananda doceret,*

ret, quum orationibus, & sacrificiis Deo offerendis expresso suo verbo ea consecrarit, ac prophanata ipse purgarit. Ioan. 2 Matt. 21. Luc. 19. hic igitur Christus iudæorum quæstioni propositæ ex odio, male uolentia, inuidia, & curiositate, atque calumniandi causa potius quàm studio, amore, uel desiderio veritatis, respondet incredibili quadam mansuetudine, ne quam de peccatis excusationem afferre possent. Nam apertè se Dei filium, Christum, & Messiam in lege promissum, sublata omni verborum ἀμφιβολογίᾳ, aut parabolis, demonstrat: significans ipsam fidei veritatem & inimicis, & amicis, vbi salutis periculum subesse posset non supprimendam. Nam qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua. Luc. 9. quanquam certo sciret non meliores, sed longè deploratiores eos euasuros. Potest tamen, vt ostendit Augustinus lib. de bono perseueran. cap. 16. fidelibus subesse causa & dicendi, & tacendi. verum sicut & Christus non vbique etiam rogatus veritatem aperuit, sed quandoque subticuit, vt Lucæ 20. Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

SECVNDO, Doctrinam, qua sese verum Dei filium, & Messiam in lege promissum esse demonstrat, docet sublimiorem esse quàm vt humano ingenio apprehendi possit: imò ne ex ipsa quidem operum consideratione, quæ supra naturam, et in nomine patris faciebat, ac iuxta prophetarum oracula. Isa. 35. frustra enim externa foris oculis se se ingerunt, nisi diuino afflatu

animum

animum illustrent. Augu.15.de Ciuit.cap.6. Dam-
nat itaque Christus in Iudæis obstinatam voluntatẽ,
deliberatam malitiam, & mentis auersionem. qui-
bus manifestæ veritati ne crederent restiterunt, ac
ne oues.i.electi, essent, obstiterunt: nam licet prædesti-
nationis nulla esse causa queat, nisi sola Dei miseri-
cordia: reprobationis tamen iustissima est præter ori
ginalem culpam, in adultis impia voluntas. Malè
ergo ex hoc loco (non creditis, quia non estis ex oui-
bus meis) quidam colligunt Deum incredulitatis,
impietatis, & reprobationis humanæ esse autorem.
neque enim Deus volens iniquitatem ipse est. Psal.5.
sed iustissimus vindex, apud quem nulla est iniqui-
tas impunita, ipsorum itaque malitia effecit, vt inter
electos non essent: eo quòd oblatam gratiam reyce-
rent, semper rebelles lumini. Porrò per antithesin e-
leganter docet quæ sint electis, quos sub metaphora
ouium intelligit, propria: scilicet audire vocem Chri
sti: oues meæ, vocem meam audiunt, inquit Psal.84.
cognosci à Christo: & ego cognosco eas. Ezech.9. se-
qui Christum .s. fide spe, charitate, vita, moribus, àb
negatione sui, contemptu rerum terrenarum, crucis
tolerantia. Matth.10. accipere à Christo vitam æter
nam, non perire in æternum. Hi sunt inæstimabiles
allati per Christum thesauri, quos mundus non potest
accipere, quia non nouit eum per quem sunt parati.s.
ante mundi constitutionem electis, quos præsciuit con
formes fieri imaginis filij sui. Ro.8. quos & prædesti
nauit, & uocauit vocatione sancta, vt essent sancti et

imma-

immaculati coram ipſo, quos denique iuſtificauit cõceſſa peccatorum remiſſione, auxilio gratiæ, quo fit ut omnia ipſis cooperentur in bonum. Iuſti enim & ſi cadant, non tamen colliduntur; quia dominus ſupponit manum ſuam. audiunt enim vocantem Chriſtum, illum ſequuntur, toti ab ipſo dependent, illi fidunt, atq; hunc tanquam paſtorem, qui paſcat eas in iudicio et iuſtitia uerbo vitæ, & alimonia ſacramentorum in paſcuis uberrimis Eccleſiæ, amplectuntur. nec alienum ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia hunc non ſolum agnoſcunt mortis & uitæ dominum, qui ſuos ſeruat ne pereant in æternum.

TERTIO, Ne immenſa hæc beneficia imaginaria quis tantum crederet eſſe ſomnia, ut certius fidem dictis faceret, docet ea non à ſua tantum humanitate expectanda, quam humilem, & abiectum cernebant, ſed diuinitatis ſuæ potentia, cui aduerſaria nulla poteſtas præualere queat, ut electos Chriſto eripiat, habeat licet diabolus mille nocendi artes. ſ. voluptates, miſeriam, paupertatem, exilia, equuleos, & mortem. quibus veluti machinis ſeducere nititur (ſi fieri poſſet) electos, operam luſerit: Chriſtus enim vicit mundum, is oues è faucibus vrſi & leonis, ut Dauid. 1. Reg. 18. eruit electos, de poteſtate ſcilicet tenebrarũ, et tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, ut non immeritò cum Apoſtolo dicant: quis nos ſeparabit: Ro. 8 quiſquis ergo perit, ſua culpa, non infirmitate protegentis. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Pſal. 117. Ac ne quid diffidentiæ, uel

pusillanimitatis subrepere pijs animis possit ex tanta hostium numerositate ac robore, quibus se impeti sentiunt indies, sed audentiores, ac succincti lumbos mentis in veritate stent, hortatur vt in Fide, Spe, & Charitate stabiles maneant, siquidem & patris æterni potentia tuti sunt. Hier. 49. eadem enim est & patris & filij secundum diuinitatem potentia, eademq; natura. Hoc enim est, Ego, & Pater vnum sumus. item: nemo rapiet de manu patris mei. Est enim eadem vtrique secundum diuinitatem Voluntas, Potentia, Natura, & Essentia. licet secundum humanitatem, filius dicatur minor patre.

QVARTO, *Furori Iudæorum, quem ex veritate verbi conceperunt, ita vt ad lapides conuolarent, quibus veritatem opprimerent, non cedit, sed magna potentia resistit, vt re ipsa demonstraret malitiam, & tyrannidem tum dæmonum, tum hominum non posse pro sua libidine grassari, & opprimere electos, sed nutu, & potentia Dei coerceri: ne tantum quàm velint lædant, vt videre est in Abrahæ, Dauidis, Heliæ, Apostolorum, & Martyrum persecutionibus, quas Dei arbitrio tantum contigisse docent scripturæ: deinde suauissima oratione, & rationibus efficacissimis ipsorum ingratitudinem, vult conuincere, & suam in omnibus innocentiam demonstrare. Siquidem nihil supplicio dignum perpetrasset, quando omnia sua in Reipublicæ vtilitatem, & commodum contulisset, quod ne ipsi quidem, licet insani, & inuidi, negare poterant. Sed vt est temeraria & præceps humana audacia,*

dacia, dum Spiritu Dei non regitur, audent blasphemiam interpretari, quæ non nisi diuina potentia fieri iudicauerant. Christus autem vt suos in fide confirmaret, & ratione, & scripturarum authoritate suã doctrinam confirmat, quam permittit ex miraculis iudicari.

FERIA QVINTA Dominicæ Passionis. Euangelium Lucæ VII.

ROGABAT autem illum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, ut cognouit quòd IESVS accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti: & stans retro, secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Videns autem Pharisæus qui uocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret utique quæ & qualis est mulier quæ tangit eũ, quia peccatrix est. Et respondens IESVS, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait, Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus

habentibus illis unde redderent, donauit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Et respódens Simon, dixit: Aestimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni, Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti: hæc autẽ unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi, Remittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se, Quis est hic, qui etiam peccata dimittit. Dixit auttem ad mulierem, Fides tua te saluam fecit, uade in pace.

Docet huius mulieris pœnitentiæ actio, pœnitentiam ex fide & dilectione Dei proficiscentem, caussam esse qua iustificemur à Deo. Complectitur autem trium personarum dispares mores & officia.

Primo,

PRIMO, *Pharisæi, qui communi hypocritarum morbo laborans, nempe propriæ iustitiæ opinione, odio proximi, et inuidia erga Christum, qua malè de illo suspicabatur, quæ tamen ut dissimularet, amicitiam erga Christum simulat, odit enim carnis natura videri quod est, proinde ut sinistram uitet suspicionem, multa subinde etiam contra conscientiam agit, ut docet Christus Matth. 23. omnia enim opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus hi qui carnales sunt. Exhibet igitur Christo beneficium, & obsequium simulatæ amicitiæ, eumq́ conuiuio excipit, Christus uerò qua erat erga omnes humanitate, & si maleuolum eius animum non ignoraret, accedit, admonens non esse temerè iudicanda ea facta, quæ sunt ἀδιάφορα. quum possint non solum malè, sed etiam bene fieri. Patet hic locus dicendi de conuiuijs Christianorum qualia ea esse oporteat: scilicet sobria, modesta, secundum faciem sanctorum Iudith. 16. non, ut nunc sunt, lasciua, petulantia, ebriosa, & detractionibus plena. Hæc enim damnant scripturæ. Isa. 5. 28. cythara, lyra, tympanum, tibiæ, & vinum in conuiuijs vestris, & opus domini non respicitis. aliam longè rationem præscribit Christus Lucæ 14.*

SECVNDO, *Mulieris peccatricis, quæ ex auditu fidei Christum cognouit. Hæc cum otiosa esse nequeat, parit veros pœnitentiæ fructus, cognitionem, contritionem, confessionem, & satisfactionem peccati, quod intelligat sine his placere se Deo non posse. quare sicut exhibuit membra sua seruire immunditiæ, &*

iniquitati,

iniquitati, ita nunc exhibet ipsa arma iustitiæ in sanctificationem. Rom. 6. ideo ut audiuit quod Iesus accubuit in domo Simonis, adfert alabastrum unguenti, lachrymis pedes Christi rigat, capillis capitis sui tergit, osculatur pedes, & unguento unxit, criminũ scilicet suorum iudex seuerior, mentem ac membra singula, digna castigatione castigãs, mactata intrinsecus anima proprium in sancta sanguinem tulit, cor contritum erupit in lachrymas, Fides lauit, Charitas unxit, de pœnitentiæ pixide, unguenta protulit, & crinibus, lasciuie irritamentis, tersit. Huiusmodi siquidem fructus parit fides quæ per dilectionem operatur. Charitas enim, quæ diffunditur in corde per spiritum sanctum, nequit esse otiosa. sed non secus atque solet ignis rubiginem, sic ipsa mox peccatum omne tollit: nam spiritus disciplinæ effugit fictum, nec potest habitare in corpore subdito peccatis. Accepit itaque hæc mulier initium bonæ voluntatis, quã secuta est uehemens peccati detestatio ac dolor.

TERTIO, *Christi perhorrendum ac verè metuendũ iudicium, quo pœnitentem absoluit meretricem, & superbum damnauit hypocritam, ut ostenderet misericordiam suam, qua gratis peccata conuersis donat; & iudicium, quo dignos deseri deserit: dum muliere ait: Remittuntur tibi peccata tua, quia scilicet dilexit multum. Nam lachrymis pedes lauit, unguento pedes unxit, capillis tersit, & osculari pedes non cessauit. & Simoni suam ingratitudinem imperat, quod ipsi domum intranti aquam pedibus nõ*

Q dedisset,

dedisset, osculum non porrexisset, et oleo caput non unxisset. Horum enim neglectus facilè indicabat animum Simonis erga Christum parum fuisse candidū. dum ea exhibere negligit, quæ candoris & beneuolentiæ erant symbola. Sed quomodo ante remissionem peccatorum potuit hæc mulier ita Deum diligere vt eam consequeretur? constare ne potest charitas, qua diligitur Deus, cum peccato mortali? deinde si remissio peccatorum est, quo modo eam tribuit Christus dilectioni? quibus paucis respondeo, Charitatem inchoatam posse consistere cum peccato, non quidem cum affectu peccandi: fieri enim nequit, vt quis & Deum & peccatum diligat: quia hæc mulier Deum dilexit antequam illi peccata à Christo remitterentur. Perfecta quidem charitas qualem diffundit Spiritus sanctus, cum sit peccatori propitius, sine remissione peccatorum haberi nequit, atqui talis non semper requiritur ad cordis compunctionem, aut eam contritionem qua orantem Deus non despicit, Psal. 80. Cor contritum & humilitatum Deus non despicit. Quomodo verò remissionem peccatorū charitati tribuat hic Christus, tanquam causæ iustificationis, quū iustificatio, quæ sine remissione peccatorū non cōtingit, sit gratuita: aliter hæretici, aliter docent catholici. Illi enim uolunt senechdochicῶs hic Christum loqui, & nomine dilectionis fidem intelligi: uel dilectionem non præcessisse remissionem peccatorum in muliere, sed secutam fuisse: quasi condonatio debiti fuerit causa dilectionis. neque ab hac sententia alie

nus

nus esse videtur Lyranus, dum ait: quoniam, hic non significat causaliter, sed consecutiuè. Catholica verò fides credit gratuitam prorsus esse iustificationem; iuxta illud, Iustificati gratis. Ro. 5. nec quenquam, donec filius iræ est & damnationi obnoxius, hanc posse promereri, atqui tantam esse miserentis Dei, ac gratia sua præuenientis, clementiam, vt pœnitentis dilectionem, & fidei & charitatis opera, quæ ex occulta Dei inspiratione agit, respiciat: ita vt quasi eorum operum intuitu dicat scriptura, Deum nos iustificare, dum videlicet in gratiam recipit, dum peccata condonat.

FERIA SEXTA Dominicæ Passionis. Euangelium Ioan. XI.

COLLEGERVNT ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & ueniēt Romani, & tollent nostrū locum & gentem. Vnus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis: quia expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophe

tauit quòd IESVS moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, ſed ut filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in unum. Ab illo ergo die, cogitauerunt ut interficerent eum. IESVS ergo iam non in palàm ambulabat apud Iudæos, ſed abiit in regionem iuxta deſertum in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis.

Hoc Euãgelio proponitur impium illud & horrendum impiorum hominum concilium, quod contra Chriſtum egerunt. Complectitur autem quatuor.

PRIMO, *Proponit pontifices, & phariſæos dicentes, quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit. Adegit autem eos ad impiam hanc conſultationem, non amor, aut beneuolentia erga Rempubl. non denique imminens periculum, neceſſitas, & perturbatio, quæ idonea & ſufficiens ineundi concilij eſſe ratio & cauſa ſolent, vt. ſ. communi hominum prudentum deliberatione matura, res graues decernantur in communem Reipub. vtilitatem, vt denique non præſentia tantum, ſed futura quoque impediant mala. Sed ambitio, auaritia, qua verebantur, ne honoribus ſuis exciderent, & quæſtu & lucro quod in alis artibus acquirebant, ſpoliarentur, inſuper inuidia, & odium in*

Chriſtum

Christum, cuius gloriæ propria malitia excæcati inui debant. Ideo iusto Dei iudicio dati in reprobum sensum, ea faciunt contra Christum, quæ manus & consilium Dei destinauerat fieri. erant enim iam uasa iræ, apta in contumeliam. Neque uerò propterea putabimus Deum uelle iniusta concilia, & iniustas actiones gubernatorum, quia eis horribiliter irascitur. Psal. 5. Non Deus volens iniquitatem etc. sunt enim hæc diaboli impetus grassantis in impijs, qui Deum gubernatorem sui excusserunt, & ideo à Deo abiecti sunt, & fiunt organa iræ, et pestes generis humani, ut Pharao, Iudas, Caiphas, Caligula, Nero. Ita nunc quoque ijdem hi morbi ecclesiam miserè uexant, dum Ecclesiasticos, & Politicos magistratus ad bella & seditiones, ad schismata et errorũ defensiones adigũt.

SECUNDO, Quomodo arte quadam dissimulant inuidiam, quod scirent Iudices ab huiusmodi affectibus liberos esse debere, honestum præceptum adferunt: ue rentur enim, ne si Christi fides obtineat, Romani ipsis locum, & gentem tollant: quasi uidelicet Christus populum contra Romanos ad seditionem, & rebellionẽ concitasset: ut fecerunt Thendas, et Iudas Galilæus. Act. 5. Atqui Christus oblatum sæpius regnũ renuit. Io. 6. & censum esse Cæsari numerandum docuit Lucæ. 20. & soluit. Matth. 17. quæ sanè nõ sunt eorũ qui tyrannide regna inuadere nitũtur, uel qui seditiones excitare solent. Ipse enim Christus rex regũ, & dominus dominantium non terrenum, aut carnale regnũ meditabatur, quod armis, potentia, opibus, & militibus

bus obtinetur. Sed cœleste, & spirituale, quo per fidē, charitatem, & uerbum suum dominaretur in cordibus credentium, quos obedientes principibus esse iussit: quare hæc non erat sufficiens satis colligendi contra Christum consilij ratio.

TERTIO, Quod hi principes nihil quod ad Dei spectaret gloriam, sibi proposuissent in hoc consilio, sed ea tantum, quæ prauis ipsorum affectibus, & cupiditatibus inseruirent, uel primarius impij huius concilij præsidens Caiphas Simoniacus, satis testatur: qui quum hostis esset filij Dei, nihil nisi quod impium esset animo uersabat. Sed Deus, qua est infinita bonitate & potentia, iniusta, & crudelia consilia ad fœlices ac salutares exitus producere nouit: vt olim uenditionem Ioseph ad salutem fratrum Genes. 50. Licet verò impius hic, animo malo esset in Christum tamen officij dignitatem ab ipso institutā uoluit Deus dono externo, & uisibili prophetiæ commendare, quā alio longè spiritus sanctus intendit quàm ipse Caiphas. nam instinctu Dei locutus est, & vt Balaam. Num. 23. quanquam imprudens & ignarus quid diceret. sic sæpe solet impia consilia gubernatorum in salutem uertere eorum quibus ipsi insidiantur. Deinde & illud hic obseruandum, bonis, et malis huiusmodi dona gratuita esse communia, & si periculosa in malis sint. Pronunciat igitur in Christum sententiam, scilicet Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, et ne tota gens pereat. hoc autem, teste scriptura, a semetipso non dixit, sed quum esset pontifex

anni

anni illius, prophetauit: quæ non ita intelligas quasi veteri illi & Aaronico pontificatui sic esset alligatus spiritus sanctus, ut quicquid pontifex diceret, statim à spiritu sancto dictum putaretur, aut diuinum oraculum susciperetur, sed significat Deum semper externo illi ministerio fauere solitum: & quamuis ipsæ personæ essent impiæ, officium tamen erat sanctum & diuinitus institutum. Ex quo sequitur error Vuyclef, & aliorum, quem confutant Augustinus lib. 4. cõtra Donatist. cap. 4. Bernar. ser. 66. in Cantica. Si verò hoc veteri illi & typico concessit Deus beneficium, an putabimus Ecclesiam suam, quam sibi collegit, & purgauit Christus, omnino deseruisse, ac spoliasse omni externo sacerdotio: quando in omni lege superesse uoluerit sacerdotes, qui offerrent dona & sacrificia pro peccatis.

QVARTO, *Proponit autem Euangelista immensam Dei misericordiam, quam in diffinitiua sententia iudicis explicat: quanquam illam nec cogitarit nec decreuerit impius. Quodnam enim præclarius conferre humanæ naturæ posset Deus, quam Iræ, et Dãnationis filios congregare in unitatem fidei, abducere à cultu dæmonum, & à uarijs erroribus, quibus miseri detinebatur, ad ueri Dei cognitionem: ut erepti de potestate tenebrarum traducerentur in vnũ corpus, cuius caput Christus: ipsi autem per fidem et charitatem ut uiua corpori membra inserti ipsius spiritu vegetarentur, donec occurrerent in viros perfectos, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. ad*

Ephes. 4. & horrendum Dei iudicium, in uasa iræ aptata iam in interitum, sua nimirum culpa: quia enim restiterunt veritati, miscuit eis dominus spiritum soporis & uertiginis. Isaiæ 29. iusto suo iudicio. Neque propterea fatali quadam necessitate quis eos coarctos fuisse opinetur, vt uoluntate sua aliter vti non potuerint, arbitrij libertate ipsis, vt quidam falso opinantur, adempta. Dei enim præscientia non imponit aliquam necessitatem, nisi fortasse eam quã vocant consequentiæ, quam neque ordinat, neque approbat, sed tantum ad certum finem determinat ea quæ homo lib. arb. facit, quod ergo impio isto concilio, de quo Iacob Genes. 49. & Psal. 20. non solum decreuerunt, sed etiam perficere moliuntur, Dei uindicantis est iudicium, quod necessariò ipsorum impietatem & malitiam est consecutum: vt scilicet omnes conatus, & vires in Christum perdendum intenderent: hoc enim est quod scriptura docet, malos semper proficere in peius. Nullus autem est nocentior profectus, quàm qui contra Christum, Scripturam, & Ecclesiam suscipitur. qualis est eorum qui sese hostes Dei profitentur, vel factis, uel uerbis; vt sunt omnium peccatores, hæretici, qui non solum Christum persequuntur, sed etiam rursum crucifigunt, & ostentui habent in semetipsis.

SABBATO ANTE Palmarum. Euangelium Ioannis XII.

IEsvs ergo, ante ſex dies paſchæ uenit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauit Iesvs. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha miniſtrabat. Lazarus uerò unus erat ex diſcumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi, & unxit pedes Iesv, & exterſit pedes eius capillis ſuis: & domus impleta eſt ex odore unguenti. Dixit ergo unus ex diſcipulis eius Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus, Quare hoc unguentum non uæniit trecentis denariis, & datum eſt egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum: ſed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat. Dixit ergo Iesvs: Sine illam, in diem ſepulturæ meæ ſeruauit illud. Pauperes enim ſemper habetis uobiſcum: me autem non ſemper habetis. Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic eſt: & uenerunt non propter Iesvm tantum: ſed ut Lazarum uiderent, quem ſuſcitauit à mortuis, &c.

Mat. 26. a
Mar. 14. a

Continet inæstimabilem Dei misericordiam hoc Euangelium, quoniã exhibuit Christus in eo quod tanta promptitudine Iudæam repetit, quia iam horam adesse sciebat, qua uictima fieret pro peccatis totius mundi: præterea Mariæ Magdalenæ in Christum amorem commendat, & Iudæ proditoris insignem auaritiam arguit. proponit autem quatuor.

PRIMO, *Christus, quia agnouit æterni patris sui eam esse voluntatem, vt sese pro humana natura ueram exhiberet hostiam & victimam pro peccatis, vt ueritas vmbræ responderet, qua decima die mensis iubebatur ouis immolanda in pascha tolli. Exod. 12. id est, sexta die ante immolationem, ascendit & ipse ante sex dies paschæ, hoc est, iuxta nostram computandi rationem 19. Martij. nam 25. eiusdem pro nobis æterno patri satisfecit. Venit autem Bethaniam Lazari à morte resuscitati, Marthæ, & Mariæ Magdalenæ causa, ænigmate quodam eos sibi gra-*

tos

tos esse significans, qui uerbis ipsius essent obedientes: hos enim sua visitatione dignatur. Isa. 66. Ad quē respiciam, &c. 1. Reg. 13. melior obedientia, &c. Deinde ut peractum miraculum certius & illustrius faceret, & spem resurrectionis suæ daret, Dum eum, qui à morte suscitarat, omnibus uitæ officijs vtentem conuiuam admittit, & moriturum se significat, non tantum à morte absorbendum: qui enim alium potuit à morte reuocare, & se. Porrò in eo conuiuio, cui Christus accumbit, imaginem ecclesiæ agnoscere licet, in qua sola Christus agnoscitur, adoratur, & colitur, charitate in cordibus fidelium diffusa, quæ nō patitur otiari quemque. Nam Lazarus, rediuiuus peccator scilicet è monumento ad pœnitentiam uocatus gloriam Dei prædicat, Martha, quæ practicæ uitæ imaginem refert, operibus charitatis erga proximum, sed tamen ad gloriam Christi, tota occupatur, & Maria iam non ad pedes otiosa desidet, sed unguento pretioso caput & pedes Christi perfundit. Ea enim demum uera est Ecclesiæ Christi facies, quam sibi, Apostolo teste, sponsam elegit, quam purgauit sanguine suo, quam denique corpus Christi idem appellat, in qua uera est obedientia in obsequium fidei, peccati cognitio, sacramentorum iuxta Christi formam institutorum reuerentia, ubi charitas, quæ plenitudo legis est, & perfectionis vinculum, energiam exerit suam, proximi necessitatibus succurrendo. Vbi denique uerbi ministris sacerdotibus Christi suus seruatur honos, iuxta præceptum Apostoli Galat. 6.

commu-

Communicet autem is qui catechizatur uerbo, &c.

SECVNDO, *Magnam Magdalenæ erga Christum charitatem commendat, quæ tanta liberalitate caput, & pedes perfudit unguento nardi pisticæ pretiosæ, neque hoc contenta, extersit pedes capillis suis: id enim est peculiare fidei, ut Deum solum agnoscant, & quem misit Iesum Christum. Ioannis 17. & charitati, ut opes suas in ministerium ecclesiæ, & ministrorum Christi benignè & liberaliter conferat. 1. ad Thessa. 5. Rogamus uos fratres, &c. Fugienda enim hic est impia de hoc facto suspicio, quasi lasciuiæ tantum esset argumentum, quia Plinius inter maximæ luxuriæ indicia refert, quod talos & pedes quidam inungerent. Aliud spiritui sancto hic propositum fuit. Significare nimirum, quàm grata, & meritoria sunt apud patrem ea opera quæ ex fide proficiscuntur ut sunt dilectio Dei super omnia, & dilectio proximi. Hæc enim odore suauissimo totam ecclesiam perfundunt: quæ licet malis sint odor mortis in mortem: sunt tamen pijs odor vitæ in vitam, qui non solum inde consolationem accipiunt, spiritus sancti, verum etiam magis magisq́; accenduntur ardore cœlesti, donec ad eandem attingant vitæ perfectionem, ut se, suaq́; omnia in Euangelij, & ecclesiæ subsidium conferant.*

TERTIO, *Auaritia excæcatus Iudas, imaginem gerens omnium in Ecclesia hypocritarum, seditiosorũ, auarorum, & inuidorum, qui pietatem questus causa simulant. pacis & concordiæ unitatem ambitionis*

vel auaritiæ occasione scindunt, perire arbitrantur quod ipsorum cupiditati aut marsupio non seruit, & aliorum fœlicitate aut commodis anguntur. fremens atque alios Apostolos ad murmurationem prouocans, qui tamen ob animi simplicitatem excusantur, vt magis cupiditati, & auaritiæ suæ patrocinari uideatur, honestum prætextum adfert, pauperum scilicet subuentionem. Sic enim solet humana industria honesto titulo suis affectibus inseruire: atque ideo duas quæstiones proponit, scilicet, Quare hoc unguentum non venijt trecentis denarijs? & Quare non est datum egenis? Hoc autem dixit, non quod pauperes illi curæ essent, sed quia fur erat, & ea quæ mittebantur portabat. Huiusmodi vtinam non multos nostra hæc ferat ætas, quibus cum nihil æquè cordi esse uideatur, atque ipsa pauperum cura, vt ijs alendis omnia sua erogare velle uideantur reuera tamen aliud nihil animo meditantur, quàm Ecclesiæ bonis insidiari, ex illis suum facere commodum, atque vt turpes solent harpyæ, rapinis, usuris, ac malis artibus, sub euangelij ac pauperum prætextu ditescere. Huiusmodi illæ experiuntur regiones, in quibus pro Christi suauissimo euangelio, Antichristi obtinuit κακανγέλιον.

QVARTO, Aequissimus humanarum actionum æstimator, & iudex Christus, non externam tantum operum laruam, sed radicem ipsam, intentionem scilicet, tanquam Deus intuens, innocentis suscepit patrocinium, dum ait: Quid molesti estis huic mulieri?

ri? Opus bonum operata est in me. Toto igitur errant cœlo, qui iustum in quouis opere bono peccare. magna impudentia non uerentur asserere, nunquam æterna Dei sapientia Christus peccatum vocaret, quod bonum est. maledicitur enim per prophetam huiusmodi sinistrum iudicium, quo malum bonum, et bonum malum asseritur. Isa. 5. est enim dilectio Dei natura sua bona, ergo & opera, quæ per spiritum sanctum habitantem in cordibus nostris ex ea proficiscuntur, relata in Dei gloriam, mala esse nequeunt. Deinde ne quis occasione pauperum auaritiæ prætextum adferre posset, vt ita suæ inseruire cupiditati posset, docet pauperes nunquam defuturos. atq; eam esse relictam homini libertatem, vt dum velit benefacere possit. Quæ duo, quasi paradoxa, subnectere nituntur nostri temporis hæretici: nam Anabaptistæ, communionem bonorum esse uolunt, ac Platonicam œconomiam instituere, atque adeò omnem è Repub. christiana ordinem subuertere contra scripturas. Deuter. 15. Matth. 26. Psal. 48. & Caluinistæ, qui omnia absoluta necessitate euenire contendunt, & Stoicorum fatum asserentes, arbitrij libertatem tollunt: qua sublata, falsum prorsus hoc loco Christus pronunciat. neque enim dum voluerimus licebit benefacere.

DOMINI-

DOMINICA PALmarum. Euangelium Matth. XXI.

ET cum appropinquassent Hierosolymis, & uenissent Bethphage ad montem Oliueti, tunc IESVS misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra uos est, & statim inuenietis asinam alligatã & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi: & si quis uobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Hoc autem factum est ut adimpleretur quod dictum est per prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis IESVS. Et adduxerunt asinam & pullum: & imposuerunt super eos uestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt uestimenta sua in uia: alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in uia. Turbæ autem quæ præcedebant & sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio Dauid: benedictus qui uenit in nomine Domini, hosanna in altissimis.

Complectitur

Complectitur hoc Euangelium tria.

PRIMO, *Singularem Christi humilitatem, quam in hoc ostendit quod insidet asello, stipatur abiectis hominibus, & puerorum acclamationem admittit. Sunt enim hæc opinione mundi, qui non sapit ea quæ Dei sunt, (stultitia enim est illi) ludicra prorsus potius quàm seria: fidelibus autem admiranda sunt mysteria. Significant enim ipsum à patre æterno destinatum, vt sarcinam peccatorum nostrorum tolleret. Ioannis. 1. pauperibus & humilibus veritatem euangelij annunciaret. Isa. 61. 1. Corinth. 1. doceret pauperum & humilium non displicere orationem. Prophetæ etenim omnes, quotquot de officio ueri Messiæ unquã docuerũt, hæc primaria, ipsius fore munia descripsere, vt Zacha. 9. dũ ait: Ecce rex tuus uenit tibi iustus, saluator, pauper, & humilis, vt nimirum iustificet circuncisionem ex fide, & præputium per fidem. Ro. 3. saluum faciat populum suum à peccatis eorũ. Matth. 1. illius inopia diuites nos efficeret. 2. Corinth. 8. & sua humilitate mederetur contritis corde, & humiles spiritu saluaret. Psal. 33. Hæ: vt pijs fidelibus annunciaret mysteria, hac humili est usus pompa, non quali solent reges huius sæculi, uidelicet phalaratis equis, curribus triumphalibus seu arcuatis, equitum aut peditum milibus, & armorum aut tubarum strepitu. Voluit enim regni sui maiesta-*

tem

tem collocare non in huiusmodi externis , quæ mundus admirari solet, sed in iustitia, gaudio, pace, & spiritu sancto. Rom. 14. neque enim mundanum uenerat instituere regnum. Ioannis, 18. sed cœleste, ac spirituale. Atque ideo contra regum huius seculi morem, ante uictoriam triumphū celebrat : certa enim illi erat de hoste, quo cum pugnaturus aduenerat, uictoria : quòd scilicet per sanguinem crucis suæ expoliaret principatus ac potestates, ac palā traduceret, triumphans de illis in semetipso, Colos. 2.

SECVNDO, Promptam discipulorum obedientiam, qua Christo parent, dicenti : Ite in castellum quod cōtra uos est, ipsam nimirum Hierosolymam significās quam essent in negotio prædicationis Euangelij, experturi quidem rebellem ac refractariam, sicut ante ipsos omnes prophetæ fuerant , quotquot Deus misisset, ut superstitionem, idololatriam, & impios cultus damnarent, quos nō ante persequi destitit, quàm crudelibus supplicijs extinxisset, ut patet in Isaia, Hieremia, & alijs: quum falsos prophetas & adulatores maximi faceret, ne autem talium exemplo terrerētur Apostoli, pollicetur, fugam, & inuenietis asinam & pullum alligatum cum ea : isthoc uaticinio significans fore, ut prædicatio Euangelij promptos ac beneuolos sit inuentura auditores. Is. 55. quomodo descendit imber & nix de cœlo, &c. sic erit uerbum meum, &c. Ostendit autem uerbum Dei nos esse asinos, id est, peccato & maledictioni obnoxios, alligatos & captiuos à diabolo ad suam ipsius uoluntatem, nec solui

posse, uel sola obedientia legis, uel uiribus liberi arbitrij: si enim ex ijs esset iustitia, ergo gratis Christus mortuus esset: sed, per Christum quem nobis annunciat prædicatio Euangelij, quod hic exprimit dicens soluite, & adducite mihi, est enim hoc uerbum reconciliationis. 2. ad Corinth. 6. quod posuit Christus non in Apostolis tantum, sed in omnibus prædicatoribus, pastoribus, sacerdotibus: quorum est autoritate clauium, & legitimo sacramentorum usu soluere peccatores à laqueis diaboli, à quo captiui tenentur ad ipsius uoluntatem. Vtinam in tanta Reip. Christianæ perturbatione, qua sæuissimus magna tyrannide grassatur dæmon, hanc Christi uocem sic audiant ut obtemperent, quotquot sunt episcopi, pastores, & prædicatores; quos uidelicet posuit spiritus sanctus regere Ecclesiã, quã acquisiuit Christus sanguine suo Act. 20. ut Apostolorũ exẽplo fortiter resistant gladio spiritus uerbi Dei aduersarijs potestatibus, hæreticis, & perfidis qui miseris modis Ecclesiã scindunt et uiolant, fideles erroribus & peccatis onerant, cum contrà eos liberare, & ad Christum (ut hanc asinam Apostoli) adducere deberent. Tunc enim uerè huic Christi præcepto obtemperant ministri Christi, quando eos non ad se, sed ad Christum adducunt, hoc fit dum post posito proprio quæstu Christi gloriam, fidei promotionem, & animarum salutem quærunt. tunc enim uerè ad Christum adducunt, eiusq; præcepto satisfaciunt, quando cum Paulo dicunt: Non quæro uestra, sed uos.

Tertio,

TERTIO, *Populi noui regis aduentu gloriantis gaudium, quod ostendebat plateas vestibus sternens, arborum ramos spargens, & acclamatione cantici Osanna filio David. Quæ si vt oportet, penitius inspiciamus doctrinam suauissimam contineri deprehendemus, scilicet quo pacto eos esse affectos oporteat, qui Christum per passionem in cœlestem Hierusalem ingredientem imitari uelint, perfecta scilicet fidei quæ corde creditur, cõfessione, eleemosynarum largitione, bonorum operum fructibus, quibus ad pietatem prouocari proximus solet, hinc tanto studio semper ad imitationem sui fideles sunt hortati Apostoli. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. 1. Corin. 11. Philip. 3. sunt autem in Apostolos potissimum imitanda, Fidei constantia & integritas, quam ad extremum vsque spiritum conseruarunt, Charitas, qua se totos impenderunt, & superimpenderunt pro Christo & Ecclesia, & Spes, quam habebat sicut anchoram animæ firmam ac tutam, incedentem usque ad interiora velaminis. Heb. 6. Quia enim, teste Christo, arcta & angusta est uia quæ ducit ad cœlum, atque adeò multis salebris ac scrupulis, vt caro indicat, obnoxia, vt facilè primo intuitu percellatur humana ratio, præsertim ea quæ delitijs & uoluptatibus assueuerit, (quanquam longè senticosior & difficilior sit ea quæ ad perditionem ducit) infirmitati nostræ hoc concedit Christus, vt sanctorum virtutes (quæ ipsius quoque dona sunt) imitemur, vt hac ratione desperatio adimatur, quam carnis infirmitas suggerere so-*

let, dum uident sanctos, prophetas, martyres, apostolos simili infirmitate circundatos, ex spiritu Christi ipsos inhabitante potuisse patriam, amicos, parentes, fortunam, corpus, et uitam pro Christo contemnere, hoc enim uerè est illi uestimenta prosternere, quemadmodum & ramorum proiectio parandæ per Christũ uictoriæ contra mortem, mundum, ac diabolum erat symbolum: quo etiam testabantur eum esse Christũ, qui per sanguinem crucis pacificaret ea quæ in cœlis & quæ in terris sunt. Colo. 1. Cæterum ut ferè semper gloriam sequitur inuidia, ita Christo hic obtigit, ex has enim pompa impij pontifices, pharisæi, & scribæ maiorem inuidiæ & odij occasionem conceperunt, nõ tam erga Christum, quàm erga discipulos, populum, ac pueros à quibus Christo hic exhibeatur triũphus, displicet enim semper diabolo, & eius ministris, hæreticis, cultus, qui vero Deo exhibetur, maximè si prima fronte non videatur expresso Dei verbo præscriptus, sed dicant, oro, quibus scripturis hic cultus populo erat præceptus, haud dubiè nullis; placuit tamen Christo, ergo male damnantur illæ caremoniæ; quas affectu quodam pietatis exhibent fideles ad fidei suæ protestationem, neque sunt ulla ratione hæreticorum, qui sese offendi conqueruntur, caussa reijcienda.

FERIA

FERIA III. POST PALMArum. Euangelium Matth. XXVI.

PRIMA autem die asymorum, accesserunt discipuli ad IESVS, dicentes. Vbi uis paremus tibi comedere pascha? At IESVS dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit, Tempus meum prope est: Apud te facio pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis IESVS, & parauerunt pascha. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis, dixit: Amen dico uobis: quia unus uestrum me traditurus est. Et contristati ualde, cœperunt singuli dicere, Nunquid ego sum Domine? At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis uadit, sicut scriptum est de illo: uæ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Iudas qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum rabbi? Ait illi, Tu dixisti. Cœnantibus autem eis, accepit IESVS panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias

Mar. 14. Luc. 22. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 13. Psal. 40. 1. Cor. 11.

tias egit : & dedit illis , dicens : Bibite ex hoc omnes , Hic eſt enim ſanguis meus noui teſta menti , qui pro multis effundetur in remiſsio
Mar. 14. c. Luc.. 22. nem peccatorum . Dico autem uobis , non bi bam à modo de hoc genimine uitis uſque in diem illum cum illud bibam uobiſcum nouum in regno patris mei . Et hymno dicto , exierunt in montem oliueti , &c.

Complectitur hoc Euangelium tria.

PRIMO, *Quomodo Iudæi iuxta præceptum Exod. 12. duabus tantum de cauſis colebant Paſcha. 1. quia angelus ea nocte, Aegyptiorum primogenitis trucidatis, pepercisſet Iudæis, Exo. 12. 2. Quia eadem nocte Aegyptum ſunt egreſsi, ampliſsimis ſpolijs ditati, & omnibus ipſorum aduerſarijs ſubmerſis. Exod. 14. Hæc autem, quia Apoſtolo teste, in figura contigerunt. 1 Corint. 10. Cuius vt veritatem exhiberet, aduenit Chriſtus: idcirco ne legi derogare videretur, Apoſtolos de duobus admonet: ſcilicet de Paſchate post biduum celebrando, & de Paſsione, quam per crucem eſſet ſubiturus, ſignificans eam adeſſe horã, qua tranſiret ex hoc mundo ad patrem. Ioan. 13. & quod aduerſum nos erat chyrographum decreti, deleret, ad Coloſ. 2. Agit autem hoc Chriſtus, vt anxios, & parum in fide ſirmos Apoſtolos certiores faceret de ſua Diuinitate, & Humanitate, qua potuit futu-*

ra prædicere, & sese voluntarium morti obijcere. Quæ duo eo attentius sub articulum passionis uoluit inculcare Christus, quod in his duobus summam fœlicitatis fidelium collocasset. Neque alia ratione cuiquam posse eam adipisci, nisi perfecta utriusque Fide & Confessione. Ut enim sine fide impossibile est placere Deo, ita & qui erubuerit me, inquit Christus, coram hominibus, hunc filius hominis erubescet, &c. Luc. 9. sed Christiani, longè scilicet maioribus de causis, hoc celebrant, quo recordantur quod potentia magni illius consilij angeli Christi, principatus & potestates, diabolus scilicet & angeli eius, destructi sint & captiui ducti in ligno crucis. Col. 2. & ipse Christiani erepti de potestate tenebrarum, & translati in regnum filij Dei. Colos. 1. & qued loti in sanguine Christi ab omnibus peccatis, acceperint spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamant, Abba pater. Ro. 8. Apoca. 1. His siquidem de causis pascha nostrum immolatus est Christus, horum consideratione et memoria epulātur in azymis 1. Corint. 5. sinceritatis, et veritatis: sed cum lactucis agrestibus, iuxta Dei decretum. Exod. 12. Sic enim typicum agnum Patres, Christus, & Apostoli comederūt. Requirit enim beneficiorum Christi memoria, nostrorum peccatorum quandam recordationem, eorumq́ue ueram pœnitentiam, cum acerbo cordis dolore, de offenso clementissimo patre Deo, coniunctam, sed addito azymo, id est, odio, & detestatione peccati, ne modicum fermentum totam massam corrumpat: hoc enim significabat

 Deus,

Deus, dum prohibet in domibus eorum qui pascha comederent esse fermentatum panem, ueteris, malitiæ, & nequitiæ, quia nulla esse potest conuentio Christi, ad Belial. Vt igitur Christus non solum legi obtemperauit in esu agni paschalis, sed ex nimia charitate qua dilexit nos, obtulit seipsum pro nobis vt esset pascha nostrum, ac nobis immolaretur, ita uicissim nos oportet ex uera fide, et conscientia bona, hæc ipsius beneficia amplecti.

SECVNDO, Proponit malitiam Iudæorum, quorum principes interea dum sacra hæc tanta religione sibi à Deo præcepta, colenda forent, inuidia irritati, secundò contra Christum consilium faciunt, quomodo Iesum dolo tenerent, & occiderent. Quia enim semel inter ipsos constitutum erat perdere Christum, quem sentiebant ipsorum auaritiæ, superstitioni, & impietati esse contrarium, lata iam per Caipham sententia, solum hoc de modò perdendi agitur concilium, dicentes vt est Sapient. 2. Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris, Improperat nobis peccata legis, Diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ, Promittit se scientiam Dei habere, Filium Dei se nominat, Factus est in traductionem cogitationum nostrarum, Grauis est nobis ad videndum, & Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo. Vide Matth. 23. venite ergo, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra, et nomen eius non memoretur amplius. Hiere. 11. sic enim impietas semper in malũ proficit, iustissimo Deo

præ-

præcedentia peccata nouis subsequentibus uindicante, ut non immerito impij magistratus imaginem, hi principes & sacerdotes præ se ferre uideantur: qui cũ semel ueritatem ipsam oppugnare cœperint, non ante desistunt, quàm omnino oppresserint, exigentibus id sæpe meritis subditorum, quia dominus est, qui regnare facit hypocritam propter peccata populi sui. Iob. 34. Illud quoque hoc loco admirari licet, humanam malitiam, licet potentia, armis, facultatibus, et omnibus præsidijs fulciatur, nihil tamen posse contra electos, nisi Deo permittente: qui mala hominum uoluntate ad exercitium utitur electorum, non pro ipso improborum arbitrio, sed secundum propositum suũ, & Ecclesiæ utilitatem. Est & illud quoque horũ principum magnæ improbitatis, & impudentiæ argumentum, quod nullo pietatis, uel religionis amore coercẽtur, à flagitio concepto in filium Dei, sed solo mundi & turbarum motu. Ideo inquiunt, non in die festo ne forté tumultus fieret in populo: sed iusto Dei iudicio cõprehenduntur in concilijs quibus cogitant. Ps. 10.

TERTIO, Horrendum iudicium Dei in Iuda proponit, qui ex apostolo, & verbi Dei precone, factus, propria malitia qua ita est excæcatus, venditor, traditor Christi: quũ enim diabolus misisset in cor eius ut traderet eum, tunc abijt ad principes, & summos sacerdotes, dicens: Quid uultis mihi dare? & ego uobis eũ tradam. Hic fructus est auaritiæ, ut uerè dixerit poeta: Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? & Apostolus: Qui uolunt diuites fieri, incidunt

in tentationes, & in laqueum diaboli, quæ mergunt homines in interitum. 1. ad Timoth. 6. Refert autem impius hic proditor omnium eorum imaginem, qui contra conſcientiam veritatem Dei in mendacio detinent, quæſtus cauſa pietatem ſimulant, ſacramenta Chriſti non niſi certo pretio accepto adminiſtrant & ſimoniaca labe turpiter Eccleſiam defœdant. hi enim uerè Chriſtum Iudæis tradunt illudendum & occidendum: quia huiuſmodi hominum cauſa nomen domini iugiter blaſphematur: quibus iuſtiſſimè competit illud: Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique, &c. Pſal. 54. Quod autem opportunitatem nacti impij magiſtratus perpetrandi ſceleris pretium offerunt, inſignem eorum in Chriſtū declarat inuidiam, quamuis parati iacturam ſubire, vt innocentis morte ſeſe exſaturent. Ita ſolent ij, quibus ueritas odio eſt, omnia tentare, ut eam ſemel opprimant, nec ante deſiſtunt, quàm quod cupierint, aſſequantur.

FERIA II. POST PALMArum. Euangelium Matthæi XXVI.

Mar. 14. a
Luc. 22. a

ET factum eſt: cum conſummaſſet IESVS ſermones hos omnes, dixit diſcipulis ſuis: Scitis quia poſt biduum paſcha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur. Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum & ſeniores popu

li in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt ut IESVM dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem, Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo. Cum autem IESVS esset in Bethania, in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: ut quid perditio hæc? potuit enim istud uænundari multo, & dari pauperibus. Sciens autem IESVS, ait illis: quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. nam semper pauperes habetis uobiscum: me autem non semper habetis. Mittens enim hæc, unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me, fecit. Amen dico uobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotū: & ait illis: Quid uultis mihi dare, & ego uobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat oportunitatē ut eū traderet.

Ioan. 12.a Mar. 14.a Mar. 14.b Luc. 22.a

Quia satis sciebant Apostoli Christum legum esse obseruantissimū,

nec

nec certas habere ædes, in quibus iuxta legis decretum, agnum comederet, præbent ſe tamen illi morigeros, & quo loco parari uelit rogãt. Itaque varia proponit hoc Euangelium.

PRIMO, Christus ut ſuam natiuitatem, & uitam uoluit eſſe in ſumma humilitate, & penuria. In ſtabulo enim naſcitur, tota uita nõ habet ubi caput reclinet. Lucæ 2. & 9. 2. ad Corinth. 8. quum diues eſſet, &c. eandem in extremam mortis horam ſeruare uoluit, vt exemplo doceret ſuos ab omni auaritia, ſuperbia, faſtu, & ambitione quàm alieniſſimos eſſe debere: & ſi interim non obſcurè ſignificet ſe cœli ac terræ dominum eſſe, vtpote cui omnia ad arbitrium parata ſint. Nam & Petrum, & Ioannem ad ignotum hominem deſtinat, quæ fieri uelit tanquam dominus imperat, vt qui omniũ corda arbitrio ſuo regeret, ſciens nihil ſibi denegandum. Neque uerò ad diuites, ſcribas, pharisæos, principes, & ſacerdotes Apoſtolos mittit, non quod & ipſorum non poſſet rebelles inflectere quo vellet uoluntates: ſed ne cuiquam inuito vim facere gratia putaretur, eum eligit quem voluntarium fore præſciuit, id eſt, humilem, & abiectum,

nullo

nullo famulorum strepitu stipatum, sed qui ipse lagenam aquæ humeris gestaret: unde eius humilem conditionē agnoscere licet: talibus enim delectatur Christus, qui humili sint & contrito corde, non reijcientes gratiam Dei, sed eam humeris in vtilitatem proximorum ferentes. parati etiam omnia discrimina ipsorum causa ferre, hi demum hospitio, et cōuiuio Shristum excipere merentur, iuxta illud: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ioan. 14.

SECVNDO, *Magnam verbi Dei potentiam commendat, quæ potuit facilè huic, cui destinantur Apostoli, adimere omnem imminentis periculi metum, & timorem. Siquidem dederant pontifices & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum. Ioan. 11. Vnde parum tutum uidebatur eum hospitio admittere, qui esset & ecclesiastici, & ciuilis magistratus authoritate proscriptus. Sed hoc est Christi, eiusq́; quam inspirat gratis fidei uirtus & energia, vt famæ, et fortunæ bonis neglectis in solam Dei patris voluntatem respiciat, eam sequatur, & obtemperet, etiam cum capitis periculo, sciens absque summa illius prouidentia, & uoluntate accidere nihil posse; quare sese huic promptissimè subijcit. Contra uerò, hoc fidei lumine destituta ratio, & prudentia carnis, neglectis Dei promissionibus, præsentia tantum, & quæ ante pedes sunt cernit, horum considératione mouetur. Nec Deo, cui omnium rerum*

&

& humanarum, & diuinarum cura est, fidit aut credit: ita terrenis affixus, vt cœlestium consideratione non magis quàm brutum moueatur.

TERTIO, vt in hoc uiro significaret, qualem fidelium oporteat esse fidem, & obedientiam erga Deum eiusq́; verbum, prædicit qualem ipsum sint experturi Apostoli: scilicet facilem, & promptum. Ipse, inquit, ostendet uobis cœnaculum grande stratum. Charitas enim, quæ diffusa est in cordibus fidelium, non sibi, sed Christo, & proximis omnia impendit: non enim quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. illi totũ cœnaculum cordis sternit, vt alium nullum hospitem admittat. Apostolos uerbi Dei ministros, & prædicatores patitur uerbo fidei exornare conscientiam, illustrare cognitione veritatis, amore cœlestium bonorũ accendere: submittit enim intellectum in obsequium fidei. Neque enim alia ratione Christus recipitur, quàm Fide, Spe, Charitate, et Obedientia, qua uerbo creditur, promissiones expectãtur, proximus propter Deum diligitur, & mandatis eius obtemperatur. Hæc qui ex spiritu fidei fecerit iustus est, non imaginaria tantum imputatione, sed verè: iuxta illud Io. Qui facit iustitiam iustus est, habet & Christum habitantem per fidem & charitatem in corde, vt ait Apostolus ad Ephe. 3. Cuius potentia in omnibus tẽtationibus defenditur & liberatur, etiam si maximè insidietur hostis, & si tanquam leo circumeat quærens vt deuoret.

QVARTO, Proponit singularem Christi in peragendo

do redemptionis humanæ mysterio promptitudinem, qua sese æterno patri obtulit λύτρον, & pretium pro peccatis nostris, dum testatur Euangelista, ipsum facta hora discubuisse, & duodecim apostolos cum eo. Quibus non obscurè diuinam Christi potentiam declarat, qua effecit ut etiam si tam ciuiles quàm ecclesiastici magistratus contra eum conspirassent, non potuerunt tamen, nisi dum vellet ipse, quod cupiebant perficere. Ex quo sequitur irritos esse omnes conatus mundi, carnis, diaboli, & impiorum, quos solent contra fideles, & electos intentare, nisi diuina permissione fulciantur: quæ tamen ad eorum salutem patitur subinde ipsos cruci succumbere, quia non nisi per uarias tribulationes uult ipsos intrare in regnum cœlorum, sicut & unigenitum suum cruci subiecit, ut esset fidelibus exemplum & regula. Atque hoc erat, quod tanto desiderio sitire sese testatur Christus, dum ait: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequã patiar, sed dico vobis, quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei. Quid enim aliud Christum in mortem pro nobis adegit, nisi ineffabilis illa charitas, qua dilexit nos, etiã cum inimici essemus? ad quam cum vbique nos hortetur, tum maximè hisce uerbis, quibus in ultima cœna non apostolos tantum, sed nos omnes instruit, atque ad hanc charitatis vicissitudinẽ hortatur, quod in ea vitæ christianæ perfectio, & consummatio esset constituta, neque alia uia, quam per hanc, esset acquirenda felicitas æterna.

FERIA QVARTA post Palmarum. Euangelium Ioannis XIII.

Mat. 2.2.
Mar. 14.2
Lu. 22.2.

ANte diem festum paschæ, sciens IESVS quia uenit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad patrem: cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cùm diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simônis Iscariotes: sciens quia omnia dedit ei pater in manus: & quia à Deo exiuit, & ad Deum uadit, surgit à cœna, & ponit uestimenta sua. & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit IESVS, & dixit ei: Quo ego facio, tu nescis modo: scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei IESVS: Si non lauero te, non habebis partem mecũ. Dicit ei Simon Petrus: Domine non tantum pedes meos, sed & manus & caput. Dicit ei IESVS: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. Et uos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam

nam eſſet qui traderet eum. propterea dixit: Non eſtis mundi omnes, Poſtquam ergo lauit pedes eorum, & accepit ueſtimenta ſua: cum recubuiſſet iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me magiſter & domine, & bene dicitis. ſum etenim. Si ergo ego laui pedes ueſtros, dominus & magiſter: & uos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis, &c.

Etſi non ignorem huius Euang. hiſtoriam factam eſſe ipſo die cœnæ Domini, atque hoc die Chriſtum fuiſſe à Iuda uenditum, tamen quia, iuxta communem Eccleſiæ conſenſum, lotio pedum ſacramenti inſtitutionē præceßit, ideo conſultè hoc Euangelium hoc die interpretari licet. Complectitur autem quatuor.

PRIMO, *Singularem Christi mansuetudinem, & humilitatem qua se non tantum in abiectissimam seruitutem lotionis pedum demisit, sed in horribiles illos dolores passionis, quos nostra causa assumpsit, ad Philippen. 2. Propter nimiam scilicet charitatem, qua dilexit nos, &c. eam autem dilectionem electis, & fidelibus quotidie impendit, quam Apostolis typica hac lotione significauit, scilicet sanguine suo sese animæ, & corporis sordes loturum, peccata nimirum, & pœnas peccatorum: quæ licet in natura videantur relictæ in exercitium, in morte tamen prorsus extinguentur. Apoc. 7. Absterget deus. Daniel. 12. Isa. 25. Deleuit enim Christus mortem peccata, mundum, diabolum, & infernum, non ut non sint, sed ut fidelibus non dominentur, ablata ipsorum tyrannide & potentia, ne lotis & iustificatis noceant, sed potius, ut ait apos. Ro. 8. cooperentur in bonum. Nam præcipitauit mortem in sempiternũ. Isa. 25. deleuit Chyrographum decreti. ad Colos. 2. vicit mundum. Ioannis 17. alligauit fortem, & vasa eius diripuit. Lucæ 11. & in sanguine testamenti eduxit uinctos de lacu in quo non erat aqua. Zach. 9. Sed tamen egẽt continua lotione pedum, quia etiam in iustificatis & electis infirma natura subinde graues & malos affectus gignit, qui continua egent lotione, quæ per pœnitentiæ lachrymas fit. Dum itaque Christus surgit à cœna, deponit uestimenta, linteo se præcingit, mittit aquam in peluim, & incipit lauare pedes discipulorum, insignem illam erga miseros*

seros mortales declarat charitatem, qua quum diues esset, propter nos egenus factus est, ut scilicet ipsius inopia diuites efficeremur.

SECUNDO, Petro recusanti lotionis beneficiũ, ostendit insignem illius vilitatem, dum insinuat, veram iustitiam aut uitam æternam haberi non posse, nisi per Christum à sordibus peccati abluamur. Obseruanda interim est Apostoli Petri modestia, & animi demissio, qua indignum se iudicat, cuius pedes ille lauarat, qui sua uirtute cœcorum oculos aperuit. Mat. 11. leprosos mundauit, mortuos suscitauit. Ioan. 11. cœlum & terram è nihilo creauit. Genes. 1. & denique omnia fecit quæ cœli ambitu continentur. tu.it quidem hanc animi modestiam Christus, quanquam ex zelo, non secundum scientiam prodiret, insinuans eos qui spirituales sunt, debere imbecillitatem infirmorum sustinere. Gal. 6. Rom. 14. Ideo inquit, quod ego facio nescis modo, quasi dicat, animalis adhuc quum sis, non percipis ea quæ sunt spiritus Dei, quia incomprehensibilia sunt iudicia Dei, & inuestigabiles uiæ eius. Rom. 11. scies postea, dum scilicet, spiritum sanctum acceperis, qui deducens te in omnem ueritatem docebit te omnia, Ioan. 14. 16 Verum dum pertinacius Christo reluctari pergit, ut est semper carnis natura propensior in ea quæ rationi adlubescũt, potius quàm quæ uerbo Dei impetrantur, his obedire, graui illum comminatione terret, dicens: Si non lauero te, quasi dicat, nisi te fecibus prauæ concupiscentiæ purgatum mundauero,

ro, spiritu iudicij & spiritu ardoris. Isa. 4. qui bapti zatis ob perpetuã cum carne luctam est necessarius. non habebis partem mecum. s. in terra uiuentium, quam per passionem uobis quoque sum ac omnibus electis paraturus. Hac terribili comminatione audita perculsus (est enim quouis gladio ancipiti penetrabilior sermo Dei pertingens usque ad diuisionem animæ ac spiritus, &c. Heb. 9.) se totum uoluntati Dei permittit: est enim ea fidei natura, ut se totam deo committat. Ideo inquit, Domine, non tantum pedes, sed & manus, id est, opera, & caput, id est, intentionem. quibus uerbis pulchrè exprimit nos, nostraq; omnia ex se sordida esse ac fœda, nec in iudicio Dei posse consistere, nisi à Christo purgata.

Tertio, Doctrinam Christi, qua docet eos qui, ut loquitur Apostolus, Heb. 6. & Rom. 6. semel sunt illuminati, gustauerunt donum cœleste, participes facti sunt spiritus sancti, in morte Christi baptizati sunt, & loti sunt à peccatis, ut scilicet sint in Christo Iesu noua creatura, renouati spiritu mentis, & induti nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis: quo modo scilicet eos oporteat ambulare, & placere Deo, quorum caput, & manus id est, autore Bernardo, sermon. de lotione pedũ intentio et operatio munda est, ut non hominibus, sed soli Deo placere studeant, abnegantes impietatem & secularia desideria, ut sobriè & piè uiuant in hoc seculo: his tamen esse opus ut pedes lauent, id est, animi affectiones, subinde per pœniten-

tia

tiæ lachrymas expurgent. Vix enim fieri potest, quin uanitati, uoluptati, & curiositati subinde animus plusquam oportet cedat. nam in multis offendimus omnes. Est enim iuxta August. sanctissima oratio, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. quare leuia et si hæc uideantur peccata, contemnenda tamen non sunt, quando impossibile sit cum eis saluari: nec nisi per Christum elui possunt, est propitiatio pro peccatis nostris. Si tamen secundam post naufragium tabulam pœnitentiam non negligamus, qua, uirtute sanguinis agni immaculati, animorum, & corporũ sordes purgantur, ut coram Deo, eiusq́; seuero tribunali consistere possimus, tanquam abluti, sanctificati, & iustificati. Sic enim fit ut loti, simus corã Deo mundi, quemadmodum hic docet Christus, quãuis enim sine peccato non simus, tamen si non dominetur ac regnet in nostro mortali corpore ut obediamus concupiscentijs eius, non imputatur, etsi carne seruiamus legi peccati, modo mente seruiamus legi Dei. Roman. 7.

QVARTO. Suo ipsius exemplo hortatur Christus apostolos, episcopos, & sapientes, quibus Ecclesiã suam, quam acquisiuit sanguine suo, Act. 20. commisit, ad mansuetudinem, modestiam, & epicciam. Dũ ait Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & Magister, non tragicus aut imaginarius uel titulo tenus: sed vere, &, ut loquitur scriptura, Dominus dominantium, Princeps regum terræ, & Rex regum.

ergo & vos debetis alter alterius lauare pedes. qui maior est uestrum, fiat sicut minor. Matt. 20. Luc. 22. Galat. 6. Non iubet autem Christus hoc præcepto, vt in publicis peccatis, et manifestis criminibus inuicem sibi adulētur & præfecti & subditi, sic enim politiam omnem prorsus subuerteret. Sed ex æquo vult omnes suæ sortis meminisse: vt scilicet mutua lenitate sanemus, quæ salua charitate tolerari possunt. Est autem superiorum & gubernatorum, uitam, & mores leniter ferre suorum subditorum, quatenus cum pace Reipubl. & sine iniuria creatoris licet, & subditorum, gubernatorum, & doctorum mores, licet tetricos & difficiles, tolerare. Porrò quàm graues turbas in Ecclesia Christi dederit huius præcepti neglectus, res ipsa loquitur.

IN COENA DOMINI.
Euangelium Lucæ XXII.

Mat. 26. b
Mar. 14. b
1. Co. 11. e

ET cùm facta esset hora discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis: Desiderio desideraui hoc pascha manducare uobiscum, antequam patiar. Dico enim uobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter uos: dico enim uobis, quod non bibam de generatione uitis, donec regnum Dei ueniat. Et accepto pane

pane gratias egit & fregit: & dedit eis, dicens: hoc est corpus meum, quod pro uobis datur. hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro uobis fundetur. &c.

Abrogatis typicis illis & Mosaicis sacrificijs in ultima cœna Christus nouum, non secundum ordinem Aaron, sed Melchisedech, sacrificium instituit, panem & uinum, in uerum ac uiuum corpus suum conuertendo. Quare nō rationæ, sed fide sunt æstimanda quæ in hac cœna agit Christus. Sunt autem obseruāda quatuor.

PRIMO, *Vehemens hoc Christi desiderium, quo præter consuetudinem ad hanc cœnam accedit, non obscurè magnum quid ipsum facturum indicans, ex quo intelligas non communem, aut vulgarem fuisse, sed prorsus diuinam, & cœlestem; qua dignatus est filius Dei, humanam naturam maledicto ob*

noxiam, cœlestibus epulis pascere, proprio scilicet corpore & sanguine. Siquidem id & potuit, & voluit. quia Deus, apud quem non impossibile omne verbum. Luc.1. & quia sæpius fuerat pollicitus. Io. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est, &c. Quisquis igitur est Sacramentarius, aut Caluinianus, veritatem corporis in sacramento Eucharistiæ negans, hic vel Diuinitatem, Omnipotentiam, vel Voluntatem Christi tollit, contra manifestum Dei verbum. Ego & pater vnum sumus. Ioannis 10. Omnia quæ habet pater, mea sunt. Ioan. 16. & illud Omnia quæcunque voluit dominus fecit in cœlo & in terra. Psal.134. Certa fide est ergo credendũ, Christum potuisse, voluisse, & fecisse, scilicet vt ex pane corpus suum faceret quod vitam daret.

SECVNDO, *Vt insignem illam charitatem qua sese in mortem pro nobis erat daturus, arctius animis nostris infigeret, non sui tantum typum, & figuram discipulis speciebus panis, & vini exhibuit, tanquam mnemosynon quoddam, & certum amicitiæ symbolum, est enim cuilibet etiam plebeio facilè apud amicum sui figuram in imagine picta relinquere, sed hanc nemo nisi qui ratione careat pro corpore amplectitur. At verè Christus diuinitatis suæ potentia accepit panem, vt promissioni fidem faceret. Panis quem ego dabo Ioan.6. caro mea est, & gratias agens benedixit, vt insinuaret sublimius aliquid se facturum, quàm humana ratio assequi potest, sic enim rebus arduis semper solet Christus.*

Neque

Neque ijs contentus fuit, sed fregit, & dedit discipulis, non simpliciter, aut mysticōs tantum, sed dicendo, hoc est corpus meum: hic est sanguis meus. Quare vehementer errant qui Christum panem tantum fregisse, ac dedisse discipulis, impudenter asserunt. Operatoria enim est hæc Christi oratio, cum intentatione faciendi prolata ab eo qui potestatem habet. Qui corpus suum non cum pane præsens adesse facit, sed verè, vt catholica credit Ecclesia, transelementauit & transsubstantiauit in corpus & sanguinem suum. Quare liberè contra Oecolampadiũ, Svuenckfeldium, Stanckarum, Caluinum, Besam, Lutherum, & Brentium, aliosq; omnes nostri temporis hæresiarchas, credimus & profitemur Christum in hac nouissima cœna verum suum corpus, quod pro nobis in mortem tradidit, discipulis dedisse, non vt ipsis tantum esset charitatis & amoris mnemosynon, sed fidelibus omnibus pignus & arrabo salutis æternæ Christi merito obtinendæ, perpetuaq; mortis Christi recordatio. 1. Corint. 11. Quotiescunque manducabitis, mortem domini annunciabitis, &c. Atque ideo Apostolis, Episcopis, & Sacerdotibus hanc potestatem in cœna Christus fecit, dicens: Hoc facite in meam commemorationem: quibus verbis sacerdotium, nouæ legis sacramentum, ipsosq; Apostolos & eorum legitimos successores instituit, qui offerrent dona & sacrificia pro peccatis, quemadmodum ipse Christus non solum in cruce cruentum, iuxta typum Aaronis, sed in cœna.

na, secundum ordinem Melchisedech, obtulit sacrificium.

TERTIO, *Quale corpus sub visibili elementorum specie Apostolis dederit, uerum, scilicet, & uiuũ. quale scilicet Virgo mater concepit, & peperit, Magi in præsepi adorauerunt, in mortem Iudæis tradidit Iudas, clauso sepulchro propria virtute suscitauit, & ab angelis in cœlo ad dexteram patris adoratur. Quod Christi uerbis efficacissimis demonstratur, dum ait, Luc. 22. Hoc est corpus meum quod pro uobis datur. Hic est sanguis meus qui pro uobis effundetur. An quæso aliud corpus in mortem dedit, quam mater peperit, quam magi adorauerunt, quam cruci est affixum, quam sepulchro impositum est? atqui hoc se dare fatetur: illud igitur sit oportet, nisi mendacem eum esse uoles qui summa veritas est: proinde nec fallere, nec mentiri potest. falleret autem ac mentiretur, si quum uerum se dare corpus assereret, typicum tantum & figuram illius exhiberet. Verius hic igitur ueteris Ecclesiæ patres amplectimur, scilicet Augustinum, Tract. 26. in Ioan. Item 45. 50. 61. 62. lib. 21. de Ciuit. cap. 25. serm. 11. de verbis domini, Ambrosium in cap. 22. Lucæ. lib. 2. offic. cap. 28. lib. 4. de sacram. ca. 4. Itẽ lib. 5. ca. 4. Item de ijs qui mysterijs initiantur. cap. 9. Chrysost. ho. 31. 61. ad populũ Anthio. in cap. 10. 1. epist. ad Corinth. hom. 3. in epist. ad Ephes. Theophilac. Cõmentar. in Marcum. cap. 14. 26. Math. in ca. 6. Ioannis. Origenem lib. 8. contra Cels. hom.*

16.in Nume. Item ca.26. Matth. hom. 38. in Lucam. Hilarium lib. 8. de Trinitate, Cyprianũ serm. de cœna domini. Panis quem dominus discipulis tradidit non effigie, sed natura mutatus est, Tertullianum lib.4. contra Marchio. lib.2. ad uxorem. lib. de resurrectione carnis, & Ireneum lib.4. contra hæres. ca.57. Item lib.5. in initio. quàm coniuratos fidei hostes hæreticos, qui non uerentur apertissima Christi uerba euertere, qui ueritate sublata umbram tantum, & simulachra relinquunt. Neque ueritati derogat quod patres quandoque diuersis nominibus, scilicet figuræ, ut Aug. in psal. 3, Tertul. contra Mar. Augustinus tractat. 27. in Ioannem. signi, Augustin. tract. 50, in Ioan. habet Christum in præsenti per fidem, in præsenti per signum &c. & sacramenti appellent: siquidem, ipso Aug. teste, una eademq; res & ueritas esse potest & figura, ut de corpore Christi loquitur. Sic Araonica illa sacrificia, ut vera erant sacrificia, & figuræ ueri illius sacrificij quod in cruce filius Dei obtulit pro nobis. Est itaque Eucharistia hæc à Christo Apostolis & nobis omnibus data, uerum ac uiuum Christi corpus, sed nunc immortale, impassibile, & glorificatum, omnibus ijs scilicet gratiis ornatum, quibus post resurrectionem est humana natura affecta.

QUARTO, *Usus, quem esse voluit Christus in sumptione, & adoratione. ut in utroque fides nostra exerceretur. parit autem horum utrunque uarios effectus. Nam sumendo Christo incorporamur, Efficimur*

mur corpus Christi mysticum, & charitatẽ infusam per spiritum sanctum alimus & fouemus. 1. Cor. 10. Vnus panis & unum corpus multi sumus, &c. Unde Augu. qui accipit sacramentum uirtutis, & non seruat uinculũ charitatis, nõ remedium accipit pro se, sed iudicium cõtra se. Quare grauiter monet fideles Apostolus, ut probẽt seipsos, et sic de pane illo edant, et de calice bibant: hoc est, ut scripturæ docent, Fidẽ, Charitatem mutuam, Mat. 5. si offers timorem, Probationem sui, 1. Cor. 11. & Castitatem 1. Reg. 12. Si mundi sunt pueri. &c. adhibeant. Sic. n. fiet ut sacrosanctis mysterijs desumendis, etsi non exactè, saltem quatenus humana fert imbecillitas, sese idoneos faciant, Christo id suo spiritu supplente, quod humana industria præstari nequit, quæ cum infirmior sit quàm ut præstare hæc possit exactè, respicit Deus ipsorum humilitatem, obedientiam, & bonam uoluntatem, qua declarant indignos sese qui cœlesti illo cibo pascantur, nituntur satisfacere Christo dicenti: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in uobis, & in omnibus satisfacere nituntur præceptis, tum Christi, tum Ecclesiæ, & insuper adorando fidem, spem, & charitatem exercemus, sine quibus impossibile est placere Deo. Nec potest superstitionis, et idololatriæ argui, qui extra sumptionem adorarit, ut eleganter ostendit August. to. 8. in Psal. 98. quia ipsam carnem, in qua hic ambulauit, nobis manducandum reliquit: nemo illam carnem manducat, nisi qui prius adorauerit.

Finis Euangeliorum Quadragesimalium.

TABVLAE EPISTOLARVM QVADRAGESIMALIVM.

IN DIE CINERVM.

Epiſtola Iohelis II.

HAEC dicit dominus Deus. Conuertimini ad me in toto corde ueſtro: in ieiunio & fletu & planctu. Et ſcindite corda neſtra & non ueſtimenta ueſtra. Et conuertimini ad dominum Deum ueſtrum: quia benignus & miſericors eſt: patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat & relinquat poſt ſe benedictionem. Sacrificium & libamen domino Deo noſtro. Canite tuba in Sion: ſanctificate ieiunium: uocate cœtum: congregate populum: ſanctificate eccleſiam: coadunate ſenes: congregate paruulos & ſugentes ubera. Egrediatur ſponſus de cubili ſuo: & ſponſa de thalamo ſuo. Inter ueſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri domini, & dicent. Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis: ubi eſt Deus eorum? zelatus eſt Dominus ter

ram

ram suam: & pepercit populo suo. Et respon dit Dominus, & dixit populo suo. Ecce ego mittam uobis frumentum, & uinum, & oleum: & replebimini in eis. Et non dabo uos ultra opprobrium in gentibus, Dicit dominus omnipotens.

Quum graui comminatione propheta Iudæos perterruisset, hac epistola docet unicum amo uendi mali remedium, esse pœnitentiam. Agit autem potissimum tria.

PRIMO, *Hortatur ad veram pœnitentiam, quam constituit in vera cordis ad Deum conuersione, ieiu nio, fletu, planctu, & cordis scissura. Quæ sanè prophetica doctrina multis parasangis ab illo Lutheri distat axiomate, qui pœnitentiam tantum esse vult nouam vitam, ac proinde omnes pœnitentiæ partes, scilicet contritionem, ex cordis conuersione prodeuntem, confessionem, scissura vestium significatam, & satisfactionem, quæ ieiunio, fletu, plan ctu, restitutione peragitur, tollit, quanquam expresso Dei verbo præceptas. Si enim cordis contritio propter Dei offensam & gehennæ metum sit vera ad Deum conuersio, profectò non efficit hominem hypocritam: siquidem hunc Deus abominatur, spiritum autem contritum et humiliatum Deus non despicit. Psal. 50. Eleganter autem distinguit propheta inter veram, & falsam Pœnitentiam, dum ait: Scindite corda vestra, quæ scilicet tument purulen-*

tia

tia peccati, vtrium instar, quæ nisi scindantur rumpuntur: spontaneam itaque significat Deum exigere peccati confessionem, non vestimenta vestra, vt solent hypocritæ sua facere, vt videantur ab hominibus, sine fide, vel amore Dei. Quibus verbis significat propheta externam illam operum laruam, si cordis pietate destituatur, veniam non promereri: iuxta illud, Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, &c. 1. ad Timoth. 4. ac ne quis desperaret de magnitudine scelerum, Dei proponit benignitatem, mansuetudinem, misericordiam, patientiam, & longanimitatem Qui non solum recipit pœnitentes, sed vt pœniteant præuenit, auferendo, vt loquitur Ezech. cap. 19. cor lapideum, & conterendo cor carneum.

SECVNDO, *Nostri temporis hæreticorum fiduciã, & securitatem tollit, qua sibi omnia statim tuta pollicentur, si tantum credant. Quis scit, inquit, si Deus Conuertatur, scilicet à malis quæ peccantibus comminatur; ignoscat, agentibus pœnitentiam, & relinquat post se benedictionem gratiæ & misericordiæ. Sub dubio enim de Dei misericordia loquitur propheta, ne magnitudo clementiæ faciat negligentes, atque vt optare nos potius doceat quàm præsumere. Omnes autem cuiuscunque sortis homines ad pœnitentiæ medicinam hortatur, dicens: canite tuba in Sion, id est, prædicatione uerbi Dei, omnes exhortemini ad pugnam contra spiritualia nequitiæ in cælestibus: ne quis desit quoniam incautum hostis*

stis possit opprimere sanctificate ieiunium: est enim hoc præcipuum scutum quo hostium tela excipiũtur, quæ à carnis illecebris sumere solet, tunc autem verè sanctificatur ieiunium, quando non ex tristitia fit, sed ut præcipit Christus, Matth. 5. vocate cœtum, congregate populum, quasi dicat, nemo salutis consequendæ occasionem negligat: omnibus enim hanc Deus parauit, qui vult, voluntate sua antecedente, omnes homines saluos fieri. 1. ad Timoth. 2. si tamen ipsi non desint vocationi sanctificate Ecclesiam, et ad communem plebem ista referri possint, tamen ad ecclesiæ ministros non ineptè referes, quos vbique ad sanctimoniam hortantur prophetæ. Isa. 52. mundamini qui fertis vasa domini, coadunate senes, ut scilicet ipsorum exemplo lasciua iuuentus prouocetur ad pietatem, extincto concupiscentiæ carnalis ardore; congregate paruulos, & sugentes vbera, sicut videlicet olim Niniuitæ, Ionæ. 3. pauperum enim & humilium semper Deo placuit deprecatio. Psal. 8. ex ore infantium &c. et egrediatur sponsus de cubili suo &c. i. tempore pœnitentiæ ij qui delitijs & voluptatibus assueuerunt, abstineant ab opere nuptiali. 1. Cor. 7. Pœnitentia enim tam corporis quàm animi puritatem requirit. Quia enim omnes peccauerunt, iusto Dei iudicio in omnes ipsius ira deseuijt. Sed qui nequit obliuisci misereri Deus, Psal. 76. concione isthac prophetica omnes se paratum recipere pollicetur: si tamen ex fide & vera pœnitentia, mutatis affectibus, veniant, &

ut

vt loquitur Isa.ca.1.si quiescant agere peruersè, discant benefacere, quærant iudicium, subueniant oppresso, iudicent pupillo, defendant viduam. Ea enim est Dei benignitas, vt si ista præstiterimus, sese nobis obstringat. Venite, inquit, & arguite me, si videlicet misericordiæ sinum præclusero, si gratiam denegauero, &c.

TERTIO, Non contentus ad pœnitentiæ medicinam inuitasse Magistratum politicum, nobiles, plebeios, senes, & paruulos, Siquidem omnis ætas offenderat, & maledicto erat obnoxia, Sacerdotes quoque, quos ministros Dei appellat, quasi ipsorum preces efficaciores esse possent, hortatur, vt sese iræ Dei opponant, & inter vestibulum, & altare plorent, dicentes: Parce domine, parce populo tuo. Vtinam hanc formam nunc imitentur Ecclesiæ ministri, & sese murum opponant pro domo Dei, quam singularis ferus depascitur, perfodit fur nemine vigilante, & falsa hæreticorum doctrina, vt cancer serpens, miserè dilaniat. alia sanè mox foret Ecclesiæ facies: consequeretur enim effectum promissionum diuinarum, hoc est, remissionem peccatorum, pacem cum Deo. Rom. 5. perfectionem virtutum. continuum gratiæ auxilium. Hæc enim sub metaphoris frumenti, vini, & olei significauit propheta, dum ait: Zelatus est Dominus terram suam, indignatione scilicet, quam propter peccata conceperat, remissa: & pepercit populo suo, qui non vult aliquem perire, sed omnes ad ueritatem uenire: memor scilicet promis-

 sionum

ſionum, pacti, iuramenti, & teſtamenti, quæ pepigit cum patribus noſtris, et perfecit in filio ſuo, quem propoſuit propitiatorem per fidem iis qui per ueram pœnitentiam reſipiſcerent à laqueis diaboli 2. ad Tim. 2.

FERIA QVINTA post Cinerum. Epiſtola Iſaiæ XXXVIII.

IN diebus illis, ægrotauit Ezechias uſque ad mortem: & introiuit ad eum Iſaias filius Amos Propheta, & dixit ei. Hæc dicit Dominus. Diſpone domui tuæ: quia morieris tu, & non uiues. Et conuertit Ezechias faciem ſuam ad parietem: & orauit ad Dominum: & dixit. Obſecro Domine, memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in ueritate & in corde perfecto: & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. Et fleuit Ezechias fletu magno. Et factum eſt uerbum Domini ad Iſaiam, dicens. Vade, & dic Ezechiæ, Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui. Audiui orationem tuam: & uidi lachrymas tuas. Ecce, ego adiiciam ſuper dies tuos annos quindecim: & de manu regis Aſſyriorum eruam te: & ciuitatem iſtam: & protegam eam dicit Dominus omnipotens.

Docet

Docet hac epistola propheta, Deo familiare esse suos electos in hac uita punire, ne cum hoc mundo damnet. Agit potissimum tria.

PRIMO, *Comminatur mortis denunciatione Ezechiam, qua eius conscientiam corporis infirmitate afflictam percellit /dicens: Dispone domui tuæ, quia morieris, & non viues Sic enim solet Deus suos electos, ne fœlicitate rerum præsentium efferantur, plerunque metu mortis, & futuri iudicij percellere, vt abiecta propria fiducia illi sese totos committant, qui & vult, & potest illos de tentatione eripere, vt docent exempla Abrahæ de Vr Chaldæorum. Genes. 11. Danielis de lacu leonum. Daniel. 13. Iob de maxima afflictione. Iob. 1. Susannæ de falsis iudicibus. Daniel. 13. Est autem obseruanda omnibus Episcopis, Pastoribus, Prædicatoribus, & Confessarijs magna hæc prophetæ in dicēdo apud regem potissimum, & nobili uictoria clarum, libertas, qua postposita omni adulatione, liberè Dei uoluntatem annunciat, nihil ueritus Regis indignationem, capitis periculum, & officij priuationem. Quibus hodie illi qui principibus à secretis conscientiæ sunt, ita impediuntur, vt aut rarò, aut nunquam, sicut oportet, Dei uoluntatem ipsis annuncient, sed potius omnia placentia, quo fit vt Principes, Regna, Respublicæ, & imperia funditus perdant, vt docet historia Achab 3. Reg. 22. quæ permittitur à Deo iusto suo iudicio, & merito nostrorum peccatorum.*

Nulla autem est doctrina æquè necessaria Regibus, Principibus, Imperatoribus, & Dynastis quàm vt disponant domui suæ, & sciant se morituros. Sic enim facilè tyrānidem omnem & fastum deponent, atque adeò horrendas illas βουλιμίας, quibus miserè suas respublicas exhauriunt, relinquent.

SECVNDO, Proponit decumbentis Ezechiæ Primo, Pœnitentiam, quæ significatur auersione faciei à rebus momentaneis & caducis ad parietem cordis, per ueram contritionem & fiduciam in Deum. Secundo Orationem, quam obtulit ex fide, qua credidit Deum exauditurum inuocantes, iuxta illud: Quum clamauerint ad me, exaudiam eos. Psal. 90. & tertio, Lachrymas, quibus tanquam testibus declarauit assidentibus animi sui consternationem, ex comminatione diuina conceptam. Ex quibus intelligimus efficaciam uerbi Dei penetrantis usque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum. Heb. 4. quod leuissimo momento amputat quicquid est carnalium affectionum, ac restituit charitatem, qua totus in Deum animus fertur, amplectiturq́ orationem, qua Deo non tam colloqui licet, quàm ipsum iratum placare. Sed quid est quod sanctissimus hic rex adeò ostentat operum suorum merita, dicēs se ambulasse coram Deo in ueritate, in corde perfecto, Et fecisse quod bonum est in oculis domini? Nunquid meritis operum fidere cuiquam licet? quum dicat Daniel. cap. 9. se nolle prosternere preces in iustificationibus suis. Quum

gloriari nemo possit mundum se habere cor. Prouer. 20. & facientes quæ præcepta sunt serui inutiles simus. Lucæ 17. Paucis respondeo, nos non fidere operibus, ut à uiribus liberi arbitrij proficiscuntur: atqui quum ex Fide, Spiritu Christi inhabitante, & Charitate diffusa in cordibus nostris excitemur ad opera pietatis, quæ in nobis, & per nos operatur Deus: ut sunt ieiunium, corporis afflictio, oratio, eleemosyna, & chameuniæ, Sperare nos posse mercedem docent scripturæ. Matth. 20. redde operarijs mercedem. & apostolus: bonum certamen certaui, cursum cõsummaui, etc. 2. ad Timoth. 4. ita fit ut coronet in nobis Deus sua dona. Unde & Paulus Ro. 6. uitam æternam gratiam uocat: quia gratis illa donantur quibus redditur uita æterna. Quando igitur in oratione Ezechias prætexit comminationi diuinæ suam innocentiam, animi integritatem, & iustitiã, nequaquam id ea opinione fecit, qua illi quos damnat apostolus. Roman. 10. sed humilis quædam est beneficiorum Dei commemoratio.

TERTIO, Docet quem effectum humilis ista regis pœnitentia est consecuta, nimirum triplicem, sententiæ diuinæ mutationem, inopinatæ salutis restitutionem, & uitæ ad 15. annos prorogationem. Est enim ea Dei erga pœnitẽtes clemẽtia, ut ultra quàm petant aut intelligant rependat. 2. Corinth. 9. Denique quàm grata sint ueræ pœnitentiæ opera, testatur hic locus. Hæc, inquit propheta, dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam,

& uidi lachrymas tuas. Errant igitur uehementer, qui impudenter docent omnia bona opera esse peccata, & iram potius quàm misericordiam promereri, aut contritionem, quæ ex consideratione iræ Dei nascitur, constituere magis peccatorem. Certè Dauit gloriatur Deum tanti fecisse suas lachrymas ut eas posuerit in conspectu suo. Psal. 55. Imò Dauide mortuo, eius adhuc merita uiuunt: ut testantur scripturæ. Isa. 37. Ezec. 6. adeò ut Deus ciuitatem sanguinum, idololatriæ deditam, & uoluptuosam & fornicariam Hierusalem, ut est apud prophetas, polliceatur se protecturum à tyrannide hostium Assyriorũ, Chaldæorum, Aegyptiorum, & Babyloniorum, merito sanctorum: tanti enim apud Deum pietas ualet, ut impijs quasi patrocinari uideatur, dum uindicem Dei iustitiam remoratur. Genes. 18. Sed quum sententia Dei sit semel determinata, nec possit aliter quàm diffinierit euenire, quomodo Ezechiæ oratione, et lachrymis mutari semel diffinita potuit sine Dei mutatione? Respõdeo, ex fide potius quã ratione, Deũ in quo præteritum & præscientia non significant actum prætereuntem prorsus esse immutabilem. Proinde quũ res in se, & secundum inferiores causas sint contingentes; necessariæ tamen sunt, quatenus subijciuntur sententiæ diuinæ, quæ falli non potest. Ita Ezechias secundum causas inferiores erat moriturus, dum dicebatur illi: Dispone domui tuæ, qui tamen secundum Deum non erat moriturus.

FERIA

FERIA VI. POST CINErum. Epistola Isaiæ LVIII.

HAec dicit Dominus Deus: Clama ne cesses: quasi tuba exalta uocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Me etenim de die in diem quærunt, & scire uias meas uolunt, quasi gens quæ iustitiam fecerit: & quæ iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitiæ, & appropinquare Deo uolunt. Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunii uestri inuenitur uoluntas uestra: & omnes debitores uestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. Nolite ieiunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor uester. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere? Nunquid istud uocaui ieiunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus disrumpe. Frange

esurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domum tuam. Cum uideris nudum, operi eum: & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. Et anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: Clamabis, & dicet, ecce adsum: quia misericors sum Dominus Deus tuus.

Quia Isaias inciderat in mores Iudæorum corruptismos, iubetur à Deo satyrica oratione ipsos perstringere, ac laudata uera iustitia, & uirtute, damnare hypocrisim, atque in ipso propheta omnes uerbi Dei ministros instruit. Agit autem potissimum quinque.

PRIMO, *Quia legatione fungitur, tanquam Deo exhortante per ipsum, verbi minister, necesse esse docet propheta, vt clamet, nec cesset, quasi tuba stentoria exaltet vocem suam, et annunciet populo Dei peccata eorum. Sunt autem prædicatori verbi Dei imprimis necessaria, dicendi libertas, autoritas, cognitio scripturarum, & pietas, ne scilicet metu vel amore, veritatem eloqui vereatur. Isa. 56. Canes muti, &c. Ezech. 33. Domini maledictioni obnoxius erret. Hiere. 23. cæcus cæco ducatum præstet, & dicat malum bonum, & bonum malum. Isa. 5. Ezech. 3. Comede volumen istud, ne &c. & ne*

ne in docendo cor à lingua dissentiat, salutis enim reus existit, qui quod dicit, negligit. Augus. ser. 3. de uerbis domini. Hæc quisquis neglexerit præsidia, pro panacea cicutam offeret, ut nostra hæc ætas magno suo experitur damno. Nec enim aliunde tātum execreuerunt hæreses & schismata, quàm ex imperitorum hominum magna prò dolor temeritate, qua non missi à domino currunt, inscitia, qua non intelligentes quæ loquuntur, aut de quibus affirmant. 1. ad Timoth. 1. cupiditate, qua docent quæ ignorant, suo ventri potius quàm Christo seruientes. Rom. 16. Philip. 3. & auaritia, qua excæcati adulterant verbum Dei ad gratiam hominum. 2. ad Cor. 24. Proinde quum nulla re magis egeant regiones albæ ad messem quàm fidelibus operarijs, rogandus est dominus messis, ut mittat operarios in messem suam. Matth. 10. Ioan. 4. Qui falce verbi Dei hæreses, schismata, & scandala ex agro Ecclesiæ colligant.

SECVNDO, *Docet veri ecclesiastæ munus esse, non solum ut est Hie. 1. ædificare, & plantare, uerum prius destruere, et euellere ex animis hominum omnem falsam religionem, fidem, doctrinam, & opinionem, quam leui momento concipiunt de Deo, iustitia, & operibus. Quemadmodum hi Iudæi falsa superstitione imbuti, ignorantes Dei iustitiam, ita suam uolebant statuere, ut Deum quasi iniustitiæ arguerent, quod ipsorum opera videretur negligere, quum non secus ac gens quæ iustitiam faceret, et iudicium*

iudicium Dei sui non delinqueret, sed simulata quadam pietate de die in diem Deum quærerent, et scire vias eius vellent, et quasi fiducia bonæ conscientiæ freti rogant iudicia iustitiæ, quasi dicentes: Iudica me domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. Psal. 25. & appropinquare Deo volunt, quod nemini licet, nisi qui uias impias deseruerit. Est hæc verè hypocritarum iustitia, quæ sine fide in Christum constat, qui factus est nobis à Deo patre iustitia, sanctificatio, redemptio, cui nisi & nostra innitatur iustitia, frustra illi inniteremur.

TERTIO, Quasi per mimisim ipsorum hypocritarum de suis operibus gloriantium, & Deo quasi oscitantiam exprobrantium, proponit quæstiones, dicens: Quare ieiunauimus, & non aspexisti? Quare humiliauimus animas nostras, & nescisti? quasi dicat: nunquid, ut est Iob 22. circa cardines cœli uersaris, & humanarum rerum curam negligis? Sic enim mox iniquè de Deo cogitat caro ebria opinione propriæ sanctimoniæ: quam frequenter in ijs constituit quæ odit Deus, ut sunt ea quæ fiunt sine fide in Deum: charitate in proximum, & misericordia: sola scilicet opinione comparandæ existimationis apud homines, quos perstringit Christus. Luc. 16. Vos estis qui iustificatis uos coram hominibus: Deus autem etc. Errant autem qui ex hoc loco quæcunque pietatis, fidei, misericordiæ, obedientiæ, humilitatis, abstinentiæ, & uoluntariæ paupertatis

tatis exercitiā, libera uoluntate ſuſcepta, damnāt, quaſi quæ eadem ſint cū Iudaicis iſtis operibus. Neque enim opera ipſa ieiunij, et humilitatis Iudæorum damnat Deus, ſed quod fierent praua intentione, corruptis circunſtantijs. Ideo ſcilicet, quod in diebus ieiunij inueniretur voluntas ipſorum plus æquo indulgens libidini & affectibus ſuis, auaritiæ, ſimoniæ, inuidiæ, alijsq; uitijs, omnes debitores repeterent. Non quod debita exigere non liceat, ſed ſeueritatem reprehendit erga eos qui ſoluendo non eſſent. Vide 1. ad Corinth. 6. ad lites & contentiones ieiunarent, quum ſeruum Dei non oporteat litigare, ſed manſuetum eſſe. 2. ad Timoth. 2. percuterent pugno impiè, ſcilicet contra ordinem iuris, contra legem. Ideo Apoſtolus non vult Epiſcopum eſſe percuſſorem, nunquam enim concupiſcentiam coercebit, qui manum continere nequit.

QVARTO, Docet qualem velit ſibi Deus in ieiunio, & pietate animum exhiberi, nimirum candidum & ſyncerum, ne ieiunetis, inquit, vt audiatur in excelſo clamor ueſter, quem de vobis pauperes quos affligitis ad cœlum vſque efferunt, contorqueatis quaſi circulo caput, ſuperſtitioſè ſcilicet ieiunio corpus dolore vexantes, ad oſtentationem & hypocriſim, non depoſitis malis animi affectibus, & ſaccum & cinerem ſternatis: neque enim ſolam corporis afflictionem quærit Deus, & humiliationem animæ per iniuriam corporis: ſed potius, inquit Hiero. ea facere quæ præcipit Dominus. Atque ideo vt oſtendat propheta

propheta huiusmodi operum laruas sine fide & vera pietate Deo non placere, interrogat, an istud uocabitis ieiunium, & diem acceptabilem Domino, quo scilicet paratus sit audiendis orationibus vestris? Quasi dicat, minimè. sicut non delectatur victimarum nidoribus oblationibus ex iniquo, ita nec huiusmodi prodigiosis ieiunijs, placet tamen abstinentia coniuncta fidei et charitati, hoc enim est quod ait, solue colligationes impietatis .i. iniquas cautiones, quibus per calumniam opprimitis pauperes, solue fasciculos deprimentes .i. syngraphas vsurarias, alioqui licet iusta debita repetere, dimitte eos qui cōfracti sunt liberos, quos scilicet iniquis exactionibus in carceribus & ergastulis detinetis, & omne onus disrumpe, Iacob. 5. Nonne diuites per potentiam opprimūt vos? Iubet ergo propheta ex charitate quemlibet proximo condonare quancunque querelam: atque adeò omnia iniqua pacta rescindere. neque verò hæc sufficere ad perfectam iustitiam iudicauit propheta, quæ Deo placere posset, quum de proprio quoque iubet elargiri egentibus. Ideo inquit, frange esurienti panem tuum, egenos vagosq́; induc in domū tuam, quum videris nudum, operi eum, & carnem tuam, id est, domesticos seminis tui ne despexeris.

QVINTO, *Contra nostri temporis errores quasi præsagio quodam spiritus sancti impulsus unico ariete deijcit insaniam eorum, qui bonis operibus omne meritum adimere nituntur, docens quomodo iustitia nostra ex operibus esse potest, & non ex fide tantum.*

Promittit

Promittit enim peccatoribus, si, qualia præscripsit, opera fecerint, quod erumpet quasi mane lumen ipsorum: illud scilicet, de quo Zacha. 4. Vobis timentibus nomen meum, orietur sol iustitiæ, sanitas citius orietur. Psal. 6. Sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea, anteibit faciem iustitia, & gloria domini colliget eos. Ergo qui est in tenebris peccatorum, exhibeat opera pietatis, ad quæ scilicet præuenientis gratiæ auxilium eũ impulerit, quæ præparabunt peccatorem ad peccatorum remissionem consequendam, quando enim huiusmodi opera fiunt sine charitate, præparatoria tantum sunt: nã quod primo ipsi peccatori exoritur lumen, è prima qua præuenitur gratia: quando autem fiunt à iustificato, tunc lumen hoc, est incrementum gratiæ, vt videre licet apud Cypria. serm. de eleemosy. & Augustinum lib. 1. contra Cresco. Grammaticum, ubi eleganter docet nos mãdari uerbo ueritatis ab illo qui dixit: Iam vos mundi estis propter sermonem, sacrificio contriti cordis, Psal. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum, & eleemosyna ab illo qui ait, Date eleemosynam, &c. Non quod dicamus his operibus mereri quenquam reconciliationem, absit enim hoc, sed vt est apud August. præparamur ambiendo gratuitam Dei misericordiam, neque enim pugnant gratuita Dei misericordia, & nostra præparatio: quia illa præparatio est gratiæ Dei nos præuenientis. Vide lib. 13. Cõfess. ca, 17. Sic ergo in statu iustitiæ affectis

maiora

maiora adhuc pollicetur Deus, nempe exauditurum ſe dum inuocabimus, & clamantibus ſe dicturum, ecce adſum. Ea enim Dei eſt miſericordia erga ſpectantes in eum, ut deſerat nunquam.

SABBATO POST Cinerum. Epiſtola Iſaiæ LVIII.

HAec dicit Dominus Deus. Si abſtuleris de medio tui catenam: & deſieris digitum extendere: loqui quod non prodeſt. Cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictã repleueris: orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies. Et requiem dabit tibi Dominus Deus tuus ſemper: & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit. Et eris quaſi ortus irriguus, & ſicut fons aquarum: cuius non deficient aquæ. Et ædificabuntur in te deſerta ſæculorum. Fundamenta generationis & generationis ſuſcitabis. Et uocaberis ædificator ſepium, auertens ſemitas inquietem. Si auerteris à ſabbato pedem tuum, facere uoluntatem tuam in die ſancto meo, & uocaberis ſabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum: & glorificaueris eum, dum non facis uias tuas: & non inuenitur uoluntas tua, ut loquaris ſer-

monem. Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ: & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum est.

Concionatur hac epistola propheta de beneficiis quæ pœnitentibus à Deo sunt parata, si tamen in statu iustitiæ perseuerent. Agit autem potissimum quatuor.

PRIMO, *A quibus ad iustitiam veram parandam sit abstinendum, dum ait: Si Abstuleris de medio tui catenam, id est, si deposueris omne pondus, & circunstans peccatum. Heb.12. scilicet fraudulentarum cautionum, contractuum, technarumque, quibus opprimere miseros soles, atque adeò funes omnes quibus constringeris, & desieris extendere digitum tuum, vt scilicet non solum ipse malum non facias, sed ne communices aliorum peccatis, consensu, quem digiti extensione indicare solebant Iudæi. nec non loqui quod non prodest, scilicet desieris: quia corrumpunt bonos mores colloquia praua: & de omni uerbo otioso reddenda ratio erit: idcirco ab ijs abstinendum, non solum quæ nocent, sed etiam quæ non prosunt, vt sunt temeraria de proximo iudicia. Quia enim hæc sunt in omni vita perniciosa, ijs tamen maximè qui ad æternæ vitæ perfectionem anhelant, obsunt, propria peccati conscientia. aliena peccata promouere, quum possis impedire, & Dei odium uel contem-*

contemptus. Hæc enim metaphorica phrasi significare uoluisse propheta videtur. Sed quo modo ille naturæ videtur tribuere, quod impossibile omnes ubique scripturæ testantur? Scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri, vt ambulet in ea. Hiere. 10. nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit traxerit illum. Ioan. 6. & sine me nihil potestis facere. Ioan. 15. Est enim adeò debilis, & infirma natura post lapsum effecta, vt irretire sese peccati vinculis possit, non autem expedire, nisi gratia præueniatur. Sed voluntatis, & arbitrij libertas ostenditur, & sui quasi admonetur officij. Eo ipso enim quo præcipit vt aut sapiamus, aut catenam peccati abijciamust, obedientiam nostram requirit, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio: quod quia non potest sine gratuito Dei adiutorio perficere, docetur confugere ad gratiam, & dicere: Da mihi intellectum vt discam mandata tua. Augustinus epistola 46.

SECVNDO, Quid ad illius conseruationem sit agendum, neque enim satis est ad iustitiæ perfectionem recedere à malo. Psalm. 33. ideo vtranque iustitiæ partem complectitur: commendat autem potissimū ipsa opera misericordiæ, quæ enumerat Christus Matth. 25. pascere esurientem, vestire nudum, uisitare infirmum, colligere hospitem, captiuos visitare, sitientes potare, & sepelire defunctum. Quæ pulchrè duabus partibus complectitur propheta, dicens: Si effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, Hoc est, vt loquitur Apo

stolus

stolus 2. ad Corint. 9. Si non ex tristitia aut necessitate, sed ex animo tribueris, vt magis videaris beneficium accipere quàm dare, hilarem enim datorem diligit Deus. Siquidem in paupere liberalitas est benedictio, & parsimonia, Est Paulo. 2. Corinth. 9. auaritia. Quare qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Est enim tanta Dei Opt. Max. liberalitas, & munificentia, vt rependat pro paruis magna, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, adeò vt ne calicem aquæ frigidæ sinat irremuneratum. Matth. 10. magna enim vis est eleemosynæ, quæ peccata redimit. Daniel. 4. omnia mundat. Luc. 11. 12. à morte liberat. Tobiæ 12. Non quod per se elemosyna ad mundationem sufficiat, quomodo principaliter opus sit misericordia Dei & sanguine Christi, in quo & aliorum omnium redemptionem habemus, si dignos pœnitentiæ fructus fecerimus. Basilius in regulis contractioribus.

TERTIO, *Amplissima proponit præmia ijs qui non ex tristitia, vel necessitate à vitijs ad virtutes redirent: quanquam non omnino mali sint qui ex spiritu timoris eleemosinas dant, gratiores sunt tamen illæ quæ ex charitate procedunt. Si tamen non fiant ex rapina, fraude, vsuris, & dolis: offerentis enim ex iniquo oblatio immunda est, vt & illius sacrificium qui de substantia pauperis offert, quasi qui excerebret canem. Isa. 66. At quisquis suam effude-*

rit animam, scilicet de sua substantia fecerit eleemo synam, huic orietur in tenebris lux, illa.s. quæ illumi nat omnem hominem. Ioan. 1. & tenebræ erunt sicut meridies. i. si fuerint peccata sicut coccynum, velut nix dealbabuntur in sanguine agni. Isa. 1. Apoc. 14. Per Christum enim, qui est lux in tenebris peccato rum & ignorantiæ lucens, continget peccati remis- sio, ablutio, iustificatio, sanctificatio, redemptio: ple nius autem dum corruptibile hoc induet incorruptio nem, & mortale immortalitatem, & dum qui vide mus per speculum in ænygmate, uidebimus facie ad faciem gloriam domini. Alludit enim propheta ad gloriam illam futuræ immortalitatis, qua fulge- bunt iusti sicut sol in conspectu patris, dum abster- get omnem lachrymam ab oculis, vt mors, luctus, clamor, & dolor amplius non sint, sed iustitia, pax, gaudium in spiritu sancto, quum Deus erit omnia in omnibus. Neque hæc ad hanc vitam perfectè per tinent, sicut nec ea quæ subijcit propheta, dicens, re- quiem dabit tibi dominus quam ignorant ij, quorum cor quasi mare feruet, vt dicas: Benedic anima mea domino, qui replet in bonis desiderium tuum. Psalm. 102. implebit splendoribus animam tuam. i. abolitis peccati maculis, luce euangelij qua agnoscas te pacem habere cum Deo, perfundet. Ro. 5. ossa tua liberabit. i. corpus quod corrumpitur, immortalita- tis gloria vestiet, iuxta illud: Scimus si terrestris no stra domus &c. 2. ad Cor. 5. 1. Cor. 16. Ps. 33. Eris quasi ortus irriguus, cuius non deficient aquæ. Sem- per

per enim corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, vt nunquam perfecta sit hinc quies, dum animus secum ipse dissidet, dum caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem concupiscit, nec ante plena fiet liberatio, quàm mortale hoc induerit immortalitatem.

QVARTO, Quia paucis ea est fidei cõstantia, vt exactè ad cælestia illa tantum animum erigere possint: idcirco & temporalium bonorum promissione demulcet, scilicet nominis, & famæ celebritate apud posteritatem consequenda. Aestimarunt enim sancti, magni beneficij loco, famæ bonum. Ecclesiastes 7. Huc enim spectare videntur Prophetæ phrases metaphoricæ, è re rustica petitæ, vocaberis ædificator sæpium, fundamenta generationis & generationis suscitabis, vocabitur in te ædificator sæpium, & conuertens semitam in quietem. Sublimiora hæc uidentur quàm quæ iustis in hac vita conuenire possint. Videntur enim (quod prophetis familiare est) Christo potius quàm alter cuiquam conuenire, qui collapsa naturæ & Mosi lege, nouam & euangelicam ædificatam sepem attulit, quæ continet ne à feris diripiamur, quam & perpetuam esse voluit, qua & semitas conuertit in quietem, dum humana corda malo dæmoni peruia, data peccatorum remissione, iustificat. Si auerteris à sabbato pedem tuum, ne scilicet proprios sequaris affectus, & quiescas ab eis quæ Deo displicent, nec feceris voluntatem tuã

in die sancto meo. Hoc enim est propriè sabbatum sanctificare. seipsum abnegare. & propria relicta, Dei in omnibus sequi voluntatem. Luc.10. Quibus verbis ostendit non satis esse iustitiæ viam iam ingressum esse, sed oportere persistere, neque enim qui cœperit, sed qui perseuerauerit, hic saluus erit: hoc enim est quod ait Propheta: tunc delectaberis super dominum, quia.s. dabit tibi petitiones cordis tui, vt eum facie ad faciem videas, sustollam te super altitudinem terræ.i.ablata corporis corruptione illam viuentium terram, quam mites possidebunt, concedam. Mat.5. Psal.36. & cibabo te hæreditate Iacob patris tui, qui victor vitiorum æternitatem est consecutus, eam & tibi concedam, si fortiter contra spiritualia nequitiæ depugnaueris. Hæc summa est pijs omnibus consolatio, qua erigere sese contra omnes aduersitates (quibus concidere facilè solet animus) possunt: dum intelligunt id quod leue est & momentaneum tribulationis, æternum gloriæ pondus operari, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, &c. Heb.12. Isa.6.

DOMI-

DOMINICA PRIMA Quadrageſimæ. Epiſtola II. Corinth. VI.

ADiuuantes autem exhortamur, Ne in uacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim, Tempore accepto Eſa.4.9.c. exaudiui te: & in die ſalutis audiui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Nemini dantes ullam offen 1.Cor.4.c ſionem, ut non uituperetur miniſterium noſtrum: ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſsitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in uigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in ſpiritu ſancto, in charitate non ficta, in uerbo ueritatis, in uirtute Dei, per arma iuſtitiæ, à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam: ut ſeductores & ueraces. ſicut qui ignoti, & cogniti: quaſi morientes, & ecce uiuimus: ut caſtigati, & non morificati: quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquàm nihil habentes, & omnia poſsidentes.

Tria sunt præsentis epistolæ primaria capita.

PRIMO, *Docet quanti periculi res sit abuti beneficio gratiæ Dei, quare hortatur fideles, ne in vacuum gratiam Dei suscipiant, neglectis spiritus sancti donis, desiderijs carnis inseruiant. ad Titum 2. Tanquam canes reuersi ad vomitum, & sues lotæ in volutabro luti, rursus crucifigant in semetipsis filium Dei. 2. Petr. 2. & ad Heb. 6. Intelligit autem Apostolus nomine gratiæ Dei, non uulgaria isthæc tantum præsentis uitæ beneficia, quæ malis æquè ac bonis concedit Deus, sed eam quæ beneficio Christi consistit in redemptione à seruitute peccati. Rom. 6. 7. liberatione à malis culpæ. Galat. 3. et In absoluta remissione peccatorum. Ephes. 1. Hoc enim est admirandum illud gratiæ beneficium, de quo locuti sunt prophetæ. 1. Pet. 1. quo scilicet proposuit Deus ex singulari sua uoluntate adoptare nos in filios per Christum, & qui per totam vitam obnoxij eramus seruituti diaboli, carnis, & mundi, quibus tanquam imperiosissimis dominis ad suam ipsorum voluntatem obtemperabamus gehennæ, & iræ filij, effecit vt essemus sancti, & immaculati coram ipso, hoc est, hæredes Dei. Ro. 8. cohæredes Christi, & consortes diuinæ naturæ. 2. Pe. 1. quo nihil præclarius accidere potuit mortalibus, cui quotquot ingrati fuerint, in pristina videlicet peccata relabendo,*

hi-

hi demum in vacuum sese eam recepisse demōstrant gratiam, quando is sit gratiæ primarius & præcipuus effectus: non ut ex bonis faciat meliores, iuxta August. sed ex malis bonos: postea vero, iuxta Prosperum in epist. ad Rufinum, per profectum ex bonis factura meliores, ut ex autoritate prophetæ indicat Apostolus, pollicens quod in tēpore accepto, & in die salutis, hoc est, tempore noui testamenti, quo charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per spiritum sanctum, per quem dum, sicut oportet, oramus, exaudimur, operamur, & adiuuamur.

SECVNDO, Ostendit differentiam temporis noui testamenti, quo reuelata est gratia Euangelij per Christum, in quo reconciliati sumus Deo per mortem eius: per quem accessum habemus ad patrem. Ephe. 2. per fidem. gratia & veritas facta est. Ioā. 1. Zacha. 13. & pignus & arrabonem æternæ vitæ, scilicet spiritum sanctum, accepimus. Hæc enim, aliaq; immensa per Christum collata Ecclesiæ beneficia significat Apostolus per μετωνυμίαν, tempus ac dies salutis, pro Christo, qui autor est omnis salutis, nouissimis istis diebus singulari patris beneuolentia exhibito, ponens. Etenim de illo testatur pater. Matth. 3. & 17. quod in illo sibi complacuerit, adeò ut non possint non esse accepti propter ipsum, quotquot renascuntur ex aqua & spiritu sancto. Ioan. 3. qui fide per dilectionem operante credunt. 1. Pet. 2. qui factores legis fuerint, & non auditores tantum, Iacob. 1. & qui non timore, tanquam

serui sub lege, sed amore, tanquam filij sub gratia constituti, legi obedierint: sunt enim hi veri palmites in vite manentes, propter occultam illam communicationem spiritus sancti, quos cœlestis ille agricola licet purget, varijs nimirum afflictionibus, tũ externis, scilicet morbis, penuria, fame, exilio, & morte: tum internis, scilicet, dolore, tentationibus varijs, & anxietate conscientiæ: non id tamen alia de causa facit, quam vt fructus plus adferant. Ioan. 15. neque enim suos dominus affligit vt perdat; sed vt sanet: adeò vt licet quandoque negligere videatur suorum preces, magis ipsorum fidem & inuocationem excitet: atque vt agnoscant ex hac Apostoli doctrina nunc esse tempus acceptabile: quo scilicet, antequam clament, exaudiantur. Isa. 65. Si tamen vt oportet orauerint, scilicet in nomine Christi. Ioan. 15. ex fide, & spiritu, & mente. 1. Corint. 14. Ioan. 4. & Instanter, & perseueranter. Mat. 7. tales etenim quum in spiritu & veritate adorent, propter Christum exaudiuntur à patre, tum etiam propter inhabitantem spiritum eius. Rom. 8. qui docet quid & quomodo orent. Siquidem ita vitam instituunt, vt ipsos pater æternus exaudiat inuocantes, adiuuet dimicantes, & erigat labentes.

TERTIO, *Christianæ vitæ formulam proponit omnibus, tum verbi Dei ministris, quales sunt Episcopi, Pastores, & concionatores, quos vult Apostolus esse formam gregis ex animo. 1. Pe. 5. imitatores*

tores Christi vt filij charissimi, Ephes. 5. & operarios inconfusibiles. 2. ad Timoth. 2. siquidem hos posuit in ecclesia spiritus sanctus, quam acquisiuit Christus sanguine suo. Act. 20. nimirum in edificationem corporis Christi, consummationem sanctorum, & agnitionem filij Dei. Ephes. 4. donec occurramus omnes in vnitatem fidei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. tum etiam promiscuis fidelibus quorum est acceptam semel fidei professionem conseruare, sacramenta ecclesiastica, certissima salutis nostræ symbola amplecti, & reuereri, in ea vocatione, in qua vocati sunt, permanere. 1. Corinth. 7. & obedire præpositis, nō tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. Falluntur enim grauiter, qui eadem esse munia volunt plebis, quæ pastorum: aut omnem, non tantum vitæ, sed & fidei, libertatem esse passim concedendam, quando, vt quotidiana docent exempla, non aliunde magis serpat morum corruptela, quam ex fidei licentia, quia passim fit, vt quot sint capita, tot sint sententiæ, vt vel hæreticorum paradoxa abundè testantur: qualia sunt, solam fidem sufficere ad salutem, iustum in omni opere bono peccare, & baptismum, aliaq; sacramenta esse futilia hominum commenta. Ex quibus quanta secuta sit in Repub. Christiana morum corruptela, passim omnes sentiunt, nec tamen dolent. Atqui longè aliter Paulus, qui omnium fidelium vitam talem esse vult, vt nemini dent vllam offensionem, ne ijs quidem qui

occasionem

occasionem quærant maledicti gratia, & non vitu- perent ministerium: si videmus hoc in [illegible] [illegible] creditur, iuxta illud, Propter vos nomen meum blasphematur. Isa. 52. sed potius ut in omnibus exhibeant se sicut Dei ministros, obediendo videlicet illius præceptis, ex verbi Dei præscripto vitam instituendo, quod an nostri faciant Sardana pali, ipsi viderint. certè nihil minus apud ipsos inuenias, quam eas virtutes, quas hic enumerat Apo stolus. Siquidem pro ieiunijs, castitate, necessitate, ac patientia, charitate, spiritu s. & scientia, amplectuntur gastrimargiam, libidinem. abundantiam, indignationem, odium. spiritum soporis & vertiginis, & ignorantiam. Adeo nihil est sani in tota ipsorum vita, ut facilè agnoscas quàm sint à spiritu Christi alieni.

FERIA SECVNDA HEBdomadæ primæ, Epistola Ezechiel. XXXIIII.

HAec dicit Dominus Deus, ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos ut ultrà non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultrà eis in escam. Quia hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ip-

se requiram oues meas, & uisitabo eas. Sicut uisitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: sic uisitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis, & cõgregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas in montibus Israel, in riuis, & in cunctis sedibus terræ. In pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum, ibi requiescent in herbis uirentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel: Ego pascam oues meas: & ego eas accubare faciã, dicit Dominus Deus: Quod perierat, requirã: & quod abiectum erat, reducam: & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo: & quod pingue & forte, custodiam: & pascam illas in iudicio.

De officio ueri pastoris Christi agit in hac epistola Propheta: quia enim semetipsos pascebant pastores, ouibus passim luporum morsibus relictis, pollicetur Deus ouium suarum se rationem habiturum. Tria autem proponit Propheta.

PRIMO, *Bucolica quadam metaphora promittit se oues suas ab æterno scilicet prædestinatas quæsiturũ, quarum*

quarum etsi nulla perire potuit, erant tamen per pastorem Christum, in quo electæ sunt ante mundi constitutionem, ad Ephes. 1. quærendæ, visitandæ, & liberandæ. Id enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnales hominis affectus, ita vt neminem ad perfectum adducere posset, quæ operabatur iram, quum errantibus ouibus mortem comminaretur, caulam ostenderet, sed vt repeterent gratiam præstare nequibat: ideo inquit, Ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum, quæ videlicet perierũt domus Israel. Math. 15. merito nimirum primi illius originalis peccati, quo tota periyt humani generis massa, vt ex ea qui à Christo requiruntur, solam agnoscant indebitam gratiam, qua ex misericordia auersos vocat, impios iustificat, & qui deseruntur, solam agnoscãt vindicem iustitiam, qua iustè, dignos deseri, deserit. Quos autem ita visitat Dominus, vt à massa perditionis separet, non iam ex bonis, inquit Augustinus, facit meliores, sed ex impiys bonos, vt ex fide viuentes per dilectionem bene operentur. Quos autem ita inuenerit visitat in virga, scilicet iniquitates eorum. Psal. 88. ne damnet cum mundo, separat ab hœdis; ne mali pestifera contagio perdat, educit de populis, transferendo de morte ad vitam. 1. Ioan. 3. & congregat de terris vitæ præsentis in terram viuentium. Quibus verbis complectitur propheta amplissimam promissionem gratiæ noui testamenti per Christum (qui, authore Petro, est princeps

ceps pastorum) adferendæ. Qui graue iugum, quo miserè oues opprimebant pastores iniqui, ablato, substituto leui illo euangelico iugo, oues suas demulcet, dum parcit peccantibus, nolens mortem peccatoris: condonat resipiscentibus, expectando ut misereatur eis. Isaiæ 30.

SECVNDO, *Pastoris Christi colligentis oues errantes beneficia, quæ tempore noui testamenti sit exhibiturus, enumerat, voce domini dicentis: Inducam eas in terram suam, quasi dicat: etsi videantur balantes & dispersæ oues meæ in alieno versari solo, & quasi peregrinantes à domino, & communibus hœdorum malis obnoxiæ, non tamen peribunt, sed inducam in terram cœlestem. Pascam eas in montibus Israel, idest, non tantum corruptibili & perituro cibo, vel in loco parum tuto, ubi prædæ facilè obyci possint: sed in tabernaculis fiduciæ, in locis tutissimis, in riuis, & in cunctis sedibus terræ, quasi dicat, non in aridis locis, ubi siti diuinarum consolationum affecti riuulos aquæ viuæ desiderare possent: sed fiet in eis fons aquæ salientis in vitam æternam, ut hauriant aquas in gaudio de fontibus saluatoris. In pascuis uberrimis pascam eas, ut nihil scilicet quod ad æternam ipsarum salutem esse necessarium posset, desideretur. Iuxta illud: Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? In montibus excelsis erunt pascua earum, quia totæ in Deũ ferentur, neglectis momentaneis & perituris, ubi gustarint quàm suauis sit dominus, non iam terre-*

na quærent, sed ea quæ sursum sunt, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur, Isa. 32. sedebit populus meus in tabernaculis fiduciæ, in pulchritudine pacis. Promissio est de futura beatitudine. Sublimiora hæc sunt promissa, quàm quæ alicui pastori, præterquam Christo, conuenire possint, qui solus est animarum pastor, quid ouium saluti expediat sciens: cuius ad exemplar vult tamen Deus omnes sese componere pastores, nisi horrendæ illi maledictioni subijci velint: Væ pastoribus qui pascebant semetipsos, neglectis nimirum ouibus: alioqui permittit Apostolus, vt qui gregem pascit, de lacte comedat: & qui altari deseruit, de altari viuat. 1. Corinth. 9. Sicut autem pastorum alij sunt boni, alij mali, ita disparia sunt officia. Nam veri pastoris est requirere oues, visitare, ad caulam reducere, pascere verbo & exemplo, doctrina & sacramentis. Paratus enim est pro ouibus animam ponere. Siquidem per ostium, quod Christus est, in ouile ouium accesserit. Accidit autem singulari Dei erga populum suum misericordia, vt huiusmodi det pastores, qui scientia, & doctrina, nimirum iuxta cor Dei, pascant. Hier. 3. Pascunt autem iuxta cor Dei, qui nihil subtrahunt vtilium, quo minus annuncient domini voluntatem. Actorum 20. ueritatem euangelij prodigiosis opinionibus & hæresibus non corrumpunt, ouium salutem proprio questui & uentri præponunt, & lupos greges infestantes forti-

te

ter gladio spiritus uerbi Dei repellunt, uerũtamẽ mali pastoris est oues ueniente lupo relinquere, lac comedere, lanis operiri, quod crassum est occidere, infirma non alligare, perdita non quærere, cum austeritate imperare, & onera grauia imponere, & digito non attingere. quia nimirum fur est & latro, quum non per ostium, sed aliunde, intrarit: nec sit illi de ouibus cura, ut merito huiusmodi idolum uocet. Zacha. 11. ca. Dantur uerò huiusmodi, meritis subditorum exigentibus, iuxta illud: Dominus est qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. Iob 34. quales uereor hoc tempore, ne multos patiatur Ecclesia, qui sunt, ut est Isaiæ 56. speculatores cæci, canes muti non ualentes latrare, uidentes uana, amantes somnia, canes impudentissimi, ne scientes saturitatem, ignorantes intelligentiam, & declinantes ad auaritiam.

TERTIO, Ne putarent fideles se prorsus à Deo deseri, si tales essent nacti pastores, qui ipsorum curam prorsus abijcerent, pollicetur Deus in huiusmodi casu se pastoris munia obiturum, dicens: Ego ipse pascam oues meas, & accubare eas faciam. Ut scilicet tuto cum propheta dicant. Psal. 22. Dominus regit me, nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit, &c. Quod ideo facturum se pollicetur, ut sine timore de manu inimicorum liberati, seruiamus illi. Luc. 1. Neque his contentus longe maiora pollicetur, dum ait: quod perierat requiram, quod abiectum fuerat reducam, quod confractum fuerat alligabo.

gabo, quod infirmum fuerat consolidabo, & quod pingue & forte, custodiam. Emphaticōs hæc quum dicantur, vt cuilibet periodo sua adsit energia, omnes tamen id unum insinuare puto, quod suauissima illa Euangelij uoce significauit Christus, dum ait se uenisse vt peccatores saluos faceret. Et Apost. uenit Christus Iesus in hunc mundum peccatores saluos facere: & propheta: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & uiuat. Nemo ergo peccati grauitate perculsus desperet: adest enim qui erigit omnes allisos, qui sanat contritiones, qui linum fumigans non extinguit: cuius gratia sit, vt in accepta semel iustitia perseueremus, tentationibus resistamus, ex peccatis saucij reuiuiscamus, & sanemur. At uerò ne quis inani fiducia de huiusmodi diuinis promissis ita sibi blandiretur, vt interim suauiter negligeret quæcunque salutis adipiscendæ sunt remedia proposita, docet quomodo diuinas istas suas promissiones sit exhibiturus, scilicet in iudicio, & iustitia. Neque enim temeritate fortunæ, casu, aut fatali quadam necessitate, qualem scilicet Stoici somniarunt, eueniunt omnia in rebus humanis, sed iudicio Dei iusto. (Iustus enim es, inquit propheta, Psal. 118. & rectum iudicium tuum) Pascua hæc æternæ fœlicitatis, quæ tanquam merces bonis redditur operibus eorum qui non crediderunt tantum, sed in uinea Domini laborarunt, retribuetur.

FERIA TERTIA PRIMAE hebdomadæ, Epiſtola Iſaiæ LV.

QVærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dum propè eſt. Derelinquat impius uiam ſuam, & uir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius: & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Non enim cogitationes meæ, cogitationes ueſtræ: neque uiæ ueſtræ, uiæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt uiæ meæ à uiis ueſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus ueſtris. Et quomodo deſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc ultrà non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: Sic erit uerbum meum quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me uacuum, ſed faciet quæcunq; uolui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud.

Docet hac epiſtola quatuor.

PRIMO, *Veram pœnitentiæ formulam præſcribens hortatur nos quærere Dominum, ſed dum inueniri poteſt, & inuocare, ſed dum prope eſt. Dum ſcilicet*

in corpore sumus, dum locus est pœnitentiæ, quia à mortuo perit confessio. Ecclesiastici 17. Est enim et sera, & inutilis damnatorum pœnitentia, quorum malitia ascendit semper. Psal. 73. vt viuorum, licet in vltimo vitæ articulo, opportuna, & vtilis est: si tamen ex fide propter Deum offensum proficiscatur, quanquam nec mala sit quæ metu gehennæ suscipitur, licet hæc altera sit imperfectior. Est autem non certo loco tantum, nec certo tempore anni tantum Deus quærendus, quia est ubique per potentiam, essentiam, & iustitiam, & semper tam nocte, id est, tempore tribulationis, quàm die, id est, rebus secundis exaudire paratus, sed perpetuo, idq; fide, spe, & charitate, qua sapiamus de ipso in bonitate. Si tamen, vt monet sapiens, in simplicitate cordis, sine fuco, & corde perfecto ad ipsum curramus. Appropinquat enim appropinquantibus sibi, & apparet ijs qui fidem habent in ipsum.

SECVNDO, Ne quem desperatio consequendæ remissionis peccatorum frangeret, proponit singularem Dei misericordiam: qua vti solet erga impios, qui iuxta ipsius uoluntatem uias suas dereiinquunt, cogitationes iniquas deserunt, opera tenebrarum abijciunt, & ueterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, deponunt. Neque uerò his contentus propheta, siquidem initium tantum est iustitiæ Christianæ à malis abstinuisse, non perfecta iustitia, quæ in perfectione uirtutum consistit, iubet ad Dominum reuerti, vt est psal. 33. prohibeat linguam

guam suam à malo, labia eius ne loquantur dolum, diuertat à malo, inquirat pacem, & persequatur eam. Quæ nequaquam ita dici putabimus, quasi hæc solis liberi arbitrij uiribus possimus. Quum sine gratia ne uelle quidem bonum: tantum abest ut agere possimus: sed officij sui admonetur, ut agnita infirmitate, quærat redemptorem. Ac ne diffidas, misericordiam, bonitatem & clementiam Dei commendat. ut & Hier. ca. 3. quæ nunquam magis elucet, quàm dum, ut ait Augustinus serm. 16. de uerbis Apostoli, prædestinauit antequam essemus, uocauit quum auersi essemus, iustificauit quum peccatores essemus, & glorificauit quum mortales essemus. Hæc enim sunt splendidissima illa promissa gratiæ noui testamenti, quæ significantur his prophetæ uerbis, quibus pollicetur Deum fore propitium peccatis nostris. Siquidem multus est ad ignoscendum. Adeò ut alienum opus facere dicatur, si quando irasci aut punire ex iure cogatur. Isa. 28. Aliena est enim Dei crudelitas, ut eo loco notat D. Hieron.

TERTIO, *Ut maiorem ingerat consequendæ ueniæ fiduciam, docet non ex ratione humana de Deo cogitandum. Non enim, inquit, cogitationes meæ, & uiæ meæ sunt ut cogitationes uestræ; & uiæ uestræ: siquidem Dei sunt cogitationes pacis, & non afflictionis. Isa. 29. atque ideo parcit peccantibus, nolēs mortem peccatoris. Ezech. 18. lento gradu ad uindictam properat, et expectat nos, ut misereatur nostri.*

Isa. 30. sed hominum cogitationes uanæ. Psalm. 93. quales de corde exeunt. Matth. 15. quare & malos fructus producunt: scilicet odium, iram, inuidiam, homicidia, & contentiones, &c. Gal. 5. arbor enim mala & putris malos fructus profert. Matth. 7. Atque hoc est quod sumpta metaphora à rebus maximè distantibus, cœlo et terra scilicet, significat, dum ait: Sicut exaltantur cœli à terra, &c. Neque enim ulla potest esse comparatio rerum humanarum ad diuina, quando finiti ad infinitum nulla esse proportio queat. Malè ergo de uoluntate Dei, gratia, iustificatione, prædestinatione, & sacramentis iudicāt, qui uel ex philosophiæ principijs, aut solo ingenij acumine disserere de his impudenter audent, quando in huiusmodi uolūtas, ratio, et industria humana longè cernat hebetius quàm oculus noctuæ lucidissimos solis radios aspiciat: quare in his certissimè est sequenda scripturæ amussis.

QVARTO, Quo certius persuadeat Deus paratum se esse recipere pœnitentem, quum nemo, nisi præueniēte Dei gratia tactus, resipiscere queat, quam sub metaphora imbris significat, docet ipsam pœnitentiam, qua quis de peccatis suis propter Deum offensum dolet, ad sacram ancoram confessionis pro consequenda remissione accurrit, & satisfactionem sacramentalem merito & efficacia sanguinis Christi efficacem amplectitur, non nisi gratia Dei excitari: quemadmodum terra, quæ natura sua frigida est, & sicca, nisi fœcundum accipiat imbrem, qui eam perfundat,

fundat, inebriet, et germinare faciat, sterilis manet, qui solus incrementum dat, adeò vt is si defuerit, nullus agricolæ labor profuerit. 1. Corinth. 3. Is enim est qui semen serenti, & panem comedenti præstat. Ita est & gratia ista cœlestis, quæ frequenter ex auditu uerbi Dei concipitur: quæ licet subinde, vt est Matthæi 13. videatur cadere secus viam, in petrosa, & inter spinas, vt perire prorsus uideatur, cadit tamen etiam in terram bonam. Neque enim potest ad Deum redire vacua, sed facit quæcunque uoluit Deus, & prosperatur in his quos ab æterno elegit, & prædestinauit, vt fructum gignat in alijs centesimum, sexagesimum, & trigesimum.

FERIA IIII. HEBDOMADÆ primæ, Epistola Exodi. XXIIII.

IN diebus illis. Dixit Dominus ad Moysen. Ascende ad me in mõtem, & esto ibi: daboq; tibi duas tabulas lapideas, & legem, ac mandata quæ scripsi, ut doceas filios Israel. Surrexerunt ergo Moyses & Iosue minister eius. Ascendensq; Moyses in montem Dei, senioribus ait: Expectate hic donec reuertamur ad uos. Habetis Aaron & Hur uobiscum. Si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes

montem, & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus. Septimo autem die uocauit eum Dominus de medio caliginis. Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super uerticem montis, in conspectu filiorum Israel. Ingressusq; Moyses medium nebulæ ascendit in montem. Et fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

Ostendit hæc epistola tria perquàm necessaria dogmata.

PRIMO, *Quanta cura, & sollicitudine Deus uineam electam, & populum acquisitionis, ereptum de fornace ferrea, & domo seruitutis sit tutatus, non solum magistratu Politico, quem gerebant Moyses; Iosue; & 70. seniores: Exodi 18. & Ecclesiastico, quem gerebant Aaron; Eleazar; tribusq; Leuitica: uerum etiam legis custodia, quæ licet neminem ad perfectum adduceret, propter transgressionem tamen posita, vt loquitur Apostolus, erat Sancta, iusta, & bona, vtpote à Deo profecta, qui est ipsissima sanctitas, iustitia, & bonitas, tum etiam si ipsius finem, ob quem à Deo est euulgata, perpendas, quem fuisse docet Apostolus charitatem de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Quanquàm enim hanc nunquam sunt consecuti Iudæi, duri & incircuncisi corde & auribus, ipsorum id uitio accidit,*

non legis: quod ostendit Deus, dum in tabulis lapideis, clangore tubarum, monte fumigante, & fulgure, tonitruq; promulgaret: ut enim frangeret hanc ipsorum duritiam, & conscientias ipsorum terreret, ac probaret utrum diligerent eum an non, ita descendit. Quod autem potissimum Moysen, & Iosue uoluerit huius esse ministros, eosq; ad se ea de causa uocarit, significare uoluit officium esse magistratus politici, leges non proprio ingenio excogitatas; sed diuinitus acceptas esse populo dandas, iuris seueritate conseruandas. Rom. 13. et digressioni locus est de officio iudicum.

SECVNDO, Quod Reipub. administratio eget auctoritate ministrorum. Belua enim est multorum capitum Respubl. Ideo decessurus in montem ad Dominum Moyses, magna sollicitudine præficit Aaronem, tanquam in rebus spiritualibus summum præfectum, & Hur, cui ciuilium quæstionum descidendarum auctoritatem concessit. Pereat enim necesse est omnis Respublica, si duo hæc, sine quibus constare nequit, fulcbra corruant, nempe religio, quæ in uero cultu rerum diuinarum consistit: videlicet uerbo Dei, legitimo sacramentorum usu, et pietate quæ secundum Deum eum est. Est enim Pontificum, Episcoporum, pastorum, & concionatorum, fidei quæstiones ex præscripto uerbi Dei, diffinitionibus Ecclesiæ, & conciliorum, gladio spiritus dissecare. Deut. 17. & iustitia, quæ bonis, sua tribuit præmia, malis autem supplicia. Quemadmodum eleganter 2. Pa-

ralip.cap.19. præscribit Iosaphat, ubi iubet non ex affectu, sed cum timore Domini, diligentia, & iustitia ius cuique administrare, idque sine cupidine munerum. Deut.1. 16. Exod.13. Leui.19. Ecclesiastici 20. Quod uerò Moses instinctu spiritus Aaronem præfert, nec tamen diuelli ab eo vult Hur, significare uoluit præter prærogatiuam ecclesiasticæ dignitatis, concordiam, unitatem, & pacem, quæ in omni Repub. esse debet inter vtrunque magistratum, qua sublata corruunt res magnæ, ac prorsus dilabuntur. Luc.11. Ea uerò incolumi, res paruæ crescunt, Salustius. Neque uerò hanc coniunctionem quis ita interpretetur, vt sacra prophanis misceat. Iniquum enim est senatum prophanum uelle subuertere iura ecclesiastica, & ecclesiasticum ciuilia, polyticaq́;.

TERTIO, Quomodo mons Synai, quem Apost. cõparat Agar in seruitutem filios generanti, gloria Domini illustratus, significare videtur (altius enim hic assurgere oportet, quando & Paulus hic allegoriam est secutus) eos qui per gratiam Christi nõ tantum essent futuri legis auditores, sed factores, & serui, sed filii, ablato uelamine: quo fit vt hic uideamus tantum per speculum in ænygmate. 1. Corinth. 13. accepta libertate spiritus adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater. Rom. 8. quandoque transferendi ad gloriam illam cœlestem per Christum paratam. Ioannis 14. quam nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec illam cor hominis comprehendit. Isaiæ 6. ubi erunt iuxta Christi promissionem.

nem. Matt.24. Daniel.12. Psal.31.1. Corint.15. æquales angelis Dei, fulgentes sicut stellæ in firmamento, & tecti, merito sanguinis Christi, id est, beati, quia tecta, id est, deleta erunt peccata, immortalesq́; sex diebus, quemadmodum hic Moses, donec die septimo, id est, iuxta Augustinum, ipso magni iudocij die, in resurrectione uocentur de medio caliginis, ut mortale hoc induat immortalitatem, & fiat sermo qui scriptus est: Ubi est mors victoria tua? &c. Interim enim sancti licet reuelata facie gloriã Domini contemplentur, ut habet fides catholica, desiderio tamen assumendi corporis tanguntur, atque euocari illud de medio caliginis et sepulchri petunt. Ideo Christus hunc diem Luc.21. vocat diem redemptionis iustorum. Leuate, inquit, capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra. Interea spes gloriæ Domini est Israelitis secundum spiritum hic videlicet adhuc pugnantibus & credentibus per fidem, nondum per speciem cernentibus instar ignis, dum scilicet per uarias tribulationes, angustias, pressuras, & afflictiones, quibus excoquit ad purum peccati scoriã instar ignis, qui pijs sit ad probationem, impijs uerò ad interitum.

FERIA

FERIA QVINTA

Primæ hebdomadæ Quadrag. Epist. Ezec. XVIII.

ET factus est sermo Domini ad me. dicẽs: Quid est quod ĩter uos para bolã uertitis in prouerbium istud in terra Israel? Dicentes: Patres co mederunt uuam acerbam, & dentes filiorum
Iere.31.c. obstupescunt. Viuo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultrà uobis parabola hæc in prouerbium in Israel. Ecce omnes animæ, meæ sunt: ut anima patris ita & anima filii, mea est: anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et uir si fuerit iustus, & fecerit iudicium & iustitiam, in montibus non comederit, & oculos suos non leuauerit ad idola domus Israel: & uxorẽ proximi sui non uiolauerit, & ad mulierem menstruatam non accesserit, & hominem non contristauerit: pignus debitori reddiderit, per
Isa.58.b. uim nihil rapuerit, panem suum esurienti de-
Mat.25.c. derit, & nudum operuerit uestimento, Ad usuram non commodauerit, & amplius non acceperit: ab iniquitate auerterit manum suam, & iudicium uerum fecerit inter uirum & uirũ: & in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, ut faciat ueritatem: hic iustus est, uita uiuet, ait Dominus Deus.

Con-

Concionatur hac epiſtola propheta, tria præcipue.

PRIMO, *De diuina æquitate, & iuſtitia, qua reddit iuſtis, præmia, & iniuſtis ſupplicia. Malè ergo de Deo loquuntur impij, dum ipſum temeritatis accuſant: quod quaſi impio peccante, innocentem affligeret: id enim prouerbiali figura apud Iudæos iactabatur, dum paſſim temerè dicerent: Patres noſtri comederunt uuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt. Quo prouerbio impudentiſſimè tribuebant Deo iniuſtitiam, temeritatem, & crudelitatem. Quod nimirum a culpa liberos cum reis damnaret, ſine iudicio mala bonis, & bona malis impartiretur, & iuſtos crudelibus ſupplicijs affici ſineret. Atque hanc ſuam de Deo opinionem confirmari putabant illa Exodi 34. ſententia: Ego dominus qui reddo peccata patrum in filios vſque in tertiam & quartam generationem: his ſcilicet, qui oderunt me, tranſeunte ſcilicet hæreditario malo ex radice in poſteros. Eſt enim potius magnæ clementiæ, longanimitatis, & patientiæ, quod nolit aliquem perire, patienter omnes ad pœnitentiam expectans. Eſtq; magnæ clementiæ ſignum pœnam differre peccati. Rom. 2. Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum. Sunt enim iudicia Dei uera, iuſta, & incomprehenſibilia. Rom. 11. Apo. 16. Malè ergo iniuſtitiæ, & temeritatis accuſantur*

tur ab impijs.

SECUNDO, Docet ex persona ipsius Dei, æquitatem diuini iudicij in eo consistere, quod sine merito neminem puniat. Siquidem Augustino teste, non antè Deus est ultor, quàm sit homo peccator. Quod verò omnes puniantur, hoc ideo fieri, quia omnes peccauerunt. Rom. 3. adeo vt si parcat, non nisi misericorditer faciat, & si puniat, non nisi iustè puniat. Ut scilicet indebitam gratiam agnoscat redemptus, & diuinam iustitiam sentiat relictus: habet enim potestatem figulus luti facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Rom. 9. Isa. 45. Hiere. 18. Ideo, inquit omnes animæ meæ sunt: creatione scilicet, non merito: quasi dicat, ergo anima & patris, & filij vuam acerbam comedens, punitur iustè. Hiere. 31. Nec potest iniustitiæ argui, qui omnia quæcunque facit in uero iudicio facit. Ideo anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Siquidem per peccatum mors, tribulatio, angustia, fames, afflictio, corruptio, & aduersitas, & si quid aliud, Apostolo teste. Rom. 5. 8. naturam humanam occuparunt: quæ licet iustis sint exercitia virtutum, sicut impijs peccatorum supplicia: omnia tamen ex primo peccato, in quo omnes peccauerunt, originem habent, vt docet August. lib. 1. de peccat. meritis ca. 4. 5. 6. 7. de Ciuit. lib. 13. ca. 18. in Enchir. ca. 60. de Tri. ca. 16. lib. 13. Et quanquam Christus nos à peccato liberarit passionis, effectu morte, sacramento regenerationis, et fide in ipsum reliquit tamen in natura corrupta omnes istas afflictiones,

siquidem

siquidem efficacia mortis Christi non omnia in præsenti vita operatur. Sustulit enim in fidelibus electis æternæ damnationis reatum relictis momentaneis istis afflictionibus, in gloriæ augmentum. Tuetur itaque æquitatem iudicij sui, dum ait: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Si ergo nemo mundus à sorde, nec stellæ, nec infans cuius est unius diei uita super terram. Merito anima quæ peccauerit, ipsa morietur, synechdochicῶs anima pro homine accepta. Nec filius portabit iniquitatem patris, aut econtra: si nempe æternas illas pœnas intelligas. Nam temporalib. supplicijs sæpe filij ob parentum peccata affliguntur. 2. Reg. 12. Puer affligitur ob peccatum Dauidis. Vide Aug. lib. 3. contra Iul. ca. 4. 5. Neque hoc contra diuini iudicij æquitatem, aut iustitiā esse putabimus, quanquam paruulos propriæ actionis nulla grauent peccata: habent enim quo cum nascuntur originale, vt est Psal. 50. Ro. 5. quod ita baptis. tollitur, vt tamen adhuc ex iustitia temporalibus pœnis sint obnoxij.

TERTIO, *Enumeratione multarum virtutum docet hominem consequi posse ueram iustitiam, vt scilicet possit in iusto Dei iudicio consistere, stola immortalitatis accepta, qua uiuet, & non morietur. Itaque ostendit hic propheta ex operatione uirtutum hominem non solum reputari, sed etiam haberi iustum: quia scilicet ipsi imputatur à patre æterno Christi iustitia, iuxta illud 1. Corin. 1. Qui factus est nobis iustitia, sanctificatio, redemptio, &c. Verum*

etiam ipsum esse reuera iustum ab inhærente, ex spiritu Christi ipsum inhabitante, & ad opera bona mouente, iustitia. Signantur enim fideles spiritu promissioni sancto, ut sint Dei inhabitantis templa. Itaque ex scripturis dicimus fideles sanctos, & iustos, propter inhabitantem eos spiritum sanctificationis & iustitiæ, qui quia sanctus et iustus est, sanctos & iustos facit. Est quidem ipsa natura ex uitio originis contracto immunda, Deo odibilis, & cœca cõcupiscentia rerum noxiarum, & ignorantia rerum agendarum, ut rectè dicatur arbor mala. Matth. 7. Nec posse iustificari in conspectu Dei. Psal. 142. Atqui quod impossibile erat naturæ, sicut de lege loquitur Apostolus. Ro. 8. Deus filiũ suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, ut iustitia legis impleretur in nobis, &c. Dicit itaque propheta hominem fieri iustum: si nempe fecerit in iudicium & iustitiam in terra. Vide Psal. 17. Prou. 14. in montibus non comederit, nec leuarit oculos suos ad idola domus Israel, Sap. 14. Isa. 44 Leuit. 16. Deut. 18. Hier. 16. uxorem proximi sui non uiolarit Exod. 20. Deu. 15. Heb. 13. Nu. 5. ad mulierem menstruatam non accesserit. Thess. 4. Sciat unusquisque vas suum possidere, &c. Adulter est, uxoris propriæ amator ardentior, hominem non contristauerit. Ephe. 4. Nolite contristare spiritum sanctum qui habitat in uobis, pignus debitori reddiderit. Deut. 22. 24. Exo. 2. per uim nihil rapuerit. 1. Cor. 5. 6. panem suum

esurienti

eſurienti dederit. Iſa. 58. Eccl. 17. 18. Matth. 6. 1. Corinth. 9. Daniel. 4. Luc. 11. nudum operuit ueſtimento. Mat. 23. Nudus eram & oper. &c. Iſa. 58. ad uſuram non commodauerit. Pſal. 17. Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram. Mat. 5. Mutuum date nihil inde ſperantes. Deut. 15. Exod. 22. Eccleſiaſtici. 29. ab iniquitate auerterit manum ſuam: quia odio eſt Deo impius & impietas. Sapien. 14. Eccl. 12. iudicium uerum fecerit inter uirum & uirum, Deuter. 16. 24. 27. Hæc quum eleganter interpretetur D. Hieron noluí prolixius proſequi. Illud autem obſeruaſſe profuerit contra eorum ſententiam, qui impudenter aſſerunt iuſtum in omni opere peccare, prophetam ex enumeratione omnium iſtarum uirtutum aliam longè concluſionem inferre, ſcilicet: Hæc qui fecerit, hic iuſtus eſt, uita uiuet, & non morietur: ſi tamen in ipſa uirtutum operatione perſeuerauerit: ſoli enim perſeuerantiæ debetur corona. Si nanque exciderit iuſtitia, iam ſecundum hunc eundem prophetam omnes iuſtitiæ eius obliuioni tradentur. Rectè ergo docet Eccleſia opera bona mereri uitam æternam: idque ex iuſtitia. ſicuti mala æternam damnationem. iuxta illud: Stipendium peccati mors, & licet addat: gratia autem Dei uita æterna, quia ſecundum Auguſtinum epiſtola. 106. ex gratia fit ut ipſa opera faciamus: tamen Apoſtolus ſibi non ſolum gratiam pollicetur à Domino reddendā, ſed etiam mercedem pro curſu fœliciter exantlato. 2. ad Timot. 4.

FERIA

FERIA SEXTA HEBdomadæ primæ Quadrag. Epist. Ezech. XVIII.

Deu.14.c 4.Re.4.b. 2.Paral. 25.b.

ANima quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: iustitia iusti super eum erit, & impietas impii erit super eum. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam: vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua quam operatus est, viuet. Nunquid uoluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à uiis suis, & uiuat? Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione qua præuaricatus est, & in peccato suo quod peccauit, in ipsis morietur. Et dixistis: Non est æqua via Domini. Audite ergo domus Israel, Nunquid via mea non est æqua, & non magis viæ vestræ prauæ sunt? Cùm enim auerterit se iustus à iusti-

Psal.29.a Infr.33.c.

Infr.33.d

à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitia quam operatus est morietur. Et cùm auerterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam: ipse animam suam uiuificabit. Considerans enim, & auertens se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est, uita uiuet & non morietur.

Facit tria hac epistola Propheta.

PRIMO, *Ostendit Dei singularem iustitiam, qua pollicetur filiũ nõ portaturũ iniquitatẽ patris, nec patrẽ iniquitatem filij, misericordiã, quæ pollicetur impio, si pœnitentiam egerit ab omnibus peccatis suis, & custodierit uniuersa præcepta: peccatorum remissionem. Nam inquit propheta, Iustitia erit super iustum, & impietas super impium. Ergo sicuti peccatis debetur mors, ita iustitiæ uita. Rom. 6. 2. ad Timoth. 4. Nec propterea gratiam deprimimus, quando omnis nostra iustitia ex præuenientis Dei gratia profluit. Nam ut uera fides habet, sine Christo nihil possumus facere. Ioan. 15. non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis. 2. Corinth. 3. non possumus uenire ad patrem. Ioan. 6. non denique nisi ad peccandum sine ipso ualemus, Augu. lib. 3. cap. 8. contra duas epist. Pelagia. Illo uerò gratia sua nos præueniente, & per spiritum suum excitante nos, & præparante opera bona, ut in ip-*

sis ambulemus, ad Ephes. 1. fit vt uitam æternam mereantur iusti, tantum abest vt in quouis opere bono peccent. Quia uerò nulla potest esse hominis iustitia ubi dominatur iniquitas, hortatur impium ad ueram cordis conuersionem, & pœnitentiam. quam non cõstituit solum in humilitate confessionis, sed in renouatione hominis interiores, quum peccatori ex diuina inspiratione correcto, & malum displicet quod amauit, & bonum placet quod odiuit. Atque ideo iuxta Greg. malè illi pœnitent, qui se de nequitia criminis accusant, & prauitatem non corrigunt uoluntatis: vtrunque enim uera iustitia requirit, hoc est pœnitentiam ab omnibus peccatis, & obedientiam uniuersæ legis. Siquidem nefas est dimidiam sperare salutem, aut ita iustitiam colere, vt vtroque claudices pede. Idcirco uniuersa præcepta impleri iubet: siquidem in uno qui offenderit, factus est omnium reus: quia, iuxta August. reus fit omnium qui aliquid contra charitatem agit, in qua tota lex pendet & prophetæ. August. epist. 29. sic etiam Innocentius serm. 1. Dominicæ tertiæ quadragesimæ.

SECVNDO, Hortatur ad uitæ melioris propositũ ex consideratione diuinæ & bonitatis, qua non solũ peccatores recipit, uerum etiam vt resipiscant efficit concessa misericorditer displicentia peccati, & desiderio rerum diuinarum. Sic enim resipiscentibus ita miseretur, vt iuxta prophetam omnium præcedentium iniquitatum non recordetur: nimirum quo ad

ad pœnam æterni exilij, & exhæredationis, culpa enim quæ ex natura sua pœnam meretur æternam, ex misericordia redemptoris cuius sanguis emundat conscientias nostras ab operibus mortuis, accedente legitimo sacramentorum usu, cum pœna æterna deletur, atque (ut docent scripturæ. 2. Reg. 12. 16.) immutatur in momentaneas, & temporales sic olim sanctissimis illis quibus gratis condonabat peccata: nempe Mosi, Aaroni, Mariæ sorori Moysis, & Dauidi qui grauibus flagitijs iram diuinam fuerant meriti, post peccata remissa grauissimas pœnas immisit. Psal. 98. Sic enim nō recordari dicitur, quia nō statuit amplius æterna pœna punire, nec imputare. Psal. 31. & 88. Neq; uerò id cū ipsius aūt iustitia aut misericordia pugnat, quod remissis peccatis, uisitet ī uirga ini[quit]ates, & in uerberibus peccata, ita tamē ut mi[seri]cordiā suā nō auferat, omnis enim huiusmodi correptio, licet amara, pœnitentiā operatur in salutē stabilem. Heb. 12. Deīde ut ostendat quid uel commodi, uel utilitatis huiusmodi pariat pœnitentia, subiungit propheta: in iustitia sua quam operatus est uiuet. Quomodo ergo dicit Apostolus, ut inueniar in illo non habens meam iustitiam? Philip. 3. Sed non pugnat cum propheta Paulus. Siquidem P. de illa loquitur quam statuebant ij qui sine Christo saluari uolebāt ex solis scilicet lib. arbit. uiribus & legis cognitione acquisitam: propheta uerò de illa quæ ex fide est & gratia spiritus parta, ergo Christiani hominis iustitia est uitæ æter

næ meritoria, nec non ex consideratione diuinæ clementiæ dum testatur Deum nolle mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & uiuat: quæ prorsus euangelica doctrina vt desperationem, & diffidentiam quam facilè solet peccator ex consideratione iniquitatum concipere, tollit: ita tremori nostro & spem, & fiduciam suggerit, vt scilicet cum fiducia accedamus ad thronum gratiæ, vt misericordiã inuenire possimus. Heb. 4. Sed ita demum certam experiemur hanc spem, si permaneamus in fide fundati et stabiles. ad Colos. 1. Si uerò quæratur cur hæc Dei uoluntas, qua uult omnes homines saluos fieri, & potestas qua potest de potentia absoluta omnes seruare, non semper impleatur, quum indies multi peccatores, & quotquot prædestinati non sunt relinquãtur, hic opus est distinctione illa communi, qua uoluntas Dei distinguitur in uoluntatem signi, & beneplaciti, quarũ prima non semper impletur propter libertatem uoluntatis humanæ. Isa. 66. Quæ nolui elegistis. Act. 7. Vos semper resistitis &c. quæ solum uocatur uoluntas per metonymiam, quæ media proponit, quibus illa à nobis possit impleri, secunda uerò semper impletur, quia eadem cum ipsius essentia creditur, cui nullus resistere potest: quia omnia quæcunque uoluit fecit. Psal. 113.

TERTIO, Ne qui semel sunt iustificati temeraria persuasione securitatem sibi pollicerentur, ostendit iustũ quando à iustitia sese auerterit, & iniquitatem fecerit secundũ omnes abominationes, quod humanæ uolun-

uoluntatis uolubilitate facilè accidit, si gratia Dei desit qua tentationi resistitur, non uicturum, quia per antithesin uirtutem opponit uitijs, & uitam morti ergo si uirtus uitam æternam merebatur, & impius resipiscens gratiam inuenit, omnino uitium mortem tanquam stipendium accipiet, & iustus desipiens iram in se Dei prouocabit, vt omnes iustitiæ eius quas fecit non recordentur, & in præuaricatione quà præuaricatus est in ipsa moriatur. Nõ quod ulla cadere in Deum possit obliuio, cui tam præterita quàm futura omnia semper sunt præsentia, sed quia non statuit illis coronam reddere, subsequens enim impietas, illarum sustulit dignitatem & meritum: ac iuxta Eccl. 11. ca. Si ad austrum aut aquilonem ceciderit lignum, ibi erit. Vltimam nanque in homine uoluntatem Deus dignatur, aut æterna gloria, aut æterno supplicio. Etsi enim præter æquitatem esse uideatur quod momentanea impietas æterno puniatur supplicio, tamen si rem recta ratione metiamur, vt eleganter habet August. epist. 49. quæst. 4. quia æternam uoluit impius habere peccati perfruitionem, æternam uindictæ inuenit seueritatem. Concludit itaque propheta contra impios qui Dei arguebant iudicia, & iustitiam, quod ea parũ essent æqua, quia eos qui iustè uixissent, si semel à iustitia exciderent, statim æterno damnaret supplicio. Docens iustissimè eos æterna morte puniri, qui in obduratione & sine pœnitentia peccatorum decederent, sicut & eos qui in iustitia perseuerarent, pro

merito iustitiæ reddit immarcessibilem gloriæ coronam.

SABBATO ANTE DOMINICAM secundam, & Dominica secunda Quadragesimæ. Epist. 1. ad Thessa. IIII.

DE cætero ergo fratres, rogamus uos, & obsecramus in Domino IESV: ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat uos ambulare & placere Deo, sic & ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim quæ præ-
Rom.12.a
Ephe.5.d
cepta dederim uobis per Dominum IESVM. Hæc est enim uoluntas Dei, sanctificatio uestra: ut abstineatis uos à fornicatione, ut sciat unusquisque uestrum uas suum posidere in sanctificatione & honore: non in pasione desiderii, sicut & gentes quæ ignorant Deum. & ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negocio fratrem suum: quoniam uindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus. Non enim uocauit nos Deus in immunditiam: sed in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit, non
Ioã. 13.d. & 15.b. 1.Ioã.2.b. & 4.d.
hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum suum sanctum in nobis. De charitate autem fraternitatis, non necesse habemus

scribere uobis. ipsi enim uos à Deo didicistis, ut diligatis inuicem. Etenim illud facitis in omnes fratres in uniuersa Macedonia. Rogamus autem vos fratres ut abundetis magis, & operam detis, ut quieti sitis, & ut uestrum negotium agatis, & operemini manibus uestris, sicut præcepimus uobis. & ut honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.

Agit Apostolus in hac epistola tria.

PRIMO, *Hortatur fideles ut memores vocationis suæ sanctæ in qua vocati sunt à Deo, secundum propositum gratiæ suæ dignè ambulent, ut Deo placeant. Quæ quum pro ratione officij sui imperare posset, rogare maluit. Philip. 1. ne cum austeritate imperare velle uideretur. Ezech. 34. sed ut mansuetudinis formam superioribus daret, Gal. 6. Hortatur autem nō ad solam fidē, sed ut opera christiano homine digna perficiant, ut scilicet Apostoli præcepta, & statuta superare contendant vitæ puritate, non contenti tantū parere præceptis, verum etiam ultra quam præceperit agant. Sic enim fidei suæ energiam declarabunt, si quemadmodum terra solet sua semina cum fœnore reddere, ita contendant morum puritate, innocentia et sanctimonia succincti (ut loquitur Petrus cap. 1.) lumbos mentis, & sobrij perfecte sperare in eam quæ offertur, gratiam & per bona opera certam suam uo*

rationem efficere. Tunc enim verè Deo placebunt, dum non amplius configurati prioribus ignorantiæ desiderijs exuunt veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris, & induunt nouum qui secundum Deum creatus est in iustitia & sancti tate ueritatis. Hoc est, ut habet Paulus Rom. 13. dū de somno surgunt peccati, dum abijciunt opera tenebrarum, dum induunt arma lucis ut in die honestè ambulent, non in cubilibus, impudicitijs, comessationibus, ebrietatibus, contentione, æmulationeq́;. sed induunt dominum nostrum Iesum Christum, nec curã carnis faciunt in desiderijs. Huc enim spectabat P. dum ait: Scitis quæ præcepta dederim vobis per dominum Iesum. Ergo quum P. velit fideles plura agere quam præceperit, nemo nisi impius damnare opera supererogationis potest, qualia sunt à Christo Matth. 19. vel de paupertate, uel de continẽtia consulta. Nam ad ea quæ sunt præcepti ex iure religionis obligamur, siquidem non hominum, sed Dei sunt mandata, quanquam per homines, Dei tamen ministros lata.

SECVNDO, Non contentus communibus præceptis religionis eos obstrinxisse, moralia quædam secundæ tabulæ tanquam ex Dei voluntate repetit: quasi dicat, voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta est sanctificatio vestra. Intelligit autem sanctificationem temperantiam, quæ est ab actibus venereis, quo malo uix vllum est aut grauius aut fœdius, dum quis membra Christi tollens facit membrum meretricis:

tricis: qui enim adhæret meretrici, unum corpus efficitur. 1. Corinth. 6. Corpus enim nostrum non fornicationi, sed domino est consecrandum. Hebr. 12. 13. Adeò enim Deo est inuisum hoc malum ut & præsentibus, & æternis supplicijs puniat. Num. 5. Hebr. 13. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Nec regnũ Dei possidebunt: ideo & excõmunicatione punit Apost. 1. ad Corint. 5. Imò ne nominari quidem vult inter fideles. Ephes. 5. Vide Prou. 5. 7. Neque verò sacræ literæ tãtũ, sed barbarè quoque nationes, in adulteria, scortationes, et fornicationes grauissime per animaduerterunt. Nam adulteros Græci verberabant, tondebant, naribus priuabant, & occidebant. Arabes capite puniebant. Aegyptij virgis cedebant. Tartari publica lege statim occidebant. Vt facilè intelligas ipsam quantumlibet corruptam naturam ab his tamen vitijs abhorruisse, quæ pròh dolor ludum nunc arbitratur potior Christianorum pars. Neque verò ad perfectionem vitæ christianæ satis arbitratur Apostolus ab his abstinuisse criminibus. Sed vult quenque fidelem & coniugatum uxorem, quam uasis nomine intelligit, possidere in sanctificatione, & honore, hoc est ut habet August. lib. 1. de nuptijs & concup. cap. 8. ut non solum alienam non appetat, sed ne propriam quidem in concupiscentiæ carnalis morbo possideat. Sed ut maritalẽ congressum cui morbida libido est annexa, adhibeat tanquam necessarium soboli in gloriam Dei procreandæ, non voluptatis causa, hac intentione qui suam

coniugem

coniugem possidet, habet non in passione desiderij sicut gentes. Illo quippe concupiscentiæ malo utitur nõ vincitur, quando illam inordinatis motibus æstuantem frenat & cohibet. Nec nisi propagationi consulens adhibet, sicut sancti patres Abrahã, Isaac, Iacob, & David, Qui ut habet idem August. lib. 3. de doct. chri. ca. 12. sufficiendæ prolis causa plurium uxorum habebant, inculpabilem consuetudinem.

TERTIO, Quia magnos in omni republica motus excitare solet auaritia. Ideo grauissimè eam prohibet, dicens: ne quis supergrediatur, aut circumueniat fratrem in negotijs contractuum, mercatus, aut assecurationum alijsq; congressibus reipub. necessarijs, dum fraude, imposturis, dolo malo, ex aliorum incommodis & damno, sua quærit commoda. Quando videlicet mendax in stateris. Psal. 61. Prouerb. 11. 16. 20. pondus & pondus est in domibus ipsorum. Deuter. 25. Ose. 12. Ezech. 45. & fasciculis iniquarum cautionum miseros opprimit. Isa. 5. 58. 10. Huiusmodi perstringit Isa. cap. 10. dum ait: Væ qui conditis leges iniquas, & scribentes scribitis iniustitiã. idque ut opprimatis in iudicio pauperem, ut uim faciatis causæ humilium, ut sint uiduæ præda uestra, et ut pupillos diriperetis. His grauissimè comminatur propheta. Et Paulus, dum ait: Quoniam uindex est dominus de his omnibus. Quum enim ex auaritia malorum omnium radice hæc proficiscantur, quam idolorum seruitutem uocat. Ephes. 5. fieri nequit ut regnum Dei possideat quisquis ex iniquo ditescere studet.

det. Siquidem auari, rapaces, & fures, regnũ Dei non possidebunt. I. ad Corinth. 6. Nunquam enim, vt habet Augustinus in epistola ad Macedo. Remittitur peccatum nisi restituatur ablatum, non solum furto, & rapina: uerum etiam fraude, dolo, impostu- ris, & periurijs. Hæc enim tam sunt restitutioni obnoxia quàm illa. Atque huc respexisse uidetur Apostolus dum tanta seueritate Dei iudicium prponit ijs qui malis actibus quæstum facere student. Quum tamen huiusmodi impostores, usurarij non sint habituri partem in regno Christi & Dei.

FERIA SECVNDA HEBdomadæ secundæ Quadrag. Epist. Daniel. IX.

ET nũc Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Aegypti in manu forti, & fecisti tibi nomen secundum diem hanc, peccauimus, iniquitatem fecimus Domine in omnem iustitiam tuam. Auertatur obsecro ira tua, & furor tuus à ciuitate tua Hierusalem, & à monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, & iniquitates patrum nostrorũ, Ierusalẽ & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. Nunc ergo exaudi Deus noster orationem serui tui, & preces eius: & ostende faciem tuam super san- Exo. 15. c.

ctuarium tuum quod desertum est propter te metipsum. Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram, & ciuitatem super quam inuocatum est nomen tuum. Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine: attende & fac, ne moreris propter temetipsum Deus meus: quia nomen tuum inuocatum est super ciuitatem & super populum tuum.

Oratio hæc Danielis nostro seculo pernecessaria, agit potissimum tria.

PRIMO, *Magna animi deiectione tribuit Deo gloriam, honorem, & potentiam, quòd populum suum eduxerit olim de terra Aegypti, id est, de domo seruitutis, & fornace ferrea. Idq́ in manu forti, & brachio extento, dum reges potentissimos, omnesq́ aduersarias potestates ita deleuerit, ut victorem vbique populum suum faceret. Est autem obseruanda Prophetæ in hac oratione plusquam Rhetorica, vtpote à Spiritu sancto profecta, venustas, & elegantia. Siquidem non antè causam proponit, quàm eius quẽ exorare conatur beneuolentiam captarit. Solet enim irati animus ad deteriora prouocari, quando qui displicet, ad intercedendum mittitur. Itaque, quod commune est omnibus prophetis, tribuit Deo iustitiæ, potentiæ,*

tentiæ, & æquitatis laudem: nam omnia quæcunque facit, in vero iudicio facit, & quia omnes peccauerunt, iuſtè omnes punit, vt agnoſcāt hi quibus parcit, ipſum non niſi miſericorditer parcere. Proficiſcitur autem hæc confeſſio ex uera cordis contritione, cōſideratione iræ Dei, & agnitione peccati, quæ excitantur in nobis gratia Dei, lumine fidei, & ſpe. Sic Dauid Pſal. 50. mox vt peccatum agnoſcit, tribuit Deo iuſtitiæ laudem. Tibi ſoli, inquit, peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis. Hos autem fructus parit in nobis afflictio, miſeria, egeſtas, & tribulatio. Daniel nanque in captiuitate conſtitutus, Deo hanc iuſtitiæ laudem tribuit. Hominibus vero tribuit confuſionem, ignominiam, & miſeriam, dum ex vera confeſſione, & agnitione iræ Dei, ſe ſuosq́; omnes accuſat, ac diuinam iuſtitiam commendans, ait: peccauimus, iniquitatem fecimus Domine in omnem iuſtitiam tuam, quare iuſto tuo iudicio populus tuus ductus eſt in captiuitatem, templum ſanctuarij tui deſertum eſt, & ciuitas Hieruſalem, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum, deſerta eſt. Vtinam hanc confeſſionem ex animo omnes pii hodie, quos tangit miſera Eccleſiæ facies, ſicut verbis paſſim, ita animo ſyncero imitentur. Paſſim quidem omnes miſeram religionis faciem dolent, ſentiunt ſe iuſtè puniri, & Dei iuſtitiam agnoſcunt, atqui radicem mali nemo in ſeſe agnoſcere uult, tantum abeſt vt eradicare conetur, &, vt eſt Hiere. 8. Nemo eſt qui agat pœnitentiam de peccato ſuo, dicens: quid feci?

ci? Quo fit, ut quicquid est Auaritiæ, Luxuriæ, Superbiæ, Gulæ, & Inuidiæ, ac si quid est talium flagitiorum in tanta rerum omnium, ac collabentis religionis calamitate, succrescat potius quàm minuatur, quum nemo sit qui se murum opponat pro domo Dei.

SECVNDO, Omnibus Episcopis, Pastoribus, Regibus, & Principibus, quorum est gladio spiritus uerbi Dei, ieiunio, cilicio, & oratione occurrere iræ Dei, ac vindicem eius iustitiam deprecari, ut Dauid 2. Reg. 24. exemplum præbet, ut scilicet iuxta prophetam præoccupent faciem Dei in confessione. Sed ita ne in sola peccati confessione subsistant: ea enim mox desperationem pareret. Sed spe misericordiæ diuinæ exemplo Danielis erigendus est animus, petenda est remissio, & Pœnitentia subeunda. Sic olim Deus Dauidi. 2. Reg. 12. Achab. 3. Re. 21. Niniuitis. Ionæ. 3. & Magdalenæ. Luc. 7. peccati veniam gratis concessit. Est enim remissio peccatorum gratuita Ro. 5. Iustificati gratis, &c. Siquidem ante eam nulla merita quibus ea redderetur, in peccatore reperiuntur: ac ne orationis meritum se extolleret iuxta Augustinum, ipsa quoque datur, sed fide præuia, quæ non oranti datur. Ideo propheta, ut Deo suus constaret honos, & gloria, post agnitionem peccati supplex orat, ut exaudiatur, non orationis meritum prætexens, sed meritum Christi: id enim intelligit, dum ait: exaudi Deus noster orationem serui tui, et preces eius: ostende faciem tuam super sanctuariũ quod desertũ est. propter temetipsum Deus meus inclina

aurem

aurem tuam. Id est, respice non ad preces meas, sed in faciem Christi tui, cui negare nihil potes. Si quæras ergo an nullum sit orationis meritum? respondeo cum August. epist. 105. *Orationis meritum hic sese extollere non posse, imò ne ad vincendas quidem temporalium rerum cupiditates, sed fontem omnium bonorum esse auxilium domini. Ac tum demum orationem efficacẽ esse, quando suæ innititur basi, id est, merito Christi. Ideo ipse Christus nos iubet orare patrem in nomine suo, Ioannis* 16. *Matth.* 21. *mittit spiritum sanctum in cordibus fidelium, qui quid & quomodo oportet orare docet Rom.* 8. *& orantes, ut exaudiri se credant, hortatur. Quicquid petieritis, credite: & fiet uobis. Ioan.* 14.

TERTIO, *Docet publicas calamitates, quales sunt bella, excidia regnorum, depopulationes urbium, pestem, famem, hæreses, schismataq́ʒ, aliaq́ʒ id genus uitæ incommoda iustissimo Dei iudicio non tã ob exercitia virtutum, quàm merito peccatorum infligi: quæ si ut oportet, de manu domini recipiamus, nec patris disciplinam reijciamus, mox quicquid est vitiorum ex animis nostris auferetur. Et quanquam iusti videamur, tamen quasi communi malorum sensu perculsi humili confessione oportet ut iram Dei agnoscamus, petamus liberationem, & imploremus misericordiam. sed per Christum quẽ proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Rom.* 3. *cui & omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem accipere per nomen eius. Act.* 3. *Sic si petamus,*

mus, fiet vt aperiat oculos suos, & videat: inclinet aurem suam, & audiat desolationẽ, qua miserè Christiana religio decerpitur: idq; ab hostibus, non tantum externis, vt sunt hæretici, schismatici, Iudæi, & gentiles, quorum perfidia latissimè nunc ubique dominatur: uerumetiam domesticis, non minus quàm illi perniciosis: quales sunt hypocritæ, symoniaci, adulteri, fornicatores, ebriosi, & auari, propter quos nomen Domini miserè pròh dolor blasphematur, vt impiorum iudicio nulla penè uideatur religio magis deplorata, vt merito in sola Dei misericordia spem omnem collocare debeamus, ac cum Propheta dicere: Exaudi Deus meus, placare, attende, & fac secundum misericordiam tuam propter temetipsum Deus meus.

FERIA TERTIA HEBDOmadæ secundæ Quadrag. Epist. 3. Reg. XVII.

Luc. 4. d.

FActus est sermo Domini ad eum, dicens: Surge, & uade in Sareptha Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri uiduæ ut pascat te. Surrexit, & abiit in Sareptha. Cumq; uenisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier uidua colligens ligna, & uocauit eam, dixitq; ei: Da mihi paululum aquæ in uase, ut bibam. Cumque illa pergeret ut afferret, clamauit

mauit post tergum eius dicēs: Affer mihi obse
cro, & buccellā panis in manu tua. Quæ respō
dit: Viuit Dominus Deus tuus, quia non ha- Eccl.48.a
beo panem, nisi quantum pupillus capere po
test farinæ in hydria, & paululum olei in lecy-
tho: en colligo duo ligna, ut ingrediar, & fa-
ciam illud mihi & filio meo ut comedamus,
& moriamur. Ad quam Elias ait: Noli timere,
sed uade, & fac sicut dixisti: ueruntamen mi-
hi primùm fac de ipsa farinula subcineritium
panem paruulum: & affer ad me: tibi autem
& filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Do
minus Deus Israel, hydria farinæ non defi-
ciet, nec lecythus olei minuetur usq; ad diem
in qua Dominus daturus est pluuiam super fa
ciem terræ, Quæ abiit, & fecit iuxta uerbum
Eliæ: & comedit ipse, & illa, & domus eius:
& ex illa die hydria farinæ non defecit, & le-
cythus olei non est imminutus, iuxta uer-
bum Domini quod loquutus fuerat in ma-
nu Eliæ.

Complectitur huius epistolæ historia tria.

PRIMO, *Singularem Dei prouidentiam, quam, ut uoluit Aristoteles, non solum erga uniuersalia, sed etiam erga omnia gerit particularia, maximè tamen erga uerbi sui prophetas, ministros, & prædicatores, quos quum soleat mundus odisse & per-*

 sequi,

sequi, non enim fert sua mala corrigi. 1. Ioan. 2. hos in suam clientelam Christus suscipit, vt olim sanctissimum Heliam tempore famis. 3. Reg. 17. mane, & uesperi pauerat, ad torrentem Carith, ministerio corrui deferentis carnes & panem. Ipse enim est qui dat escam omni carni. Psalm. 134. & 103. Maximè tamen eis qui omnem sollicitudinem suam in ipsum proyciunt, scientes eum ipsorum suscepisse curam. 1. Petri. 5. Qui licet nunquam suorum curam deponat, patitur tamen quandoq; suos persecutionibus, inedia, paupertate, fame, & angustia, alysq; præsentis uitæ incommodis, sic affligi, ut ipsos quandoque uitæ tædeat, vt quasi desperatione fracti exclament; pereat dies in qua natus sum. Iob. 3. obsecro domine tolle animam meam. 3. Reg. 19. tædet animam meam uitæ meæ. Iob 10. vt quid Domine recessisti longè, despicis in opportunitatibus, in tribulatione. Psal. 9. atqui iuxta Paulum 2. Corinth. 4. non angustiantur, licet operiantur, id est, anxij reddantur: non destituuntur: licet persecutionem patiantur: non derelinquuntur, licet deyciantur, non pereunt, semper mortificationem Iesu Christi in corpore suo circunferentes. Ideo sanctissimum hunc legis suæ zelatorem licet extrema pati sinat, tamen in exemplum omnium eorum qui fortiter gladio spiritus baalitas, idololatras, mennonistas, Zuuynglianos, caluinistas, & lutheranos, aliasq; omnes fidei pestes opprimunt, etsi quandoq; succumbere uideantur, ne facilè animos deyciant,

sed

sed ut in ipso spem omnem in afflictione collocarent, exiccato iam torrente ablegauit in Sareptam Sydoniorum, ad mulierculam marito destitutam, & pauperem, nam extra portam ligna colligebat. Quo significauit ueros uerbi Dei ministros tempore persecutionis, non aliò quàm ad ecclesiam, quæ destituta Christo uidetur, & paupercula, confugere debere, quæ merito crucis omnibus ubique aduersariis restitit.

SECVNDO, *Plusquam stupendam obedientiam prophetæ in summa omnium necessitate constituti, & mulieris Sydoniæ laborantis inopia rei familiaris, qua ex fide, omni tergiuersatione quam humana ratio suppeditare potuisset, seposita, ille obediuit uerbo Dei. statim enim surrexit & abiit in Sareptam Sydoniorum, hæc uocanti & iubenti prophetæ mox obtemperauit, ut in utroque sexu agnoscas latentem spiritus energiam, quæ tempore noui testamenti reuelata est, fuisse significatam. Atq; intelligas, ut indicare uidetur Christus Lucæ.4. in hac muliere ex gentibus collectam ecclesiam, quæ uerbum Dei repellentibus illud Iudæis, Acto.14. non externo tantum suscepit auditu, sed interiori. Est enim certissima ueræ Ecclesiæ, quam Paulus sponsam Christi, domum Dei, & columnam & firmamentum ueritatis appellat, nota, non solus scripturæ contextus, sed uera obedientia, qua captiuatur intellectus in obsequium fidei. In qua nec ex iudicio rationis humanæ interpretatio fit scripturarum, ut*

fieri proh dolor uidemus in synagogis Sathanæ; & conuenticulis hæreticorum: ubi tot sunt scripturarum interpretationes, & sententiæ, quot capita sunt professorum, ac plusquam ex diametro pugnantes. Atqui uera Christi Ecclesia, quam unam, sanctam catholicam, & apostolicam confitemur, audito ueri Heliæ uerbo, excipit illud non ut uerbum hominum, sed sicut uerè est uerbum Dei, cuius si sublimitatem in omnibus non intelligit, non superbè ad rationis humanæ limam exigit, sed humiliter se excusat, ut hæc Sareptana, quæ paupertatem suã prætexit, quod panem nõ habeat, sed paululum tantum farinæ, & pugillum olei, id est, quod solis naturæ donis panem uerbi Dei, quod procedit de ore Dei, quo uiuimus. Matth. 4. comparare nequeat, nec uerum illius assequi intellectum.

TERTIO, *Fructum fidei, qua mulier destituta marito, facultatibus orba, egestate astricta, & paruulorum turba oppressa, his nihil impedita mox credidit diuinæ promissioni, & obedientiæ, qua neglecta propria salute, facit quæ præcepit Elias, suscipit prophetas, non de se, non de paruulis sollicita occidit in se hospitalitatis intuitu naturæ officia, ut non immerito hanc cum Abraham, Isaac, Iacob, aliisq; sanctissimis conferre aliqua ex parte possis. Neque irrita fuit hæc tanta uirtus, haud dubiè ex spiritu Dei profecta: mox enim quasi diuina mercede remuneratur. Nam ubi nec ros, nec pluuia, nec ueris aura, nec colonus, fit uiduæ manus perenne*

torcular, & omnia in omnibus sermo propheta affatim uidua ministrabat, siquidem hydria farina nō defecit, nec lecythus olei est imminutus. Ita enim potens est Deus omnem gratiam abundare facere in nobis, ultra quam petimus aut intelligimus. 2. Corinth. 9. Atque hæc est peculiaris ecclesiæ, à sponso suo Christo, qui eam mundauit lauacro aquæ in uerbo uitæ, gratia, ut ijs quæ saluti fidelium sunt necessaria non destituatur. Parata enim habet farinæ sata euangelica, quibus famelici & esurientes replentur bonis qui nempe esuriunt, & sitiunt iustitiam, nec saturi sunt persuasione propriæ iustitiæ, & unctionem spiritus, qua potest consolari eos qui in omni pressura sunt. Nempe uerbo ueritatis, sacramentorum legitima administratione, & charitate, quæ diffunditur per spiritum sanctum in cordibus fidelium. Hæc enim, iuxta Christi promissionem Matth. 16. in uera Christi Ecclesia ut nunquam defuerunt, ita nec deficient: perstitit enim firma hactenus istis quasi spiritualibus uitæ necessarijs instructa toto orbe diffusa Ecclesia, quæ indies qui ingenui sunt eius filij, seruantes unitatem spiritus in uinculo pacis, in hac uita pascuntur, & sustentātur, ut possint resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare, educati scilicet super aquam refectionis in loco pascuæ, donec uideant Deum deorum in Syon.

FERIA QVRTA HEBdomadæ secundæ Quadrag. Epist. Hester XIII.

MArdochæus autem deprecatus est Dominum memor omnium operum eius, & dixit: Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita: & non est qui possit tuæ resistere uoluntati, si decreueris saluare Israel. Tu fecisti cœlum & terram, & quicquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ. Cuncta nosti, & scis quia non pro superbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorem Aman superbissimum. (Libenter enim pro salute Israel etiam uestigia pedum eius deosculari paratus essem:) sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quēquam adorarem excepto Deo meo. Et nunc Domine rex Deus Abraham miserere populi tui, quia uolunt nos inimici nostri perdere, & hæreditatem tuam delere. Ne despicias partem tuam quam redemisti tibi de Aegypto. Exaudi deprecationem meam, & propitius esto sorti & funiculo tuo, conuerte luctum nostrum in gaudium, & uiuentes laudemus nomen

tuum

tuum Domine, & ne claudas ora te canentium.

Heſter in oratione quam ex animi anguſtia domino offert, agit tria.

PRIMO, *Ut gratiam Dei atque eius in ſe miſericordiam obtineat, humili confeſſione, Deo tribuit omnipotentiam, imperij dominatum, & gloriam. quibus epithetis, tanquam ſoli Deo proprijs, ſolent, veteres ſi quando in rerum deſperatione eſſent conſtituti, ipſum ex fide inuocare, qua crediderunt eſſe eum ſolum qui & poſſet & uellet ſuos de tentatione eripere, qua fiducia erecti fortiter quicquid eſſet aduerſitatum, miſeriarum, perſecutionem, & afflictionum ferebant, ſcientes non niſi iuſto Dei iudicio & ſuorum peccatorum merito accidiſſe, non caſu aut fortuito, ut ſolent impij, Dei prouidentiam ignorantes, dicere in corde ſuo, non eſt Deus. Pſal. 13. Quales nunc multi ſunt epicurei, ſardanapali, alcinoi: & canes impudentiſſimi. quos non magis præſentium temporum agit calamitas, quæ ſi prorſus omni ſenſu eſſent deſtituti: ſic ſuis immerſi delitijs & voluptatibus, ut quaſi ſtoicam quandam indolentiam induiſſe uideantur. At longè profectò aliter, noſtra Heſter, quæ licet in ſummis agere delitijs uideretur, nempe potentiſſimi regis Aſſueri coniunx chariſſima, in palatio omnium rerum copiam habens, tota delitijs pigmentorum affluens,*

& Regio diademate ornata, orbis regina, angitur tamen populi sui afflictione, quem intellexit impium Aman in capitis periculum adduxisse, & ex charitate, quæ proprijs communia anteponit, commune populi periculum in se suscipit, & quasi sola damnationis sententiæ subiaceret, dolet. Ieiunat, orat, cinere & sacco uestitur, & pro se orare iubet. Intelligebat enim hac methodo Deum peccati merito offensum, & supplicia minitantem, ad misericordiam, flecti, tensum arcum remitti, gladium iræ Dei uibratum occultari. Itaq; istis pœnitentiæ armis sese irato Deo opponit, dicens: Domine Deus in ditione tua cuncta sunt posita; non est qui tuæ possit resistere uoluntati, tu fecisti cœlum et terram, & quicquid cœli ambitu continetur, & Dominus uniuersorum tu es. Quæ plena fiduciæ oratio soli Deo omnem tribuit gloriam & honorem, in illius sinum se totam conijcit, vt ostendat ex ipso ea omnia quæ humanæ saluti expediunt dependere.

SECVNDO, Captata beneuolentia, artificio planè rhetorico statum causæ, humili oratione proponit, insinuans non populum tantum suum, sed se quoque periculo inuolutam esse. Itaque non prætexit aut sua, aut populi iam condemnati merita, uirtutes, iustitiam, & sanctimoniam, hæc enim quia exigua erant in populo, ideo periculi magnitudine conseruata, exposita necessitate clamat, dicens: Domine Deus rex regum, miserere populo tuo, uolũt nos inimici nostri perdere, & hæreditatem tuam delere.

lere. Sic solent fideles ad Dominum quum tribularentur clamare: Psal. 119. psal. 30. In te Domine speraui, non confundar in æternum. In iustitia tua libera me, & eripe me. & Daniel. 9. Non in iustificationibus nostris prosternimus preces, &c. Est autem tota patetica oratio & emphatica, quasi dicat, ò Deus, tu qui solus potes, non intres in iudicium cum populo tuo, sed miserere, non mihi tantum, quæ, si externa spectes, non ita egeo, sum enim potentissima orbis regina, extra periculum cōstituta, regio amplexu secura, & formæ uenustate omnibus gratissima, sed populo tuo, qui licet peccarit, tuus tamen est populus: iure creationis, quem ad imaginem & similitudinem tuam creasti: iure redemptionis, quem in manu forti eduxisti de terra Aegypti. Nec satis id tibi clementissimo patri, sed addidisti tui cognitionem, legem, uoluntatis tuæ indicem, ceremonias, quibus excoli uoluisti ab ipso, & regionum fertilissimarum possessionem opulentam, vt non possis non tuum agnoscere populum, tot beneficijs olim à te affectum, quem nunc coniurati nominis tui hostes uolunt data pecunia perdere, delere, trucidare, & extinguere, ne scilicet ulla supersit sanctissimi nominis tui memoria. Patere igitur ut uiuentes laudemus nomen tuum, nequando dicant gentes, ubi est Deus eorum Nam populo tuo saluo, & incolumi, me quoque ancillam tuam seruasti. constabit promissionum tuarum ueritas: confundentur inimici tui.

Tertio,

TERTIO, *Necessitate detecta, addit petitionem, qua petit exaudiri, dicens: exaudi deprecationem nostram, propitius esto sorti & funiculo hæreditatis tuæ, & conuerte luctum nostrum in gaudium ut scilicet uiuentes laudemus nomen tuum. Siquidem in tanta animorum consternatione, ubi tam acerba imminent capiti pericula, fieri nequit, ut mens officium faciat, ut ex fide Deum inuocet, colat, adoret, uel reuereatur. Ideo Dauid expertus in se hanc animi conseruationem, ex consternatione iræ Dei, quam peccatis suis fuerat promeritus, exclamat: anima mea turbata est ualde. Psal.6. defecit uirtus mea, Psal. 70. ossa mea sicut cremium aruerunt. Psal.101. aruit cor meum, &c. Psal.101. Ideo Psal. 34. petit, Dic animæ meæ, salus tua ego sum. hoc enim est quod Hester hoc loco petit: conuerte luctũ nostrum in gaudium, ut scilicet ex spiritu tuo diffuso in cordibus nostris agnoscamus præsentium tẽporum pericula, calamitates, & miserias, quibus hostes fidei ecclesiã opprimunt, et cũ sanctissima hac deprecatrice ex uera contritione, & peccatorum cognitione, in ieiunio, fletu, planctu, & cinere, sic dominum oremus, ut exoremus, & regum ac principum animos ad Ecclesiæ suæ defensionem excitet, hæresiarcharum qui in Ecclesiæ perniciem conIurarunt, conatus impediat, ut idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata, sed in charitate, quæ est uinculum perfectionis, laudemus Deum in corde puro, conscientia bona, fide non ficta.*

FERIA

FERIA V. HEBDOMAdæ secundæ Quadrag. Epist. Hier. XVII.

Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrice in deserto, & non uidebit cum uenerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis & inhabitabili. Benedictus uir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia Psal.1.a.
eius. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas: & non timebit cum uenerit æstus. Et erit folium eius uiride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Prauum est cor hominis & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Apoc.2.f.
Dominus scrutans cor, & probans renes: qui Psal. 7. c.
do unicuique iuxta uiam suam, & iuxta fructũ 1.Reg.16.
adinuentionum suarum.

Hac epistola tria proponit propheta.

PRIMO, *Ostendit in quo potissimum hominis sit cõstituta damnatio, & maledictio: in eo scilicet, quod confidit in homine, ponit carnem brachium suum, & à Domi-*

tiæ spiritualis, quæ fit ut de ventre eius fluant aquæ viuæ. Ioan. 7. quod ad humorem mittit radices suas, id est, omniũ actionum suarum intentionem ad Christum dirigit, qui est fons patens in ablutionem peccatorum. Zachar. 13. non timebit quum venerit æstus persecutionum, & aduersitatum, quia non contristabit iustum quicquid illi acciderit, sed gaudebit sciens quid trib. patien. operatur. Rom. 8. erit folium eius uiride, id est, tota vitæ ipsius actio gratia uirtutum ad ædificationem proximi ornata, ita constans, ut nec eleuetur prosperis, nec frangatur aduersis, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec desinet facere fructum. sciens inutilem seruum qui domini pecuniã non dederit ad usuram, proijciendum in tenebras exteriores. Luc. 12. Matth. 25. Elegans antithesis, qua opponitur hominis uerè iustificati, & in solo Deo fiduciam habentis fœlicitas, miseriæ infidelis. Ex qua contra nostri temporis aduersarios confirmare licet, opera iustorum, & eorum qui ex fide in Christum opera exercent uirtutum iustitiæ mercedem accepturos. Siquidem, Apostolo teste, non est iniustus Deus ut obliuiscatur laboris nostri. Hebr. 6. Sunt itaque opera fidelium. (Nemo enim secundum Augustinum computare bona opera potest ante fidem in præfa. Psal. 31.) & eorum qui confidunt in domino bona, iusta, & sancta æternæ uitæ meritoria, imò dum a spiritu Christi fidelem inhabitante proficiscuntur talia, ut possint ex iustitia in iusto Dei iudicio, quod secundum æquitatem reddet unicuique secundum opera,

mercedem

mercedem expectare, quod metaphoricōs exprimit propheta, dum ait: Non timebit quum uenerit æstus. Erit enim folium eius uiride, in tempore siccitatis nō erit sollicitum, quanquam enim cesset cum morte bene operandi facultas, permanet tamen actarum uirtutum & fidei uiror ex merito Christi permanentis.

TERTIO, Neque falsa persuasione putaret se statim esse securum posse, si animo suo fiduciam aliquam de Deo concepisset, docet propheta non esse humani iudicij, ea de re pronunciare. Est enim cor hominis prauum, & inscrutabile, non natura sua: creauit enim Deus hominem rectum ut uoluntas Deo in omnibus obediret, nec à se ipsa dissentiret, sed uitio primi peccati, quo tota est læsa natura, cordis illa prauitas accessit, adeoq; excreuit, ut ipsi etiam homini sibi subinde parum notus sit animus. Unde exclamant sancti, ab occultis meis munda me domine. Psal. 18. maior est Deus corde nostro, & nouit omnia. 1. Ioānis 3. Quo fit vt nemo sciat amore ne an odio dignus sit. Ecclesiast. 9. non tam propter occultum Dei iudicium, quam propter latentem cordis humani prauitatem: quare ineptissima est illa de speciali fide, aut certa fiducia in Deum, doctrina: debent enim fideles iuxta Pauli doctrinam ad Philip. 3. cum timore & tremore suam ipsorum salutem operari, ex fide credere, & sperare in misericordia Dei, ut docet August. lib. 1. de prædest. sanct. cap. 11. Neque uerò propterea docemus, aut desperationem, aut diffidentiam ex uerbo Dei & diuinis promissionibus certissimè concipiendam,

dam, & si enim illæ in se certissimæ sunt: proponuntur tamen sub conditione, certissima quidem est promissio de uita æterna, de remissione peccatorũ, sed quæ nulli contingent, nisi seruantibus mandata, sicut innumeris locis docent scripturæ. Mat. 9. 11. Ioan. 4. Zach. 11. Ioan. 10. Quare rectè docemus fide, & spe animum esse ad Deũ erigendum, credendum uerbo Dei, sperandũ in multitudine misericordiæ nominis eius, uirtutibus animum excolẽdum. Atqui nunquã præsumendum. Si enim Apost. qui nullius sibi conscius erat, in hoc tamen non audebat se iustificatum præsumere, nec seipsum iudicare. Qui enim iudicat me dominus est, inquit. 1. Cor. 4. multo minus certo nobis est præsumendum, quum cordis nostri latebras inuestigare nequeamus. Siquidem solus dominus est qui probat corda, & renes, & reddit vnicuique secũdum viam adinuentionum suarum: quia enim fons humanarum operationum, autore Christo Matt. 15. est cor pronum ad malum ab adolescentia sua, Genes. 6. & renes impudicitiæ fomitem subministrant, ostendit propheta mala esse ea omnia quæ ex his duobus proficiscuntur: ac proinde iudicio Dei obnoxia, nisi gratia remissionis deleantur.

FERIA

FERIA VI. HEBDOMAdæ secundæ Quadrag. Epist. Gen. XXVII.

DIxitq; Ioseph ad eos, Audite somnium meum quod uidi, Putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum, & stare, uestrosq; manipulos circumstantes adorare manipulum meum. Responderũt fratres eius, Nunquid rex noster eris? aut subijciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum inuidiæ & odii fomitem ministrauit. Aliud quoque uidit somnium, quod narrans fratribus, ait, Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me. Quod cùm patri suo, & fratribus retulisset, increpauit eum pater suus, & dixit, Quid sibi uult hoc somnium quod uidisti? num ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram? Inuidebant ei igitur fratres sui, pater uerò rem tacitus considerabat. Cùmq; fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israel, Fratres tui pascunt oues in Sichimis, ueni, mittam te ad eos. Quo respondente, Præsto sum: ait ei, Vade, & uide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora: & renuntia

mihi quid agatur. Missus de Valle Hebron, uenit in Sichem: inuenitq; eum uir errantem in agro, & interrogauit quid quæreret. At ille respondit, Fratres meos quæro, indica mihi ubi pascant greges. &c.

Plura continet hæc epistola, quam qui breui tabella complecti queant, primaria autem uidentur esse quatuor.

PRIMO, *Somnij enarratio innocenti Ioseph diuinitus reuelati, Christi, cuius Typum, & figuram gessit, mysteria sublimia continet, uerum quia litera occidit, Spiritus autem uiuificat, altius est hæc historia, quã ad Ioseph, referenda, præsagiebat quidem hoc somniũ ipsi Ioseph regnum, administrationem regiam, & imperium totius ægypti, sed ita vt typum tantum gereret ueri illius liberatoris Christi, qui non solum ægyptũ, uerum etiam Syriam. i. gentes & Iudæos fame uerbi Dei periclitantes pasceret. Erexit enim Deus filiorũ de hac fide patriarcharum animos, dum uenturi Messiæ, id est, Christi promissionem Abrahæ, Isaac, Iacob, & Dauidi toties proponit. Nemo autem uerius totam œconomiam uitæ Christi, & mysteriorum eius expressit, quàm noster hic Ioseph. Quem pater præ cæteris magis dilexit: nam illi dedit tunicam polymitam, id est, uarij coloris; aliaq; multa præ cæteris beneuolentiæ signa: eo quod eum iam senex ex Rachele dilectissima suscepisset, quibus adumbra-*

tus

tus est unicus ille Dei patris amor, quo filium suum Christum ab æterno dilexit & dum uenit plenitudo temporis, in mundum misit. Galat. 4. ut iuxta somnij huius interpretationem, ut est Hebr. 1. esset hæres uniuersorum, adorarent eum etiam secundum humanitatem omnes angeli Dei, thronus eius esset in seculum seculi. et adorarent eum omnes reges, omnes gentes seruirent ei, per fidem nimirum & fructum bonorum operum. Psal. 71. hæc enim adumbrarunt & manipuli & stellæ patris, matris, & fratrum adorantes manipulum Ioseph. atque ut hæc somnij simplex enarratio causa odij erga innocentem fuit: ita prædicatio Christi Iudæis scandalum, gentibus autem stultitia, odium Christo conflauit.

SECVNDO, Patris Iacob erga filios in pascuis gregum occupatos cura, quos licet inuidia, & maleuolentia erga innocentem cerneret laborare: noluit tamen quanquam meritos negligere, ut nec pater æternus totum mundum in maligno positum, & æternæ damnationis reum reliquit. Sed filium suum unigenitum misit in similitudine carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne, iustitia legis impleretur in nobis, peccatores uocaret ad pœnitentiā, & ereptos de potestate tenebrarum transferret in regnum filij dilectionis suæ. Sicut autem innocens hic ad fratres est missus, ita secundum humanitatem ex Iuda ortus Dominus noster. Hebr. 7. Missus est ad oues quæ perierunt domus Israel. Matth. 15. Atque ut horum fratrum inexcusabilis est inuidia, qua er-

gæ innocentem exarſerunt, ita & de Iudæis merito conqueritur Chriſtus Ioan. 15. dicens: viderunt & oderũt me gratis, nunc excuſationem non habent de peccato, ſuo & locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circũdederunt me. Pſal. 108. Quòd uerò ablegatus à patre Ioſeph, in agro oberrauit, myſticos ſignificat Chriſtum in ſimilitudine carnis peccati, qui dum cum publicanis et peccatoribus manducat, hominum iudicio talis cenſebatur. Matth. 11. Potator uini, &c. Atque ſic placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Verum ne ſic quidem excuſantur Iudæi. Nam vt fratres Ioſeph agnouerunt: ita ipſi edocti per Moſen, Pſalmos, & Prophetas, agnoſcere Chriſtum potuerunt, niſi excæcati propria malitia fuiſſent. Imò vt hi uidentes Ioſeph, dixerint: Ecce ſomniator uenit. Ita Iudæi dixerunt: Hic eſt hæres, venite occidamus eum. Matth. 20. Sed quia iam iuxta Eſaiam, cap. 29. miſcuerat eis dominus ſpiritum ſoporis, clauſerat oculos eorum, & principes, & prophetas eorum excæcauerat. Idcirco vt hi fratres (quanquam longè horribilius) offenderunt in lapidem offenſionis & petram ſcandali.

TERTIO, *Impiorum fratrum in innocentem inuidia*, quam declararunt ueſtium, expoliatione, proiectione in ciſternam veterem, & uenditione. Ex quibus præter myſterium inuidiæ naturam etiam prophanis hominibus execrabilem agnoſcere licet, quæ nulli æquè ac ſuo nocet authori: pugnat enim aduerſus domeſti

ca decora, vt malit inuidus perpeti mala, quam vt habet Chryso. proximum uidere in gloria. Denique vel hinc inuidiæ ferociam uideas, quod nec naturam nec beneficium reuereatur, nam in fratrem, in eum denique qui uisendi eos causa, laborem periculosum susceperat ferociunt, venite, inquiunt occidamus eũ, & uideamus quid proderunt illi somnia sua. Sic Christo Dei filio lucem euangelicam afferenti, & impia ipsorum opera arguenti Principes & Pharisæi restiterunt, dicentes: Venite. Hiere. 11. mittamus lignum in panem eius. i. morte turpissima condemnemus eum, eradamus eum de terra uiuentium, et nomen eius nõ memoretur amplius. quia Sapien. 2. contrarius est operibus nostris, improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ, &c. Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim eos malitia eorum. Nam vt horum fratrum concilium pulchrè diuina prouidentia elusit, ita & Iudæorum conatum de Christo perdendo. Nã Ioseph dum fratres perdere nituntur, ad ægypti gubernationem, imperij dignitatem, & reipublicæ conseruationem promouent, ita Christum dum perdere conantur Iudæi, efficiunt ut sit caput Ecclesiæ, iudex uiuorum, & mortuorum, & Princeps regum terræ.

QVARTO, Fucus excogitatus humano consilio ad euitandam patris indignationem, dum à feris deuoratum falso asserunt, & uestes sanguine tinctas ostentant. Atqui pater spiritu sancto uerba eius dirigente exclamat, Fera pessima, inuidiam rectè intelligimus,

 mus,

mus, deuorauit filium meum. Sic Iudæi, dum impio crimini prætextum quærunt, reipub. tranquilitatem dicentes ne forte ueniant Ro. & tollant locum nostrũ & gentem. Ioan. 11. iuris patrocinium, nos legem habemus, & secundum legem debet mori. Ioan. 18. legis zelum, si non esset hic homo malefactor, non tibi tradidissemus eũ. Intellexit totus ubique diffusus orbis per inuidiam ipsos Christum tradidisse, ac falsis eum testimonijs obruisse, atque ita in humanã Christi naturam plenitudine gratiæ & ueritatis ornatã sæuijsse, diuinitate, quæ impassibilis est, illæsa persistẽte, sicut Ioseph saluo, eius tunica hœdi sanguine aspersa est, ut in omnibus umbræ, & figuræ respõderet corpus, & ueritas. Quia enim sine sanguinis effusione Apostolo teste, fieri non potuit remissio, omnia nanque mundantur in sanguine: ideo uoluit & Christus, non per sanguinem taurorum aut uitulorum, sed per proprium introire in sancta sanctorum. Hebr. 9. ut mundaret conscientias nostras ab operibus mortuis ad seruiendum Deo uiuenti. Neque enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. Act. 5. Porrò Ioseph ueste spoliatus, & in cisterna veteri proiectus pulchrè mysterium mortis Christi refert, qui carne spoliatus ad inferos descendit, vt liberaret eos qui in tenebris & in umbra mortis sedebant, vt in sanguine testamenti sui educeret uinctos de lacu, in quo non erat aqua: quemadmodũ quod Ismahelitis uenditur, adumbrat gratiam noui testamenti à Iudæis repudiatam, gentibus esse manifestatam.

SABBATO ANTE DOMINIcam tertiam, Quadragesimæ. Epist. Genes. XXVII.

QVod cùm audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum ut iussionem patris impleret, dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de uenatione tua, & fac cibos ut comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar. Nunc ergo fili mi, acquiesce cõsiliis meis: & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter uescitur: quas cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquã moriatur. Cui ille respondit: Nosti quòd Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis: si attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi uoluisse illudere, & inducat super me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantùm audi vocem meam, & pergens, affer quæ dixi. Abijt, & attulit, deditq; matri. Parauit illa cibos, sicut velle nouerat patrem illius. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum: pelliculasq; hœdorũ circundedit manibus, & colli nuda protexit.

Deditque pulmentum, & panes quos coxerat tradidit. Quibus illatis, dixit: Pater mi? At ille respondit: Audio. Quis es tu, fili mi? Dixitq; Iacob: Ego sũ primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi: surge, sede, & comede de uenatione mea, ut benedicat mihi anima tua. Rursumq; Isaac ad filium suum. Quomodo, inquit, tam cito inuenire potuisti, fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit ut cito occurreret mihi quod uolebam, &c.

Complectitur hæc epistola historica grauissima mysteria de electione Iacob, & reprobatione Esau, in qua describenda proponit quatuor.

PRIMO, *Rebeccam diuini adhuc oraculi memorem muliebri astu, sed quem diuina prouidentia gubernaret, decipere parantem Isaac senem: oculis caligantem; & lecto affixum: qu m ut intellexit uelle Esau iure natiuitatis primogenito, supremam largiri pro patriæ consuetudine benedictionem, fraudis occasionem nacta, (si tamẽ fraus appellari debet quod diuinitus agitur) & Esau feroci, hispido, & uenatore iussu patris in agrum ad uenationem egresso, euocat Iacob totum mansuetum, lenem, & in tabernaculis habitantem. cui paternum proponit consilium de primogenituræ priuilegio conferendo, suo ut acquiescat consilio iubet. fore ut ipsi tanta dignitas conferatur,*

tur, ſi modo obtemperet, & è caula duos tantum hœdos adferat. Si quæras an ne peccarit Rebecca, quod fraude Eſau circumuenerit. Reſpondeo quod non. Siquidem ex Diuina prædeſtinatione, et iure emptionis Gen. 26. Hebr. 12. Iacob dignitas hæc debebatur, ipſis enim in matris vtero luctantibus reſpondit oraculum, fore vt maior ſeruiret minori. Deinde & Eſau victus impatientia gulæ iuri ſuo ceſſerat Iacob, vt merito à fraude excuſari ambo debeant. Paulus Rom. 9. hoc myſterium ad Iudæorum gentium refert reprobationem, et ad uocationem ad Iudæos quidem pertinebat adoptio filiorum, gloria, teſtamentū, legislatio, & promiſſa. Sed quia indignos ſe reddiderunt æternæ uitæ, ad gentes ſunt translata.

SECVNDO, Iacob ignarum myſterij ſingulari quadam erga patrem reuerentia, matris conſilium detrectantem dum ex rationibus humanis, vt penè ſolet ubique carnis prudentia, argumentatur, patrem facile poſſe uel malitiam, uel impoſturam deprehendere ex corporis habitu diſſimili. erat enim Eſau corpore hiſpido, robuſto, & voce ſtentorea: Iacob uerò corpore gracili, tenero, & voce exili. Itaque timet ne pro benedictione, & fauore paterno conſequatur maledictionem, & odium. Pulchrè autem ſignificat hæc tergiuerſatio iudicium carnis iudicantis de rebus diuinis ex ſolis præſentibus. Sic olim ad petram contradictionis dubitauit Moyſes. Num. 20. 11. de eſu carnium. Sic Apoſtoli admirati ſunt Act. 11. gentibus datam eſſe pœnitentiam in remiſſionem pec

catorum, eas'q; esse cohæredes, concorporales, & comparticipes promissionis Dei in Christo Iesu. Ephes. 3. Atqui hoc erat sacramentum uoluntatis diuinæ absconditum à seculis, ut gentes quæ non sectabātur iustitiam, consequerentur iustitiam. Rom. 9. sed eā quæ ex fide est Iesu Christi. quemadmodum Iacob non proprijs uiribus, industria, uel consilijs, sed matris, quæ præterquam quod periculum omne in se suscepit, etiam uestibus odoriferis & ualde bonis quæ apud se habebat .i. virtutibus & meritis Christi, à patre Iudæis primum paratis, gentium nuditatem facta illis peccatorum remissione, & data vera iustificatione, contexit, additis cibis .i. sacrificio crucis, patri æterno gratissimo, quibus cum fiducia ingrediuntur ad patrem, dicentes Pater mi, comede de uenatione filij tui .i. ex fide per spiritum inhabitantem, clamantes abba pater. Ego sum Esau, non quidem natura, sed prædestinatione.

TERTIO, Isaac admirantem inopinatam ferarum capturam, dum ait: quis es tu fili mi, quo modo tam cito inuenire potuisti qui pulchrè nobis singularem Dei patris exprimit clementiam, qua reuersos per pœnitentiam qua ex singulari gratia eos ipse præuenit, excipit humanissimè: quum enim ipsa pietate clementior sit, qui negare seipsum nequeat. 2. ad Timot. 2. mox suorum uocem agnoscit. Ioan. 10. ut Luc. 15. indicat filij prodigi parabola. Sic prædicatione Apostolorum resipiscentes iudæos, & gentes mox in gratiam recepit. Act. 3. 4. 11. 10.

quo

quo accepta fiducia per Christum, sese filios esse professi sunt, quia nimirum cibos à matre paratos, conceptam scilicet ex prædicatione fidem, mansuetudinem, modestiam, aliaq; pietatis opera igne charitatis excocta patri offerunt. Quod uerò Isaac tangendo, & palpando explorat Iacob priusquam cibos accipiat, quoniam quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, Rom. 15. huc spectaret opinor, ut credamus eam solam quæ ore fit fidei confessionem, non sufficere. Neque enim ut impudenter asserunt hæretici de sola fide, & incredulitate iudicabit Deus, sed de operibus, quæ si arserint illi detrimentum patientur: idcirco & pater ille cœlestis suos explorat, ut ignis aurum solet: nō ut perdat, sed ut purget, eget enim corrupta nostra natura continua exercitatione. ne ad eadem prolabatur. Itaque explorat si quod ore profitemur, opere quoque & perficiamus.

QVARTO, Benedictionem, quæ secundum æternum Dei propositum, quo antequam uel boni, uel mali quicquam egissent prædestinatus erat à Deo benedicendus Iacob. Ista enim benedictione qua Isaac Iacob benedixit, symbolum tantum erat benedictionis diuinæ faciendæ per Christum, qua sine ullis præcedentibus meritis à massa perditionis erant separandi secundum prædestinationem, & propositum gratiæ Dei, uasa misericordiæ à uasis iræ: qui benedicuntur omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. ad Ephes. 1. Aut si ad Christū referre

referre libet, qui postquam semetipsum humiliauit usque ad mortem, accepit à Deo patre. 2.Petr.1. gloriam, honorem, & nomen super omne nomen. cuius odor est tanquam odor agri pleni cui benedixit Dominus, nam de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia. Ioan.1. Christus itaque constitutus iudex uiuorum, & mortuorum electos ante mundi constitutionem, benedicit, ita vt sint benedicti: eos enim nemo potest rapere de manu patris sui. Ioan. 10. habent enim tanquam semen cui benedixit Dominus, Isa.61. & manet firmum Dei propositum, ita vt iuxta Paulum. Rom. 8. neque tribulatio, angustia, mors fames, periculum, & persecutio possit eos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, qui & si vt Iacob accepta benedictione, patiantur persecutionem ab Esau, probatio ipsis tantum est fidei. Est interim etiā erga impios tanta Dei pietas, vt non puniat bis in idipsum. Nam Esau quanquam non inuenerit pœnitentiæ locum, etsi cum lachrymis quæreret, tamē in terrenis, & perituris rebus illi benedictionem concessit. Siquidem non nisi diuino beneficio etiam mali & reprobi rebus terrenis vtuntur.

DOMI-

DOMINICA TERtia Quadragesimæ. Epist. ad Ephes. V.

EStote ergo imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Fornicatio autē & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in uobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquiū, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immūdus, aut auarus, quod est idolorū seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei, Nemo uos seducat inanibus uerbis. Propter hæc enim uenit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Vt filii lucis ambulate. (Fructus enim lucis, est in omni bonitate, & iustitia, & ueritate.)

Ioan. 13. d & 15. b. 1. Ioā. 4. d Col. 3. a. 2. Thes. 2. Mat. 24. a Mar. 13. a Luc. 21. b

Agit in hac epistola Apostolus quatuor,

PRIMO, *Docet absolutam Christianæ uitæ perfectionem consistere in imitatione Dei. Collocat autē hāc*

Aposto-

Apostolus non in productione rerum ex nihilo, quod solius diuinæ potentiæ est, & in gubernatione cœlestium, terrestrium, infernorumq; uel in potenti illa uirtute, qua absoluta sua potentia omnia quæcunque uult facit, tam in cœlo quàm in terra. Sunt hæc enim ita propria & peculiaria ipsius diuinæ naturæ, vt nulli creaturæ, ne angelicæ quidem, communicari possint: multo minus imbecilli nostræ naturæ. Proinde quum hæc impossibilia sint, qualia nunquam præcepit Deus. Præceptum enim quod ego præcepi tibi hodie, non est supra te, &c. sed prope est uerbum in ore tuo. Rom. 10. Deu. 30. hanc imitationem constituit in dilectione Dei, & proximi, in qua, vt est Matt. 22. & Rom. 13. uniuersa lex pendet & prophetæ: quum igitur hæc sola sit quæ (vt habet Augustinus tract. 5. in Ioannem.) diuidit inter filios regni & filios gehennæ, merito in ea Apostolus perfectam christianæ uitæ sanctimoniã constituit, quãdo sine illa in nobis nihil esse possit quod æterno patri aliquo modo placere queat. 1. Corinth. 13. Præcipit autem Apostolus non qualemcunque dilectionem, quam uidelicet ipsa suggerit natura, qua amicos, parentes, nosipsos, diuitias, uel benefactores diligimus, quam & ethnici, & vt loquitur Christus, publicani habent, sed talem, quam non tantum docendo inculcauit, sed coram exhibuit ipse Dei filius, qui ex singulari charitate nos quum inimici essemus dilexit. Ro. 5. uocauit quũ auersi essemus, iustificauit quũ peccatores essemus;

deni-

quę pro persecutoribus cum lachrymis orauit, vt non perirent. Hebr. 5. & exauditus est. talem denique, quā vt est Matt. 5. diligimus inimicos, benefacimus ijs qui oderunt nos, & oramus pro persequentibus & calumniantibus nos. Illam etenim intelligit Apostolus, dum ait: sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, &c. Sicut enim illa Christi hostia Deo patri fuit gratissima, ita & illa charitas, qua Deum proximumq; diligimus, est longè gratissima. Ioan. 13.

SECVNDO, *Ethices præcepta formandis scilicet moribus pernecessaria præscribens, ab ipsa pudititia orditur; siquidem luxuria: fornicatio, & adulterium, quibus non tantum in Deum, sed in propriū corpus peccatur. 1. Corinth. 6. nec solum iræ filios constituunt, sed membra quæ templa spiritus sancti esse debebant, corrumpunt; quod in ijs cernere licet qui in passionibus desiderij voluptatibus suis seruiunt: nec ante desistunt, quàm sanie ac tabo diffluentibus membris miseri langueant; quanquā ve sic quidem fomes ille peccati, concupiscentia habeamus in membris, & passiones peccatorum malā differant voluntatem: siquidem Augustino teste: lib. de nuptijs & concupis. cap. 25. tantas subinde vires accipit, vt deficientibus membris, eisdemq; corporis partibus ad illud opus minus valentibus, turpius & procacius insanire non desinunt. Quod quum intellexerit Apostolus, nomine fornicationis,*

is, et immunditiei omnem actum uenereum extra legitimum vsum matrimonij, illicitum, & lege Dei prohibitum interdixit. Adeò vt inter fideles ne nominãdam quidem putarit illam impietatem, quam hodie ludum tantum arbitrantur nostri sardanapali, quum tamen olim iudæi illam morte punierint. Leuit. 18. Aegyptij uirgis castigarint, Arabes capitis supplicio uindicarint. & hanc soli illi qui de Christi Iesu fide & religione gloriantur, iocum æstimabunt, & inultam sinent: prudenter autem Apostolus huic morbo qui non animum tantum, sed corporis medullas perrodit, auaritiam, quam omnium malorum radicem appellat, coniungit, quod nulla lues æquè omnes animi potentias, scilicet intellectum, memoriam, & uoluntatem, corrumpat, atque hæc auaritiæ pestis, quæ deijcit homines in laqueos diaboli, & interitum, non secus atque idololatria solet. Rectè ergo Apostolus hanc non tantum uitandam, sed ne nominandam censet.

TERTIO, Hortatur ad pietatem spe mercedis, et metu supplicij. Quia sic comparatũ esse uidebat, vt boni, et mali à peccato desistant uirtutis amore, illi & isti formidine pœnæ. Proponit itaque singulari non tantum rhetorices artificio, sed Spiritus sancti impulsu pijs immarcessibilem illam gloriæ coronam, tanquam bonorum operum mercedem. 2. ad Timot. 4. impijs horrenda gehennæ supplicia, tanquam stipendia peccatorum. dum ait: Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, immundus, uel auarus non habet hæredita-

hæreditatem in regno Christi & Dei. Ergo à contrariò, iturus in ignem æternum, nam ut habet Augustin. li. 6. contra Donatist. cap. 8. factis Deũ negat, spem non habet, quia malam gerit conscientiam, perfidus est, quia id non agit quod Deo uouit, & dæmoniacus est, quia diabolo in suo corde locum præbet. ut non immerito illi iungantur in pœnis, cui uoluntate, & toto cordis affectu seruierunt, nisi uera subsequatur admissi sceleris pœnitentia, quæ uirtute meritorum Christi deleat non ipsa tantum peccata, sed ipsas quoque pœnas peccatis debitas. Quia uerò tam cœca est natura ut prona semper in præceps ruat, longeq́ aliter de Deo, ueritate scripturarum, & iustitia non tantum sentiat, sed etiam loquatur, quasi uidelicet huiusmodi acerbæ comminationes hyperbolæ tantum sint. (Neque enim credere possunt tantam in Deo esse tyrannidem, ut momentanea peccata æternis supplicijs uindicare velit: quo fit ut consuant multi puluillos sub omni cubitu. Ezec. 13. Ideo eleganter eos perstringit Apost. admonens fideles ne decipi sese patiantur inanibus verbis, hoc est, verisimilibus argumentis ex scripturis non rectè aut citatis aut intellectis, ex iudicio rationis, aut ex philosophia petitis, quibus facilè cedere imperiti solent, maximè si ea quæ carni adlubescant suggerantur, quod non aliunde quàm ex iusto Dei deserentis iudicio contingere docet Aug. lib. 5. cap. 3. contra Iulia.

QVARTO, Ostendit dignitatem eorum qui erepti de potestate tenebrarum, ignorantia veritatis, & de

uinculis peccatorum, consecuti sunt libertatem gloriæ filiorum Dei, cognitionem scripturarum, & iustificationem uitæ. horum enim alia longe est conditio & dignitas quam ante, siquidem prius fuerant serui peccati, captiui ad ipsius uoluntatem: hoc enim est quod ait: Eratis aliquando tenebræ, obscuratum scilicet habentes intellectum. Ephes. 4. alienati a uita Dei. Quod in ipsis non tam peccatum fuit quam pœna peccati: siquidem subinde solet Deus peccata peccatis uindicare, ut docet Aug. lib. 5. contra Iul. cap. 3. Apost. autem ostendens a quo sint non tantum illuminati, sed etiam abluti, sanctificati, & iustificati. quod est, ut loquitur Apost. esse lucem in domino, & habere illuminatos oculos cordis, ac scire quæ sit spes uocationis, hortatur, ut nihil quod huic derogare possit, admittant: ideo inquit, ut filij lucis ambulate. Non estis enim filij neque noctis, neque tenebrarum, ut scilicet aut dormiatis, aut ebrij sitis, uel in cubilibus aut impudicitijs turpiter luxuriantes, (quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere) aliquid præter uocationis uestræ dignitatem admittatis. Si uero hanc prout oportet tueamini, mox admirandam illius suauitatem experiemini: sunt enim fructus lucis in omni bonitate, iustitia, & ueritate, qua ex bono thesauro proferimus ad ædificationem, quæ sunt bona, pudica, & sancta, reddimus unicuique quod suũ est, Deo scilicet, gloriam, & honorem, proximo uero amorem, ædificationem. & ueritate qua dirigimur in perfectam cognitionem uoluntatis Dei, ut hæreses

omnes

omnes detestemur; & fidei integritatem amplectamur.

FERIA II. HEBDOMADÆ tertiæ Quadragesimæ. Epist. 4. Reg. 5.

NAaman princeps militiæ regis Syriæ, erat uir magnus apud dominũ suũ, & honoratus: per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ: erat autem uir fortis & diues, sed leprosus. Porrò de Syria egressi fuerant latrunculi, & captiuam duxerant de terra Israel puellam paruulam, quæ erat in obsequio uxoris Naamã, quæ ait ad dominam suam: Vtinam fuisset dominus meus ad prophetam qui est in Samaria: profectò curasset eum à lepra quam habet. Ingressus est itaque Naaman ad dominum suũ, & nunciauit ei, dicens: Sic & sic locuta est puella de terra Israel. Dixitq; ei rex Syriæ: Vade, & mittam literas ad regem Israel. Qui cùm profectus esset, & tulisset secum decem talenta argenti, & sex millia aureos, & decem mutatoria uestimentorum. detulit literas ad regẽ Israel, in hæc uerba: Cùm acceperis epistolam hanc, scito quòd miserim ad te Naaman seruũ meum, ut cures eum à lepra sua. Cumque legisset rex Israel literas, scidit uestimenta sua, & ait:

Nunquid Deus ego sum, ut occidere possim, & uiuificare, quia iste misit ad me, ut curem hominem à lepra sua? animaduertite, & uidete quòd occasiones quærat aduersum me. Quod cum audisset Eliseus uir Dei, scidisse uidelicet regem Israel uestimenta sua, misit ad eum, dicens. Quare scidisti uestimenta tua? ueniat ad me, & sciat esse prophetam in Israel, &c.

Huius epistolæ historia quatuor complectitur.

PRIMO, *Singularē regis Syriæ erga suū militiæ principem Naamā beneuolentiā, & fauorem, nam literis commendatitijs, & authoritate regia munitis illum in Iudæam ad regem, sanitatis recuperandæ causa misit. Concepta scilicet erga Deum Israel fiducia, & spe sanitatis adipiscendæ, ex relatu ancillæ captiuæ. Neque enim haberi in Deum fiducia potest, nisi ex auditu fidei, aut legis cognitione, quæ quod ad perfectum neminem adducere potuit, sed tanquam sub pædagogo suos continuit: ideo & parua, & captiua fuisse describitur hæc ancilla: perfectio enim seruabatur per Christum adferenda, neque uerò minor in ipso erat Naaman erga religionem pietas, morbi potētia id agente: peculiare enim esse Deo solet non tantum occulto motu, sed quasi uiolento ad se quosdam uocare, nempe aduersitatibus, morbis, persecutionibus, & paupertate, alijsq́, id genus affiictionibus,*

quæ

quæ tum prodesse non tantum corpori, sed & animæ creduntur, quum ut habet August. ad meliora compellunt, iuxta illud Psal. 118. Bonum mihi quia humiliasti me, & Psal. 82. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine. Fit enim nescio qua naturæ prauitate, ut in rebus prosperis Deum prorsus aut contemnamus, aut negligamus, nisi infirmitatis aliqua correptione coerceamur. Itaque principem hunc licet magnanimum, fortem, & potentem, lepræ tamen morbo ita exercuit, ut honores & diuitias facilè contempserit præ sola sanitate.

SECVNDO, *Perfidiam Iorã regis Israel erga Deum viuum, cuius virtutẽ, quam intellexit admirari Syros, ipse contempsit: lectis enim regis Syriæ literis, ex diffidentia scidit vestimenta sua, & expauit, dicens: Nunquid Deus ego sum. &c. Ipso facto præsagiens fore ut regnũ ipsius propter infidelitatem scinderetur, ut gratia fidei, prophetica, donum miraculorum, quibus præ cæteris nationibus pollebat Iudæa priuaretur, et gentibus daretur. Cuius mysterij Symbolum hic Naaman præ se ferebat. Atqui Elisæus, audita regis sui diffidentia, animi consternatione, & tristitia. Est enim hoc ueri prophetæ, & ministri uerbi Dei munus, eum grauiter obiurgat, atque ex autoritate diuina ipsius incredulitatem damnat, nõ adulatur, ut nostri solent principum predicatores, nõ loquitur placentia, metu amittendi officij correptus: sed libere increpat, dicens: Quare scidisti uestimenta tua, animi tui scilicet infidelitatem prodens? ue-*

niat ad me, & intelligat prophetam esse in Israel. Hoc uero erat horrendum Dei iudiciũ, de quo Christus Ioan. 9. se nimirum uenisse in mundum, ut qui non uident uideant, & qui uident cæci fiant. Huius enim iudicij typum gerit hæc historia. Nam Iudæi Dei cognitione præditi excæcantur, & gentes ignorãtia Dei laborantes illuminantur, & participes fiunt mysteriorum Christi. Sicut enim ad Elisæum cum equis, curribus, & famulis accurrit Naaman, ita futurum erat, ut audita prædicatione Euangelij ad Christum accurrerent gentes. Vide Psal. 17. 85. Zach. 8. Isa. 49. 40. 65. 66. 43. Rom. 15. spe nimirum iustificationis peccatorum remissionis, & salutis adipiscendæ per Christum in sanguine ipsius, quem uoluit Deus esse lauacrum regenerationis, & renouationis. Sed quid sibi uoluit tanta Elizæi seueritas nõ prodeuntis, sed per famulum tantum sanitatis remedium indicantis? hoc nempe quod ait Apost. Quia in sapientia non cognouit mundus deum, placuit illi per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Quod nõ potentia diuinitatis, sed gratia incarnationis, & apost. prædicatione ad fidem & sacramenta uocarentur.

TERTIO, Indignationem Naaman contemnentis prophetæ præceptum, qua eleganter philosophorũ, poetarum, & gentium superbia significatur, humilitatem crucis ridentium, ut nec animales percipiunt ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illis, dũ ad rationis humanæ iudicium exigere uolunt consi-

lia

lia dispensationis diuinæ. Atque ut hic Naaman contempsit præceptum de lotione in Iordane; & prætulit fluuios Syriæ & Damasci Aniana & Pharphar ita carnales magni æstimant hæretici rident fastum humanæ sapientiæ, diuitias, & uoluptates, & fidei simplicitatem, sacramentorum humilitatem, & ecclesiæ infantiam. Quo fit ut alieni à gratia, uel impietate, uel infidelitate, quam in scripturis lepræ morbus significare solet, pereant, quemadmodũ periturus erat hic Naaman, nisi singulari Dei beneficio animo mutato passus fuisset sibi persuaderi. Neque verò humano hoc factum est tantum consilio, sed inspiratione diuina. Neque enim, ut falso putabat Pelagius, sola externa uocatio, cognitio, adhortatio, & correptio sufficit animo corrigendo, quin potius magis irritabunt, si desit spiritus uiuificans, qui de nolente uolentem faciat, & ita moueat ut dicat: Audiam quid loquatur in me dominus. Psal. 84. ut quemadmodũ Naamã Elizeo, & famulo ita scripturis, legi, Euangelio, et Ecclesiæ obtemperet, captiuãdo intellectũ in obsequium fidei, remedia sacramentorum æger infirmitate peccati amplectatur. Sunt enim septem Ecclesiæ sacramenta per Christum efficacia ad remissionem peccatorum iustificationem, & ad gratiam Dei consequendam instituta.

QVARTO, Plusquam stupendam Dei potentiam, & gratiam, quam ministerio prophetæ exhibuit incredulo, quem non solum credentem effecit, sed uerbo suo obsequentem. Requirit enim perfecta iustitia man-

datorum Dei obedientiam, sine qua nec licet sacramentorum energiam, & uim experiri. Pulchrè autem septies hæc repetita lotio septiformem Spiritus sancti gratiam adumbrauit, quæ per Christum in baptismo omnibus fidelibus erat cōferenda, de qua Isa. 11. Cuius primarij effectus sunt veteris uitæ expoliatio, & noui hominis per peccatum amissi restitutio. Ro. 6. vt huius leprosi caro restituta est, sicut caro pueri paruuli. Est enim is effectus sacramenti baptismi, vt reatum mortis æternæ tollat, omniū peccatorum indulgentiam conferat, gratiam, qua tentationibus resistat baptizatus, concedat, & ex filio gehennæ filiū adoptionis efficiat. Atque hoc est quod ait Apostolus, Christum nos fecisse saluos per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in uos abundè iuxta illud Ezech. 36. Effundam super nos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris, &c. Vt baptizati in Christo sint tanquam noua creatura, quia iam in eis nihil damnationis est, dum non secundum carnem ambulāt, sed secundū Spiritū. Ro. 5. Nā quæ remanent in baptizatis infirmitates, concupiscentia, carnis erga Spiritum rebellio, mors, aliaq; uitæ incommoda nullā habent in se peccati rationem, ne ipsa quidem concupiscentia, si quando illi ad illicita impellenti consentitur: relinquuntur enim ad exercitium tantum, ita vt rectè dicantur baptizati, propter inhabitantem spiritum, carere omni peccato, et si non careant omni malo inquit Augustinus contra Julia. lib. 6. cap. 5.

FERIA III. HEBDOmadæ tertiæ Quadrageſimæ. Epiſt. 4. Reg. 4.

MVlier autem quædam de uxoribus prophetarum clamabat ad Eliſeũ, dicens: Seruus tuus uir meus mortuus eſt, & tu noſti quia ſeruus tuus fuit timens Deum: & ecce creditor uenit vt tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi. Cui dixit Eliſeus. Quid uis ut faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa reſpondit: Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea, niſi parum olei quo ungar. Cui ait: Vade, pete mutuò ab omnibus uicinis tuis uaſa uacua non pauca. Et ingredere, & claude oſtium tuum, cùm intrinſecus fueris tu & filii tui: & mitte inde in omnia uaſa hæc: & cùm plena fuerint, tolles. Iuit itaque mulier, & clauſit oſtium ſuper ſe & ſuper filios ſuos. illi offerebant uaſa, & illa infundebat. Cumq́ue plena fuiſſent uaſa, dixit ad filium ſuum: Affer mihi adhuc uas. Et ille reſpondit: Non habeo. Stetitq́; oleum. Venit autem illa, & indicauit homini Dei. Et ille. Vade, inquit, uende oleũ, redde creditori tuo: tu autem & filii tui uiuite de reliquo. Facta eſt autem quædam dies, & tranſibat Eliſeus per Sunam: erat autem ibi

mulier magna quæ tenuit eum ut comederet panem: cumq; frequenter inde transiret, diuertebat ad eam ut comederet panem. Quæ dixit ad uirum suum: Animaduerto quòd uir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequẽter. Faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, ut cùm uenerit ad nos, maneat ibi.

Proponit hæc historia tria.

PRIMO, *Miseram uiduam omnibus modis deplorandam, scilicet improbi creditoris seueritate oppressam, ære alieno grauatam, filiorum captiuitate afflictam, et sanctissimi mariti morte consternatam. adeò ut ad huius mulieris calamitatem augendam nihil penè amplius addi posse uideretur. Proinde quum omni humano præsidio destitueretur, quod huiusmodi miserabiles personæ, quales sunt uiduæ, peregrini, pupilli, & orphani, ferè soleant in iudicijs aut contemni, aut negligi, ut conqueritur Dominus Isa.1.10. Hiere.5.7. Ezech.22. Zach.7. eum accedit qui sese tanquam præclaro epitheto appellat. Psalm.67. patrem orphanorom, & iudicem uiduarum, Deum scilicet, cuius fidelissimum ministrum Elizeum sibi contra aduersarium patrocinari petit. Officium enim est Episcoporum, pastorum, & concionatorum, paupereum necessitati succurrere, ut de*

B. Pau-

B. Paulino Episcopo Nolano, Ambrosio, & alijs testantur historiæ, qui sacra uasa pro redimendis afflictis sæpe uendiderunt. At nunc proh dolor plures inuenias qui comedant potius quàm subleuent domos uiduarum, pauperum, & orphanorum, ita occupauit multorum animos auri illa sacra fames, ut rarissimè nunc aut Paulinos, aut Eliseos inuenias.

SECUNDO, Insignem Elizei mansuetudinem erga afflictam, suam operam quacunque ratione posset offerentis, dum ait: quid vis ut faciam tibi? Dic mihi quid habes in domo tua? Ita enim oportet afflictas conscientias, uel egestate rerum temporalium fractas, vel consideratione peccatorum consternatas, ne abundantiori tristitia absorbeantur. 2. ad Corint. 2. consolari, non ut conqueritur apud Ezech. Dominus cap. 34. cum austeritate & amaritudine in desperationem adigere. Gal. 6. Si præoccupatus fuerit homo, &c. Obseruandum autem est propheta prudens & sagax consilium, siquidem non suadet fraudem esse creditori faciendam. Iubet enim Deus omnibus debita reddere. Ro. 13. aut impuro quæstu redimendam uexationem, uel malis actibus rem familiarem augere. siquidem hæc cũ uerbo Dei pugnãt, hoc enim esset uere mulierculam oneratam peccatis in damnationem adducere. Quum potius hortatur ad industriam œconomicam, curam rei familiaris, & ad operas lanæ ac telæ nocte & die, ut scilicet non habeat tantum quo creditoribus satisfiat, sed unde tribuat necessitatem patientibus, ad Ephe. 4. dum

iubet

iubet petere à vicinis uasa uacua non pauca, in ea sedulo infundere oleum quod domi est, ipsos quoque filios, ne otiosi panem manducent, ad operas impellendos, sic enim fore pollicetur, vt conatibus tuis faueant superi, vt labores manuum tuarum manduces, si uocationi tuæ obtemperes. Si præcepto Dei obsequaris, & regnum Dei primum quæras, & eius iustitiam, tunc omnia facilè adijcientur. quemadmodum huic mulieri, dum ex fide credit prophetæ, munificam Dei in se beneuolentiam experitur, vt non adsit tantum quo creditoribus satisfiat, & filij redimantur, uerum etiam unde suppetat quod naturæ sufficiat.

TERTIO, Promptam mulieris erga verbum Dei fidem, & obedientiam. Non enim ex consideratione paupertatis & inopiæ, quam coram oculis cèrnebat, ruit in diffidentiam, vt uulgus hominum solet, non alia quàm quæ ante pedes sunt aspicere, ex illis secundum iudicium rationis argumentari, & quasi nulla foret de rebus humanis cura, sollicitudo, uel prouidentia Deo, ita prorsus omnia ex sua industria metitur, & si quid præter spem sibi accidere sentiat, ibi mox sese prodit, quæ animo latebat diffidentia neglectus diuini, contemptus uocationis, qua ad operas quisque suas ex præcepto Dei tenetur, quo fit vt fraudibus, dolo, & technis animos adijciat, quod plures cernat his artibus emegere, diuites fieri, possessiones augere, dignitatibus potiri, uoluptatibus diffluere, beatum etenim iudicat populum cui hæc sunt.

Psal.143. Atqui aliud longè dictat fides, scilicet respicere in bonam Dei patris uoluntatem, in Deum spem omnem & fiduciam reponere, & gnauiter obtemperare uocationi. sic nostra hæc uidua, dum ex fide, prophetæ uerbis paret, Dei fit digna miraculo, qui operibus manuum eius benedicit, ut omnia etiam mutuo accepta uasa impleantur. Potēs enim est Deus omnem gratiam abundare facere in nobis ultra quàm petimus aut intelligimus. 2. Corinth. 9. Si tamen, ut oportet, in ipso fiduciam collocemus, credamus, ipsi curam esse de nobis. 1. Pet 5. Atque in sudore vultus vescamur pane. Genes. 3.

Si quem allegoria delectet, non ineptè hanc uiduam, ueterem synagogam intellexerit, quæ saluatoris Christi aduentu soluta lege prioris mariti legalis, debitis non solum peccati originalis, sed actualis adstricta diabolo, cui non erat quo satisfaceret (si enim per legē iustitia esse potuisset, omnino gratis Christus mortuus esset. Galat. 2.) Olei tamen aliquid quo ungeretur superaret, sed clausum, quia sub uelamine legis gratia spiritus sancti latebat. At postquam uerus ille apparuit Elizeus Christus, eius per Apostolos prædicatione factum est, ut gratia illa mutuatitiis uasis, id est, non Iudæis solum, sed gentibus perfunderetur: quo oleo nō solum redimūtur à creditore, id est, diaboli tyrannide, sed uiuunt de reliquo: quia gratia Christi, & unctione spiritus inhabitantis & diffusi in corda ipsorum, eruuntur de potestate tenebrarum, & transferuntur in regnum Dei, dum per fidem & obedientiam, legi satisfaciunt.

FERIA IIII. HEBDOMAdæ tertiæ Quadrag. Epist. Exod XX.

Mat. 15. a Ephe. 6. a — HOnora patrem tuũ & matrem tuã, ut ſis longæuus ſuper terram, quã Dominus Deus tuus dabit tibi. Matt. 5. Rom. 6. — Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. Non concupiſces domum proximi tui, nec deſideraris uxorem eius: non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt. Cunctus autem populus uidebat uoces & lampades, & ſonitum buccinæ, montemq; fumantem: & perterriti ac pauore concuſsi ſteterunt procul, dicentes Moyſi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur. Et ait Moyſes ad populum: Nolite timere: ut enim probaret nos uenit Deus, & ut terror illius eſſet in uobis, & non peccaretis. Heb. 12. a Deu. 18. c — Stetitque populus de longe. Moyſes autem acceſsit ad caliginem in quaerat Deus. Dixit prætereà Dominus ad Moyſen: Hæc dices filii Iſrael: Vos uidiſtis quod de cœlo locutus ſim uobis. Non facietis Deos argenteos, nec deos aureos facietis

cietis uobis. Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta & pacifica uestra, oues uestras & boues in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei.

Continet hæc epistola tria.

PRIMO, *Præceptorum secundæ tabulæ enumerationē. uidelicet honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longæuus super terram, non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non loqueris contra proximum falsum testimonium, non concupisces domū proximi tui, nec desiderabis uxorem illius, non seruum, &c. quibus præceptis optima instituitur à Deo politiæ forma, ergo & propter Deum obedientia istis debetur. Ro. 13. Sunt autem hæc præcepta, fontes omnium legum politicarum. Nam primo sancitur imperium, & præcipitur obedientia tam externa, quā interna erga parentes, magistratus, superioresq́; hoc uerò de diligendis parentib. præceptum etsi naturæ sit, tamen ex autoritate diuina ita obligat, ut nulla religio, quantumuis sacra, præiudicare illi queat. Sicuti nec uotum, nec professio. Collocat autem scriptura hunc honorem parentib. debitum Mat. 15. Pro. 23. Eccl. 3. Ephes. 6. in timore, reuerentia, subuentioneq́;, quæ qui neglexerit, ut eis scilicet uel maledicat, contemnat, egestate perire sinat, maledictioni Dei succumbit legibus humanis occidendus. Patet locus dicendi de mutuo parentum erga liberos, et libero-*

liberorum erga parentes officio. Secundo munitur pax, prohibetur contumacia erga gubernatores, ut sunt iniustæ cædes, iniusta bella, odia, inuidiæ. Tertio, Muniuntur coniugia, ne uagæ grassentur libidines, inordinatæ flammæ, furores amantium. Quarto, Muniuntur dominia rerum, ne manifesta & certa furta admittantur, ne imposturæ negotiationum, usuræ, βωλιμίαι, mendacia pactorum, contractuum, porrò hoc secundum præceptum secundæ tabulæ ut et tertium Christus Mat. 5. enarrat, dum prohibet priuata odia, uindictæ cupiditatem, externas corporum iniurias, & non tantum turpia libidinis delicta, sed etiam prauam animi concupiscentiam, damnans omnem concubitum extra legitimum matrimoniũ, eiusq́; concupiscentiam. Parit autem horum præceptorum neglectus in omni republica grauissimos motus seditiones, & excidia. Siquidem non ob sola odia et bella pereunt imperia, regna, urbesq́; : sed etiam occasione impudentissimarum libidinum, ut testantur historiæ de Sodomis, Dauide, Athenis, Troia, alijsq́; florentissimis regnis & regibus: etsi enim leges humanæ uix puniant libidines, tamen testantur scripturæ Deum grauissimè semper hæc puniuisse, & in iudicio puniturum. Ephes. 5. Quinto, Muniuntur diuina autoritate iudicia, præcipitur ueritas. Violant hoc præceptum omnes calumniæ forenses; fuci, elusiones in negotijs. Sexto, Septimo, His duobus præceptis intelligimus à Deo prohiberi, non solum opera externa, sed ipsam concupiscentiam quæ in

corrupat

corrupta natura est, quæ semper in se mala est, etiã si non accedat consensus, quia habet annexam contumaciam repugnantem legi Dei. Quatuor autem reliqua præcepta pulchrè confutant errores fanaticorum hominum, qui docent Euangelium tollere omnem proprietatem: quemadmodum hodie Anabaptistæ, Suuecfeldiani, & Adamitæ docent. Si euangelio tollatur rerum proprietas, ergo præcipitur bonorum communio, si omnia omnibus communia, nullum ergo perpetrari furtum potest. Si perpetrari nõ potest, frustra prohibetur. Sunt ergo iuxta impiam istorum doctrinam uxores, liberi, prædia, opes, iumenta, omnibus communia, quod natura horret. Alioqui & leges, & tribunalia. Ro. 13. autoritate diuina constituta, sunt tollenda, sed seipsam hæc phanatica doctrina dum prodit, destruit. Fideles autem intelligant omnia hæc diuina præcepta conferre seruantibus præmia. & negligentibus pœnas. Quanquam enim in primo tantum mentio fiat præmiorũ aut pœnarum, ad singula tamen præcepta pertinent: præmia sunt, qui fecerit ea uiuet in eis: pœnæ, maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in lege. Galat. 3.

SECVNDO, Naturam legis, cuius erat terrere timore pœnarum, dum ait: populum uidisse uocos, lampades, sonitum buccinæ, & montem fumigantem, quæ præterquam quod diuinam legislatoris maiestatem declarent, cuius potentiæ tota deseruiret mundi machina, pulchrè naturã explicant eorũ qui

timore ſub onere legis tanquam ſerui premuntur, nõ autem vt liberi ſub gratia conſtituti: hæc enim ſignificabant ſpiritum ſeruitutis, quo erant impellendi ad cultum unius Dei, & ab idololatria, ad quā ex conuictu Aegyptiorum erant propenſiſſimi, retrahendi. Sic nanq; ſolet Deus mentis elationem, animi ſuperbiam, & ſui contemptum deprimere externis terriculamentis, vt ſui timorem incutiat, qui licet iuxta Ioannem eſſe in charitate nequeat, quum perfecta charitas foras mittat timorem, introducit ille tamen charitatem non ſecus ac ſeta filum ſolet. Atque ideo quum perterriti, & ſtupefacti timore ſtarent attoniti Iudæi, atque omnem pollicerentur obedientiam Moyſi, dicentes: Loquere tu nobis & audiemus, vt facilè multa ſolet polliceri animus conſternatus, audierunt à Moſe: Nolite timere. Vt enim probaret uos, uenit Deus. Cuius exemplo debent Epiſcopi, paſtores, & miniſtri uerbi Dei, dū ſubditorum animos ſeueritate ſcripturarum in peccatorum cognitionem adduxerunt, & uident ex conſideratione iudicij diuini attonitos, mox earundem ſcripturarum ſuauitate erigere, ac docere, Deum ideo minari vt parcat: corripere non ut perdat, ſed vt emendet. Ezech. 18. Mat. 11. 1. ad Timot. 1.

TERTIO, Prohibitionem idololatriæ, cum præcepto ueri cultus, dicens: non facietis Deos argenteos: nec Deos aureos facietis uobis. Senechdochicῶs omnem idololatriam intelligens, omnemq; ſimpliciter cultum prohibens, qui cum iniuria creato-

ris

ris ſit coniunctus. Vide Sap. 14. Iſa. 46. Pſal. 113. ubi idola, autores, & cultores æternæ maledictioni deuouentur, quia confidunt in re nihili. ſcimus enim, inquit Apoſtolus, quod idolum nihil eſt in mũdo. Illi autem, vt habet Hiere. mutant gloriam Dei in idolum, qui confidunt in homine, ponunt carnem brachium ſuum, & recedunt à Deo, fodientes ciſternas diſſipatas quæ continere non ualent aquã. Hiere. 2. Hoc eſt, qui ſic à rebus creatis pendent, vt in eis ſpem omnem ac fiduciam collocent, hos demũ ueros appellare idololatras licet, vt de auaris teſtatur Apoſtol. Epheſ. 5. 1. Cor. 6. Hoc ioco abutuntur hæretici vt ſanctorum, & imaginum cultum euertant, ſed quàm rectè ipſi uiderint. Non enim fideles ſic uel imagines uenerantur, uel diuos colunt vt à Deo recedant, vt in eis, Deo neglecto, omnem fiduciam ac ſpem collocent, nunquam enim id permiſiſſet à ſpiritu ſancto edocta Eccleſia, ſed tantum modo ad uenerationem, ſuffragiorum impetrationem & ad imitationem & imaginum uſum, & ſanctorum memorias concedit. altare de terra facietis mihi, et offeretis ſuper illud holocauſta, pacifica ueſtra, & oues ueſtras, & boues, in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei: quibus uerbis ueram Deum colendi rationem præſcripſit, quæ in ratione ueri illius ſacrificij conſiſtit. Cuius typum omnia illa vetera ſacrificia gerebant, id eſt in ſacrificio illo cruento quod in cruce filius Dei obtulit in corpore ſuo, quod è carne terrena ſuſcepit. in hoc altari, id eſt, in huius me

rito quisquis sacrificium contriti cordis, spiritus con tribulati, uel laudis obtulerit, iuxta spiritualis sacerdotij, quo omnes fideles secundum Petrum sunt sacerdotes, consuetudinem, uerè patri in odorem suauitatis offeret sacrificium: idq; merito & efficacia altaris Christi, scilicet huius qui semetipsum obtulit immaculatum Deo, per quem accessum habet ad patrem per fidem, Rom. 5. omnia quæcunque petierit impetrat. Ioan. 16. saluatur ab ira per ipsum. Rom. 5. Sicut enim displicebat Deo olim uictima, quæ in alio quàm in terreo hoc altari offerebatur quamdiu in eremo errabant Iudæi, ita Deo inuisa est omnis oratio, quæ Christi merito non innititur: hunc etenim solum proposuit Deus propitiatorem eis qui & ignorant, & errant, uicti scilicet uel ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia rerum noxiarum.

FERIA V. HEBDOMADÆ tertiæ Quadrag. Epist. Hiere. VII.

VErbum quod factum est ad Ieremiam à Domino, dicens: Sta in porta domus domini, & prædica ibi uerbum istud, & dic: Audite uerbum Domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum. Hæc di-
Inf. 26. d. cit Dominus exercituum Deus Israel: Bonas facite

facite uias ueſtras, & ſtudia ueſtra, & habitabo uobiſcum in loco iſto. Nolite confidere in uerbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templũ Domini eſt. Quoniam ſi bene direxeritis uias ueſtras, & ſtudia ueſtra: ſi feceritis iudicium inter uirum & proximũ eius, aduenæ & pupillo & uiduæ non feceritis calumniam, nec ſanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, & poſt deos alienos non ambulaueritis in malum uobiſmetipſis: habitabo uobiſcum in loco iſto, in terra quam dedi patribus ueſtris à ſæculo & uſque in ſæculum.

Hac epiſtola Propheta agit tria.

PRIMO, *Iuſſu Domini Iudæos prætextu religionis impunitatem peccati ſibi pollicentes, quod ſcilicet Deũ uerbis faterentur ſe noſſe, factis uerò negarẽt, grauiter arguit ac reprehendit, damnans impiã hypocriſim, & quã imbiberant falſam ſuperſtitionẽ de Deo cõceptam, quaſi gentilium Deorum more, aut ſolo ſacrificiorum nidore, magnificis anathematibus & clamoſis orationibus. 3. Re. 18. quales erant Baalitarum, oblectaretur: quæ opinio eorum eſt, qui ex ſuo ingenio naturam diuinam æſtimant: nec aliud Deum eſſe ſomniant, quàm quod ratione aſſequi poſſunt. Itaque docet aliter longè de Deo ſentiendũ, & alia ratione colendum. Obſeruandus eſt hic lo-*

cus ab Episcopis, pastoribus, & prædicatoribus, quorum est stare in porta domus Domini accensos Zelo Dei, instructos uerbi cognitione, uitæ probitate, ne mens à lingua dissentiat; tum etiam eximere animis hominum falsas de Deo opiniones, epicuræam securitatem, & inanem fiduciam de sola fide conceptam. Vt enim impiè credebant Iudæi ob splendorem templi, quotidiana sacrificia, orationes frequentes tutos esse in conscientia, etiam si interim turpi lasciuia, & moribus improbis diffluerent, omni impietate & auaritia feruerent: ita uereor ne nunc quoque Christianorum magna pars, prætextu fidei aut religionis sibi impunitatem peccatorũ polliceatur. Stẽt ergo ministri in porta domus domini, ut scilicet ipsius uoluntatem annuncient.

SECVNDO, Ostendit quo cultu à fidelibus uelit Deus coli, & adorari, nimirum cultu, & inuocatione tam externo quàm interno. Nam toto errant cœlo qui Christum Ioan. 4. abstulisse arbitrantur omnem cultum externum, quando tantum, ut hoc loco propheta, hypocrisim, & superstitionem tollat, docens omnem externum cultum, si animi pietate destituatur & uera fide, laruam esse tantum, quam homines admirantur, non quæ Deo placeat. Qualis enim quæso esse potest eorum oratio, eleemosyna, uel ieiunium, quibus non dico peccatum, sed ne ipse quidem affectus peccati displicet: qui eleemosyna sibi uidentur uelle immunitatem peccandi mercari: ad lites & contentiones ieiunant, percutiunt pugno impie. Isa.

58. &

58.& quum iuxta Hiero.in cap.1. Isa. quotidianis operibus malis sanguine plenas habeant manus, in oratione dies noctesq́ coniungunt. Ideo purgari animum vult prius propheta, quod nequeat arbor mala bonos fructus facere. Matth. 7. Ideo, inquit: bonas facite vias uestras, & studia uestra. hoc est, vt loquitur Isaias cap.55. derelinquat impius uiam suã, uir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius. Ergo ne cum cæco dices, Deum peccatorem non exaudire, quod Augusti. damnat, & ea opera contemnes, quæ peccatores in statu peccati mortalis constituti agunt. Certè si dum agunt nulla ducantur peccati pœnitudine, nec resipiscendi proposito animo conceperint, nullius ergo apud Deum meriti hæc arbitror, nisi fortasse temporalis alicuius mercedis præmium mereri apud Deum, vt probitas Naaman, Syriæ meruit fœlicitatem. Romanorum iustitia orbis imperium. Atqui nunquam merebuntur æternam gratiam, uel gloriam, vt scilicet nobiscum habitet Deus per Spiritum diffusum in cordibus nostris: effugit enim fictũ & non potest habitare in corpore subdito peccatis. Sap.1.

TERTIO, *Dissuadet inanem fiduciam, quam facilè solet animus concipere ex obedientia religionis. Sic Iudæis non profuit circuncisio, quam docet Apost. fuisse signaculum iustitiæ, sacrificiorum oblationes diuinitus institutæ, cognitio promissionum diuinarum. templi cultus splendidissimus, & prædicatio prophetarum.*

tarum. Prohibet enim propheta ipſos confidere in uerbis mendacij, dicentes, templum Domini, templum Domini, putantes templi ornatum ac promiſſiones, quæ 3. Reg. 8. ipſi templo factas poſſe patrocinari ipſorum impietati. Ita uereor, ut nec nobis in ſeuero illo Dei iudicio proſint chriſtiani nominis profeſſio, fidei prærogatiua, ſacramentorum uſus, & cognitio ſcripturarum. quibus in hac uita cæteris gẽtibus præſtamus: ſi mens à lingua diſſentiat, ſi mores profeſſioni non congruãt. Nã, Apoſtolo teſte Galat. 5. nec circuncifio, nec præputium eſt aliquid, ſed noua creatura, id eſt, uera uitæ nouitas, qua deponẽtes mendacium et omne circunſtans peccati pondus, loquimur ueritatem cum proximo, & ut monet propheta iudicium facimus inter uirum & uirum, aduenæ, pupillo, uiduæq; non facimus calumniam, nec ſanguinem innocentem effundimus. Quibus uerbis propheta ſummam Chriſtianæ perfectionis complectitur, quam et Apoſtol. 1. ad Theſſa. 4. exprimit dicens: Ne quis circumueniat in negotio fratrem ſuũ, &c. Perſtringit autem propheta potiſſimum iudicum errata, qui facillimè ſubuertebãt iudicium; corrupti munerum largitionibus, tum quod plerunque ſenatorum ac principum mores populus imitetur. Prouer. 29. Eccleſiaſtici. 10.

FERIA

FERIA VI. HEBDOMAdæ tertiæ Quadrag. Epist. Num. 20.

CVmq́ue indigeret aqua populus, conuenerunt aduersum Moysen & Aaron, & uersi in seditionem, dixerunt: Vtinam periissemus inter fratres nostros coram Domino. Cur eduxistis ecclesiam Domini in solitudinem, ut & nos & nostra iumenta moriamur? Quare nos fecistis ascendere de Aegypto, & adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec uineas, nec malogranata, insuper & aquam non habet ad bibendum? Ingressusq; Moyses & Aaron dimissa multitudine in tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaueruntq; ad Dominum atque dixerunt: Domine deus audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ uiuæ, ut satiati cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. Locutusq́ue est Dominus ad Moysen: dicens: Tolle uirgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumq́ue eduxerit aquam de petra, bibet omnis multitudo & iumenta eius. Tulit igitur Moyses uirgam

Exo. 17. d

Sapi. 11. a

gam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram, dixitq; eis: Audite rebelles & increduli. Num de petra hac uobis aquam poterimus eiicere? &c.

Continet hæc historia quatuor.

PRIMO, *Iudæorum erga Mosen, & Aaron seditionem, ob inopiam aquarum concitatam, qua insignem suã quam de Deo habebant diffidentiam, & incredulitatem prodebant, dum toties illius potentiam experti persistunt tamen in incredulitate, cui sæuitiam adiungunt, vt semper est ad seditionem propensius populus iguorans quot eam incommoda sequi soleant, nimirum reipub. euersiones, regnorum depopulationes, principum cædes, legum ac iuris oppressiones, & incendia urbium aliaq́; innumera mala, vt contra pace ac concordia, res paruæ crescunt, ubi enim populus Deo & magistratui paret, imperia florent, regna dilatantur, æquitas & iustitia viget, principes suauiter regunt summa denique fœlicitate agũtur omnia. Parcendum igitur superiori authoritati, non solum propter Deum, sed etiam propter conscientiam. Ro. 1. Neque statim gubernatorum negligentiæ imputandum si quæ calamitas in repub. accidat, sed uoluntati diuinæ vel punienti peccata, uel exercenti nostram patientiam, uel probanti fidem & erga ipsam obedientiam. Sic enim solet Deus suos subinde exer*

cere

cere fame, peste, bellis, & inopia. Quæ quum sint pijs exercitia virtutum, & impijs pœnæ peccatorum, nec præter Dei voluntatem accidant, nunquam possunt principum aut magistratuum negligentiæ imputari, nisi fortè quia ipsorum peccatis Deus irritatus statuit punire, vt de Dauide docet scriptura.

SECVNDO, Quid in rebus dubijs agendum sit magistratui ecclesiastico, & ciuili dum furit ignobile uulgus, nec vlla superesse ratio videtur prohibendi mali, sed periculum est augendi potius quàm minuendi si obsistas. Proinde communi concordia orent in tabernaculo fœderis, Deum ex fide inuocent, & populi necessitatem exponant, est enim in rebus afflictis vnica ex fide ancora orationis amplectenda, exemplo Mosis, Aaronis, Dauidis, 2. Reg. 24. Ezechiæ. 4. Reg. 19. Quanquam enim non ignoret Deus nostras afflictiones, vult tamen à nobis sibi exponi ac declarari, vt iuxta Aug. epist. 121. ca. 8. exerceat desiderium nostrum, probet fidem, moneamur nostræ imbecillitatis, & agnoscamus illius potentiam. Est autem obseruanda huius orationis quam pro populo Deo obtulit Moses methodus. neque enim vt erat clementissimus, petijt rebellis populi interitũ, perniciem, & uindictam. est enim hoc tyrannorum, non eorum qui rempubl. suam saluam cupiunt, exigebat quidem ordo iustitiæ vt tantum facinus impunè nõ fieret. Atqui ueri est principis ita mala punire, vt tamen seruet potius quàm perdat subditos. Neque irrita esse potest talium oratio, sicut neque Mosi fuit. Nã apparens

apparens subito gloria domini ostendit diuinam protectionem, & auxilium cœleste omnem magistratũ si quaudo Dei causam egerit tueri ac defendere, vt qui sit minister Dei.

TERTIO, fauorem, quem Deus legitimo magistratui populari seditione oppresso exhibere solet dum tam repente audit orantem, consolatur in afflictione constitutum, & remedium præbet quo necessitati succurratur. Tolle inquit uirgam, & congrega populũ, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram, & illa dabit aquas. Hunc locum quia Paulus ad sublimiorem, id est, allegoricum sensum traxit, age & illum sequamur. Docet enim hoc facto significatam fuisse gratiam noui testamenti per Christum allatã, uirtutem sacramenti baptismi quo regeneramur in spem uiuam, & suauitatem scripturarum qua sitibũdos est consolatus dum ait. 1. Corinth. 10. Bibebant autem de spirituali consequente eos petra: Petra autem erat Christus. Huic præceptum erat vt loqueretur Moses coram multitudine, id est, vt Iudæi crederent Christum esse verum Messiam in lege promissum, filium Dei uiui conditorem cœli & terræ, & redemptorem generis humani. Atqui dum Moses non paret Dei uerbo. sed ex incredulitate dubitat, nec petram vt debebat alloquitur, sed percutit, primus ictus irritus fuit, ita humilitate Christi offensi Iudæi negant ipsum esse filium Dei, & dum incredulitati odium addunt, & prætextu legis ipsum legis autorẽ persequuntur, iusto Dei iudicio fit, ut finem legis iustitiam,

tiam, remissionem peccatorum, & uitam æternam non assequantur, quia offenderunt in lapidem offensionis & petram scandali. Atqui ut secundo ictu egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta, ita factum est vt dum Christi humanitas crucifixa est, & factus est fons patens domui Iacob in ablutionem menstruatæ, copiosissimè sese in Iudæos, & gentes effuderit plenitudo collecta ex vtrisque Ecclesia, in qua erit ipse Christus omnia in omnibus.

QVARTO, Iustum supplicium quo est ob suam de Dei potentia, & cirtute diffidentiam punitus Moses. Nullum enim peccatum æquè solet Deus in sanctis detestari quàm ipsam incredulitatem, propter quam ut loquitur Apostolus disceditur à Deo uiuo. Hebr. 3. uenit ira Dei super filios diffidentiæ, Ephes. 5. & pœnis tam corporalibus quàm æternis à Deo punimur. Quanquam enim incredulitas fidem Dei euacuet, & credulitas eam magis confirmet. Est enim Deus uerax, uult tamen potissimè perfecta fidei protestatione à nobis coli, uult nos credere uerbo ipsius, ex ipso pendere & sperare, & in ipsum fiduciam omnem collocare, non solum corde credendo, sed etiam ore confitendo & prædicando (maximè in rebus dubijs & aduersis) ipsius admirabilem potentiam, maiestatem, & gloriam. Hæc qui non fecerit, grauissimè sustinebit iudicium. Sicut enim Moses exilio terræ sanctæ plectitur, ita nisi pœnitentia subsequatur æterna illa beatitudine nunquam potietur, qui coram multitudine Deum non sanctificauerit. Ergo ip

sum

ſum vt oportet ex fide inuocemus, agnoſcamus ipſum patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolatio nis, & laudemus cũ propheta dicentes: Dominus regit me & nihil mihi deerit, &c. Pſal. 22. ſic fiet ut petræ huius aquas uiuas accipiamus, ſpiritum nimirũ gratiæ cœleſtis.

SABBATO ANTE DOMINIcã quartam, Quadrageſimæ. Epiſt. Dan. XIII.

ET erat uir habitans in Babylone, & nomen eius Ioacim: & accepit uxorem nomine Suſannam filiam Helciæ, pulchram nimis, & timentem Deum, parentes enim illius cùm eſſent iuſti, erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſi. Erat autem Ioacim diues ualde, & erat ei pomarium uicinum domui ſuæ: & ad ipſum confluebant Iudæi, eo quòd eſſet honorabilior omnium. Et conſtituti ſunt duo ſenes iudices in illo anno, de quibus loquutus eſt Dominus, Quia egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus iudicibus qui uidebantur regere populum. Iſti frequentabant domum Ioacim, & ueniebant ad eos omnes qui habebant iudicia. Cùm autem populus reuertiſſet per meridiem, ingrediebatur Suſanna, & deambulabat in pomario uiri ſui. Et uidebant eam ſe-

nes

nes quotidie ingredientem & deambulantem: & exarſerunt in concupiſcentiam eius, & euerterunt ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos ſuos ut non uiderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum. Erant ergo ambo uulnerati amore eius, nec indicauerunt ſibi uiciſsim dolorem ſuum: erubeſcebant enim indicare ſibi concupiſcentiam ſuam, uolentes concumbere cum ea. & obſeruabant quotidie ſollicitius uidere eam. Dixitq́ue alter ad alterum. Eamus domum, quia hora prandii eſt. Et egreſsi receſſerunt à ſe, &c.

Hiſtoria Suſannæ complectitur quatuor.

PRIMO, *Libidinoſorum ſenum intemperantiam, qua œſtro libidinis perciti, Suſannæ ſanctiſſimæ, caſtiſſimæ, & formoſiſſimæ, freti ea quam ſuſtinebant dignitate, pudicitiam tentant. Unde agnoſcere licet quam ſunt Dei dona, ut ſunt potentia, authoritas, diuitiæ, & dignitas, periculoſa iis qui Dei ſunt deſtituti cognitione & timore: facilimè enim eis in grauiſſimam ſui perniciem abutitur caro, dum uidet poſſe impunè ſe ſuam explere libidinem. Nam remota Dei, & hominum reuerentia & timore, quibus ceu frenis humana coercetur audacia, mox cæca in præceps ruit, & pro affectus uarietate uel ad libidinem, auaritiam, dominatum, ſuperbiam, et inuidiam trahitur animus, iudicio ita ſopito, ut ne ueſtigium il-*

lius superesse uideatur: facile namque rationem superat animi perturbatio, quo fit, ut honestum, decorum, iustum, & æquum negligat, quemadmodum hi impij senes, libidine iam ebullientem animum circunferentes, deposita personæ, et dignitatis quã gerebant consideratione, exarserunt in concupiscentia, euerterũt sensum, declinauerũt oculos suos ne uiderent cœlum, nec meminissent iudiciorum iustorum. Hos nanque tristissimos fructus parit hoc malum. Obserua quæ ex illicito alienæ formæ aspectu homini accidant mala, uide Ecclesi. 26.23.

SECVNDO, Susannæ in sua pudicitia tuenda ad extremnm usque mortis periculum constantiam, quanquam nonnihil offenderit solitaria deambulatione, & corporis parum licita denudatione. est enim ubique uitandum non tantum malum, sed mali occasio, quia cum in hostili uersemur solo, continuis est opus excubijs: aduersarius etenim noster, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret: excusari tamen potest Susanna, quia non uoluptati, sed corporis tantum necessitati inseruiuit. Si dicas eam non adhibuisse eam prouidentiam, quam decet honestam matronam in eo casu adhibere: ego id potius Dei ordinationi, & consilio imputarim, uolentis tantum pudicitiæ exemplar, omnibus præsertim coniugatis ad imitationem proponere, quibus hodie, prô dolor, penè locus est thori fidem uiolare. Atqui non sic Susanna, quæ adulterij grauitatem exactius per solam perspexit legem, quàm multæ Christianæ gratia fidei

sibi

sibi blandientes. Nam oppressa inopinato insultu eorum qui dignitate, officio, & authoritate cæteris omnibus præstarent, fortiter pudicitiam tuetur, & tã quam adamantino pectore foret, ipsorum impudentiam superat, concepta de diuino adiutorio fide, qua credidit illum non deserere sperantes in se: ipsorum preces spernit, & comminationes superat, non, ut Romana Lucretia, admissum scelus ultore ferro uindicat, flagitium flagitio puniens: sed clamore fiduciæ in Deum pleno animi dolorem testata: Angustiæ, inquit, mihi sunt undique. Si egero, mors mihi est: si non egero, non effugiam manus uestras. Vide quibus ærumnis, periculis, & molestijs suos exercere Deus soleat: quos ita subinde deserit, quasi omnem ipsorum curam abiecisset, sed omnia potius sustinent electi, quàm ut hanc fiduciam animo suo deponant. Est enim iustus quasi leo cõfidens. Prouer. 28 Atque ideo sanctissima nostra Susanna, eligit potius absque opere incidere in manus hominum, quàm peccare in conspectu domini, quo uelut forti ariete libidinosos uicit senes, & suam mundo testatur innocentiam.

TERTIO, Calumniam, qua opprimere nituntur iniquissimi iudices falsa accusatione, testibus corruptis, & iudicibus peruersis innocentissimam Susannam. Etenim contra ordinem iuris sibi qui aduersarij fuerant, testium, iudicumq́; partes uendicant, sistitur rea iudicio, patrono destituitur, criminis ut putatur, magnitudine patrocinium renuente, omnium calculis, quæ ex odio, & inuidia erat concepta, mor-

 tis

tis sententia comprobatur: vtpote ab ijs prolata, quorum sacrosancta semper fuerat apud homines religio, pietas, et pudicitia. Tanti enim est concepta semel probitatis opinio, vt authoritatem cõsecuta quiduis penè possit impune, coram mundo, quo fit vt nulla sit nequitia detestabilior, quàm quæ sanctimoniæ prætextu uelatur, vt nec hostis est perniciosior, quam qui sub amici specie latitat. Sed hoccine potest ferre Dei prouidentia, vt adulteri, libidinosi, perfidi, impij & sacrilegi iuris prætextu opprimant ipsam castitatem, pudicitiam, fidem, pietatem, & religionem. Nequeo profectò quin hic exclamem illud propheticum Abacuc 1. Quare taces domine conculcante impio iustiorem se? & vt est Ecclesiastes 4. Innocentis lachrymæ non habent consolatorem, innocentia Susannæ uiolentiæ iudicum non potest resistere, & castitatem luxuria opprimit. Certè huius quæstionis difficultate Dauid expauit Psal. 72. Hiere. ca. 12. Atqui apertissimè docet hic locus impiorum fœlicitatem non fore diuturnam, nec innocentium calumniam fore apud Deum inultam.

QVARTO, Admirabilem Dei potentiam, qua eam quæ per calumniam impiorum iudicum opprimebatur, non potenter tantum, sed seruata iuris æquitate, iustoq; facto examine liberauit, tali iudice substituto, qui ab affectibus, amore, odio, & maleuolentia, animum haberet liberum: siquidem omnis corruptus iudex malè examinat uerum: atque ideo excitauit spiritum pueri iunioris, cui nomen Daniel,

qui

ex authoritate diuina pro rea instituto patrocinio, appellat à lata sententia ad exactiorem causæ cognitionem, testium productionem, & circunstantiarum inquisitionem. ex his enim rei veritas deprehēdi in iudicijs solet. Itaque diuulsis ab inuicem impijs iudicibus, ne communicare sua consilia possent, prudenti examine calumniam deprehēdit, dum hic schinum, id est, lentiscum, & alius prinum, id est, ilicem, describeret arborem, ad perpetrati facinoris locum designandum: ex qua discordia iusto Dei iudicio falsitate deprehensa, absoluta Susanna est, talionis sententia impijs irrogata: tanta enim est Dei æquitas iustitiaq;, vt veritatem, iustitiam, & innocentiam nunquam omnino deserat, & si quandoque uideatur eam prorsus neglexisse. Sic enim solet Deus electos suos quandoque ad extrema quæque, imò ad ipsas usque portas mortis demittere, vt Danielis 3. tres pueros in fornace: ipsum Danielem in lacu, cap. 14. vt dum potenti virtute, & præter expectationem liberātur, agnoscant potentiam, & virtutem Dei, nec suæ tribuant aut industriæ, aut prudentiæ, sed soli Deo reddant gloriam, laudem, & honorem.

DOMINICA QVARTA Quadragesimæ. Epistola Galat. IIII.

Gen.16.b SCriptum est enim, Quoniam Abra
ham duos filios habuit: unum de
ancilla, & unum de libera. Sed qui
de ancilla, secundùm carnem na-
tus est: qui autem de libera, per repromissio-
Gen.21.a nem: quæ sunt per allegoriã dicta. Hæc enim
sunt duo testamenta. Vnum quidem in mon-
re Sina in seruitutem generans: quæ est Agar
(Sina enim, mons est in Arabia: qui coniun-
ctus est ei, quæ nunc est Hierusalem) & seruit
cum filiis suis. Illa autem quæ sursum est Hie
rusalem, libera est: quæ est mater nostra. Scri-
Esa.54.a. ptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris,
Luc.23.b. erumpe & clama, quæ non parturis: quia mul
ti filii desertæ, magis quàm eius quæ habet ui
Rom.9.b. rum. Nos autem fratres, secundum Isaac pro
missionis filii sumus. Sed quẽadmodum tuni
cis qui secundùm carnem natus fuerat, perse-
quebatur eum qui secundùm spiritum: ita &
Gen.21.a nunc. Sed quid dicit scriptura? Eiice ancillam
& filium eius, non enim hæres erit filius ancil
læ cum filio liberæ. Itaque fratres, non sumus
ancillæ filii, sed liberæ: qua libertate Christus
nos liberauit.

Agit

Agit Apostolus hac epistola tria.

PRIMO, *Eleganter exprimit naturam legis terrentis sub enigmate Agar, & Ismahelis, qui per allegoriam, qua aliud ex alio intelligitur, iuxta August. li. 15. de Trinit. cap. 9. exprimunt legis per Mosen datæ imperfectionem: utpote propter transgressionem positæ. quemadmodum enim ancilla, & filius ancillæ nihil iuris in ipsam Abrahæ hæreditatem sibi uendicare potuerunt. (Nam illa timore tantum, & spe temporalis mercedis seruiens, dum procaciter Sarã irridet, ex præcepto diuino domo protruditur: & Ismahel qui illicito ludo Isaac illusit, abyciebatur ne esset hæres cum filio liberæ,) ita & illos ostendit Apostolus, qui suis uiribus se iustificari posse credunt, propriã iustitiã statuere uolunt, et in lege iustificari præsumunt, à gratia excidisse, nec posse iustitiæ Christi subyci. Neque enim qui ex operibus, sed qui ex fide sunt, hi sunt fily Abrahæ. Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Manifestum est enim, quia ex lege nemo iustificabitur apud Deum. Si enim data esset lex quæ posset uiuificare, omnino ex lege esset hæreditas. Abrahæ autem per repromissionem promisit Deus. Non enim Ismaheli, quem virtute seminis genuit Abraham, & iuxta naturã peperit mater, facta est promissio: siquidem ut est ἀξίωμα iuris, partus sequitur uterum: ut aliud nihil nisi seruus esse possit, qui ex ancilla nascitur; nisi*

 forte

ſortè principis beneuolentia hæreditario iure donetur. Qua analogia pulchrè demonſtrant Apoſtol. Iudæorum opinionem de carnali generatione, qua ſe iactabant filios Abrahæ, eſſe futilem & inanem, atque adeò carnalem generationem ipſis non prodeſſe, niſi ſequantur ueſtigia fidei, quod ut poſſent, ſolius eſſe gratiæ Dei, & naturam gratiæ adiuuantis, quam vult intell gi ſub nominibus Saræ, & Iſaac. Ut enim Sara non uirtute naturali, aut carnis, ſed ſolius gratiæ beneficio, iuxta promiſſionem, quæ merè gratuita fuit, concepit, & peperit: ita & electi à Deo ab æterno, ſecundum propoſitũ gratiæ, & in adoptionem filiorũ, nullis operum meritis uocati ſunt (ipſa enim prædeſtinatio & uocatio omne meritum præcedunt humanum) ut gratia Dei cognoſcatur, quæ ſi operibus redderetur, gratia non eſſet. Ro.11. Ei enim qui operatur merces imputatur, ſecundum debitum, non ſecundum gratiam. Rom.4. Rectè igitur fides omnia merita præcedit humana: Nam intellectum, voluntatem, & rationem ſola fides dirigit, quæ Auguſtino teſte, prima datur: per quam cætera impetrantur, quæ rectè opera nuncupantur. Epiſtola 105. Atque hoc eſt quod hac analogia docet Apoſtolus, promiſſionem Abrahæ & ſemini eius factam, non eſſe per legem, aut per naturam, ſed per iuſtitiam fidei, quæ nullo merito paratur humano, ſed ſola Dei gratuita miſericordia, quemadmodum quod Abraham contra ſpem in ſpem credidit, Deo peregrinationem præcipienti obediuit, & filium in altari offerre paratus

tus fuit, aliaq; admiranda opera fecerit, singularem in ipso commendat gratiam Dei, & animi promptitudinem, per quam Apostolo teste iustificatus est. Iacob.2.

SECVNDO, *Ostendit miseriam eorum, qui oblationibus, victimis, & sacrificijs, alijsq; innumeris legis operibus, & praeceptis iustificari voluerunt. Quanquam enim innumera essent praecepta, utpote secundum Rabinos. 613. nimirum affirmatiua 248. negatiua 365. nulla tamen eorum ad perfectum adducere quenquam potuerunt: quia omnia, vt Agar, in seruitutem generabant, omnes enim quibus lex dominabatur sub maledicto legis erant constituti: siquidem euacuati erant à Christo, & à gratia exciderunt. qui per legem iustificari se posse confidunt: quando legis officium erat, dare peccati cognitionē. iram operari, transgressionem cohibere, vt non immerito eam paedagogo comparet Apostolus, eo quod ad perfectum neminem adduxerit, sed terrendo, & iubendo dura seruitute presserit, ea praecipiendo quae sine gratia impleri non possunt, hominiq; suam imbecillitatem ostendendo, vt agnita infirmitate quaerat redemptorem, qui in nobis perficiat quod impossibile est legi scilicet, adimere spiritum seruitutis, & dare spiritum adoptionis. siue vt loquitur propheta Ezech. ca. 36. auferre cor lapideum, & dare cor carneū. Quo fiat, vt lex quae dura est cupiditati, lenis fiat amori, qui per spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris. Rom. 8.*

TERTIO, *Docet quanta sit fœlicitas fidelium, qui de libera per repromissionem renati sunt, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, nimirũ per uerbum Dei viui, & per fidem Iesu Christi. est enim fides, quæ regenerat, ac filios Dei efficit, sed per uerbũ & elementum. Iuxta illud Galat. 3. Omnes vos filij Dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu, qui dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Tantam autem ostendit Apostolus hanc esse gratiam, vt suos eximat à seruitute legis Mosaicæ, peccati, diaboli, & corruptionis, ac transferat in ueram libertatem, non carnis, qua seruiant concupiscentijs proprijs, sed in libertatem spiritus, quæ nullo pacto iustis ac pijs maiorum decretis repugnat, aut etiam magistratus Ecclesiastici, & ciuilis constitutionibus, vt apertè docent scripturæ, ad Tit. 3. 1. Petr. 2. Roman. 13. quanquam hodie plures hæretici secus doceant, atque adeò ui & armis, quum scripturis nequeant, demonstrent. Paulus uerò quum docet nos non esse filias ancillæ, sed liberæ significat nos uerè esse ereptos de maledicto legis, mortuos legi per corpus Christi, & translatos nos esse in libertatem gloriæ filiorum Dei. eleganter exprimens discrimen legis & Euangelij. Vti enim ancilla, ita & lex seruos genuit: atque vt Sara, ita & gratia Euangelij filios & hæredes Dei per spiritum sanctum produxit. Merito ergo dignitatem suam agnoscere debent fideles.*

FERIA

FERIA II. HEBDOmadæ quartæ Quadrag. Epist. 3. Reg. 3.

TVnc uenerunt duæ mulieres meretrices ad regem, steteruntq; corā eo, quarum una ait: Obsecro, mi Domine, ego & mulier hæc habitabamus in domo una: & peperi apud eam in cubiculo. Tertia autem die postquam ego peperi, peperit & hæc: eramus simul, nullusq; alius nobiscum in domo, exceptis nobis duabus. Mortuus est autem filius mulieris huius nocte: dormiens quippe oppresſit eum. Et cōsurgens intēpestæ noctis silentio, tulit filiū meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocauit in sinu suo: suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo. Cumq; surrexissem mane ut darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non esse meum quem genueram. Responditq; altera mulier: Non est ita ut dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem uiuit. Econtrario illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus uiuit, & filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege. Tunc rex ait, Hæc dicit, Filius meus uiuit, & filius tuus mortuus est: Et ista

ista respondit: Non, sed filius tuus mortuus est, meus autem uiuit. Dixit ergo rex, Afferte mihi gladium. Cumq; attulissent gladium coram rege, Diuidite, inquit, infantem uiuũ in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri, &c.

Continet hæc epistola tria.

PRIMO, *Improbam duarum meretricum contentionẽ infantis uiui causa. Quarum una alteram infanticidij accusat coram rege Solomone, quem admirabili sapientia, iudicio acutissimo, & iustitia summa Deus præ cæteris terræ regibus ornarat, ut merito in tam iuuenili ætate, 12. enim tantum erat annorum, admiranda fuerit eius prudentia, utpote humana industria parta, sed diuinitus concessa. Voluit enim hunc typum gerere ueri regis Christi, qui suos diuinitatis potentia, uirtute uerbi, & scuto fidei tum defenderet ab aduersarijs potestatibus, tum discordes uarijs opinionibus ad fidei cõcordiam redigeret. Ioannis 10. Etenim quàm discordibus sententijs ante Christi aduentum mundus laborarit, ex philosophorum uel solis nominibus intelligi potest, dum ab Academicis dissentiunt Stoici: à Stoicis Epicuræi: ab Epicuræis Platonici, contendentes de uera fœlicitate, quam ne ipsi quidem intellexerunt. Quæ contentio ante dissolui non potuit, quàm uerus Solomon Christus, qui factus est nobis à Deo patre sapientia, iustitia sanctificatio, & redemptio, in quibus est*

ho-

hominis uera fœlicitas, aduenit qui non humana prudentia, ſed uirtute uerbi contentionem diſſoluit. Patres hoc diſſidium mulierum de infante uiuo, & mortuo referunt ad altercationem ſynagogæ, & Eccleſiæ; quæ uerò Solomone præſente, hoc eſt Chriſto iam reuelato, orta eſt de obſeruatione legalium cære moniarum, uolendo infantem uiuum, gratiam ſcilicet noui teſtamenti, diuidi admixtione legalium.

SECVNDO, *Defenſionem unius accuſatæ, quæ non conſtat aliqua euidenti probatione, teſtium productione, circunſtantiarum allegatione, ſed ſola facti negatione cum iniuriæ illatione. Reſpondet autem defenſio accuſationi, quæ nuda narratione conſtabat, ut difficillimum fuerit uerum deprehendere, utrinque ſaltem uel ueriſimili probatione deficiente, quæ pulchrè nobis refert Stoicorum, academicorum, platonicorum, & peripateticorum, epicureorumq́; de ſummo bono diſputationes, quæ licet lectoribus uideantur uarijs argumentis, probationibus, & rationibus confirmari: tamen ſi ad rationis & fidei limam exigas, uix aliud quàm nudam inuenias ſententiæ aſſertionem, addita iniuriarum cõgerie in eos qui contrariam ſequuntur ſententiam, quod unius Ariſtotelis ſcripta abundè teſtantur. Atque eodem planè paſſu pro infante uiuo, ueritate ſcilicet fidei, & uero ſcripturarum intellectu, incedunt noſtri temporis hæretici: dum lutherani, caluiniani, anabaptiſtæ, ſuuencfeldiani, adiaphoriſtæ, & ſacramentarij non minus inter ſe, quàm cum catholicis*

tholicis pugnant, iniuriarum plaustris sese mutuo onerantes, dum alter alteri plusquam hæreticus est, & infanticidij sese mutuo accusant, falsitatis nimirum scripturarum. Atque eo periculosius est hoc certamen, quod ueri iudicis tribunal uereantur adire. Sed contra ordinem iuris seipsos, de quo est controuersia, id est, scripturam nullum prorsus iudicem statuũt, vt Lutherus, qui sese uelut orbis aristarchum statuit, Caluinus & Melancthon, qui semper ad scripturas, appellant, & suuencfeldiani, & euthousiastæ, qui unumquenque suæ conscientiæ esse relinquendum, aut suis reuelationibus docent.

Tertio, Iudicium Solomonis, quo per inhabitantẽ spiritum sapientiæ potuit ueram infantis uiui matrẽ ex ipso naturæ instinctu deprehendere: naturam enim intelligebat infanticidij crudelitatem, sanguinis materni effusionem, & prolis propriæ cædem abhorrere, ideo certius quàm uel ex testibus, quos sæpe falsum deponere contingit, uel ex circunstantijs, quæ fallere subinde solent, posset, iudicium profert. Prolata nanque de occidendo infante uiuo sententia, ueræ matris commota sunt uiscera, vt malit dulcissimo suo carere pignore, quàm tantum nephas aspicere. Vt contra quæ sine partus dolore alienæ prolis beneficio frui uolebat, stimulos non experta naturæ, ratam petit iudicis sententiam, sed falsi conuicta, causa cadit, dum iniquè petit. Vtinam nunc tandem contendentibus hæreticis, schismaticis, & contentiosis cum catholicis de summa religionis christianæ, id

est,

est, ueritate fidei & scripturarum, in qua salutis nostræ cardo uersatur, adsit uerus ille Solomon Christus, qui spiritu oris sui ueram uiri infantis matrem prodat, fraudes hæreticorum, perfidia sua infantem opprimentium: eam nempe quæ secundum pietatem est ueram doctrinam, detegat, vt lite sopita, omnes unam agnoscant ecclesiam Christi sponsam, quõdam quidem meretricem, dum idololatriæ seruiret, nunc uerò mundatam in sanguine Christi: cui et infantem uiuum dedit, dum Apostolis aperuit sensum vt intelligerẽt scripturas. Errat enim quisquis alibi quàm in uera Christi Ecclesia, quæ columna, & firmamentum est ueritatis, uerum scripturarum intellectum inuenire se posse credit: in hac est spiritus ille, qui docet omnem ueritatem, quem qui in ecclesia esse negauerit, aliud nihil quam vt improba hæc meretrix dissecari infantem viuum petit, dum pro suo arbitratu impiè scripturas deprauant, vt solent indocti, & instabiles, ad suam ipsorum perditionem. 2.Pet.3. quo fit vt iusto Dei iudicio, quemadmodum aliena hæc meretrix ab infante uiuo, ita illi à uerò excidant scripturarum intellectu, excæcante eos malitia ipsorum.

FERIA

FERIA III. HEBDOmadæ quartæ Quadragesimæ. Epist. Exod. XXXII.

Deu.9.b. LOcutus est autem Dominus ad Moysen dicens: Vade, descende, peccauit populus tuus quem eduxisti de terra Aegypti. Recesserunt citò de uia, quam ostendisti eis: feceruntq; sibi uitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt.
3.Re.12.g Isti sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Rursumq; ait Dominus ad Moysen:
Inf. 33.a. Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit: dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam. Moyses autem orabat Dominum
Ps. 105.b Deum suum, dicens: Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum: quem eduxisti de terra Aegypti, in fortitudine magna,
Num. 14. & in manu robusta. Ne quæso dicant Aegyptii: Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret è terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, di-
Genes.12. b.48.c. cens: Multiplicabo semen uestrum sicut stellas cœli: & uniuersam terram hanc, de qua lo

cutus

cutus ſum, dabo ſemini ueſtro, & poſsidebitis eam ſemper. Placatusq; eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum.

Proponit hæc epiſtola tria.

PRIMO, *Deteſtabilem Iudæorum ingratitudinem, qua neglectis omnibus Dei beneficijs, ut libertatis Aegyptiacæ, eductionis per mare Erythreum, alimoniæ cœleſtis, & protectionis diuinæ contra omnia ingruentia mala, leuiſſima occaſione, ob diuturniorem Moſis ſcilicet abſentiam, furibundo quodam impetu in idololatriam ferebantur, tanta ueſania, ut pretioſiſſima quæque in eam impietatem profunderent: ex quo agnoſcere licet quid improba poſſit cupiditas, malorum omnium radix. 1. ad Timoth. 6. Porrò ex hoc agnoſcimus quos fructus producere ſolet populus paſtore deſertus, nimirum Dei neglectum, fidei contemptum, laſciuiam, impietatem, et idololatriam: ſic hodie uidemus non ſine magno religionis Chriſtianæ damno, florentiſſimas Reſpublicas paſtorum aut abſentia aut negligentia, quemadmodum Iſraelitæ, turpiſſimis flagitijs Deum irritare, dum paſſim quæuis admittitur religio, licentia uiuendi conceditur, & miniſtrorum uerbi nullus habetur delectus: quo fit ut pro uera religione hæreſim paſſim amplectantur idiotæ, & quia plurima permittunt quæ carni adlubeſcunt eis, non ſecus ac Iſraeli-*

Iſraelitæ, ſuos Deos laudant, in eis ſalutis ancoram collocent, vt non immerito grauiſſimè nobis indies minatur uideatur Deus bella, ſeditiones, peſtem, famem, & interitum. Neque uerò emphaſi caret quod Moſi dixit Deus, Peccauit populus tuus, quaſi dicat, hactenus dum mihi paruit, meus fuit populus, illius ego curam ſuſcepi, eam nunc prorſus abieci. Quod vtinam hodie de populo Chriſtiano non dixerit Deus, quum nullus penè eo in toto orbe ſit miſerior, & qui tot ſectis & opinionibus inter ſe diſſideat, tot diſſidijs laboret, tot flagitijs diffluat, vt penè uideatur Deus illius abieciſſe curam, & merito iraſci, quum nemo ſit qui ſe illius iræ opponat.

SECVNDO, *Stupendam Moſi manſuetudinem, qua ſeſe uelut murum oppoſuit irato Deo, dum omnia ſua poſtponit ſuæ Reipubl. ſaluti, vtilitati, & fœlicitati, magis eligens abiectus uiuere, quàm ſuorum ſtragem intueri, quod demum ueri principis eſt officiū, ſacri æquè ac prophani, qui in hoc à tyranno differt quod hic eſt ſuorum pernicie, incommodis, & interitu ſuum faciat commodum, cædibus ac ſanguine nunquam ſatur, quem uerè iuxta Sophoniam lupum dixeris, ca.3. Item Ezech.22. Sed quo quæſo ariete gliſcentem iam Dei iram fregit ſanctiſſimus Moſes? non certè corporeo, ſed precibus, oratione, & deprecatione, armis ſanè efficaciſſimis, & quæ uel ipſum penetrare cœlum poſſunt: ſi quando animo ſincero, conſcientia bona, atque fide non ficta Deo offeruntur, ſic enim non niſi ex ipſius ſpiritu proficiſcitur,*

qui

qui quomodo orare oporteat, docet Ro.8. Ea autem est ueri fideles libertas, ut Deum sibi quasi deuinciat autoritate suarum promissionum ut negare non possit. 2. Timot. 2. & compellat, mutato irato affectu quo punire decreuit, gratiam tribuere, & peccatum delere, dum ait: memento Abraham, Isaac, & Iacob, quibus iurasti per temetipsum, &c. Vide ex hoc loco quid sanctorum preces apud Deum possint. Item, nume. 16. occurrit Aaron iræ Dei. plurimi enim est apud Deum deprecatio iusti. Iac. 5. Neque uerò promissionum suarum tantum commonefacit Deum Moses, sed addit quanta ab impijs ipsius gloriæ ignominia, iniuria, & blasphemia impingeretur, si pro meritis, tantum scelus punire pergat. Ne quæso dicant Aegyptij, inquit, callidè eduxit eos, etc. quasi dicat, non mihi tantum, sed tuæ potentiæ, derogabant hostes nominis tui. Tu impotentiæ, imbecillitatis argueris ô Deus ab infidelibus, quod tantam multitudinem passus sis in uasta hac solitudine occumbere, quæ sese defendi posse tua potentia sperabat. Potest & hæc oratio hodie afflictæ Ecclesiæ accommodari.

TERTIO, Dei immensam misericordiam qua sese exorari tam leniter passus est, ne tantum scelus pro meritis damnatione, excidio, & morte æterna puniret, re ipsa haud dubiè declarans nolle se mortem peccatoris. Ezech. 18. sed sua benignitate ad pœnitentiã omnes inuitare. Ro. 2. est enim apud ipsum misericordia & copiosa redemptio. Psal. 129. Pulchrè

autem ut docet Tertullianus lib. 2. contra Marcionem. Hîc Moses imaginem refert Christi, patrem suum pro genere humano oratione, passione, & morte sua exorantis, qui solus est propitiatio pro peccatis nostris ac totius mundi. 1. Ioan. 2. qui in hoc apparuit ut dissolueret opera diaboli. 1. Ioan. 3. qui et patrem nobis propitium fecit, dum quod aduersum nos erat chyrographum decreti deleuit, affigens cruci. Colos. 2. Cuius merito ob peccatum damnationi obnoxia natura humana, æterno patri reconciliatur: dum ex filijs iræ, fiunt uasa misericordiæ, & restituitur, dum erepta de potestate tenebrarum, transfertur in regnum dilectionis filij sui. Ut iuxta Apostolum sint Rom. 8. hæredes Dei, & cohæredes Christi, quibus non potest non esse propitius pater, si enim tanti esse potuit apud Deum solius hominis Mosi oratio, ut tam horrendi peccati condonationem impetraret, quid non poterit, Dei & hominis Iesu Christi plenissima satisfactio, non oratione tantum, sed sanguine confirmata. Qui licet secundum humanitatem sit orator ex tempore, est tamen secundum diuinitatem cum patre exauditor æternus. Agnoscant itaque fideles sese ex fide iustificatos, pacem habere cum Deo, sed per Christum, ita tamen ut sese nouerint cruci subiectos, ac debere se cum uitijs & concupiscentijs carnem suam crucifigere, pœnitentiæ operibus, fidei constantia, oratione, ieiunio, lachrymis certam suam uocationem efficere, & quemadmodū Moses impetrata peccati huius remissione, graui ta-

men animaduersione, pœnaq́ temporali puniuit à Deo condonatum peccatum: ita nos quoque ad pœnitentiæ opera manere obligatos.

FERIA IIII. HEBDOMAdæ quartæ Quadragesimæ. Epist. Isaiæ. I.

LAVAMINI, mundi estote, auferte malum cogitationum uestrarũ ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite benefacere: quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam. Et uenite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata uestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi uermiculus, uelut lana alba erunt. Si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit uos, quia os domini locutum est. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicii, iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum uersum est in scoriam, uinum tuum mistum est aqua. Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant: & causa uiduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum

Inf. 59. a.
1. Pet. 3. b
Iere. 5. g.

fortis Iſrael. Heu, conſolabor ſuper hoſtibus meis, & uindicabor de inimicis meis. Et conuertam manum meam ad te, & excoquã ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum. Et reſtitutam iudices tuos ut fuerunt prius, & cõſiliarios tuos ſicut antiquitus, poſt hæc uocaberis ciuitas iuſti, urbs fidelis. Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iuſtitia; & conteret ſceleſtos, & peccatores ſimul: & qui reliquerunt Dominum, conſumentur. Confundentur enim ab idolis quibus ſacrificauerunt: & erubeſcetis ſuper hortis quos elegeratis, cum fueritis uelut quercus defluentibus foliis, & uelut hortus abſque aqua. Et erit fortitudo ueſtra, ut fauilla ſtupæ, & opus ueſtrum quaſi ſcintilla: & ſuccendetur utrunq; ſimul, & non erit qui extinguat.

Hac epiſtola tria proponit propheta, quæ ad ueram ſalutis rationem ſpectant.

PRIMO, *Ceſſationem à peccatis, quæ prima eſt uera pœnitentiæ pars. Neque enim ulla eſſe poteſt ueræ uirtutis operatio, ubi peccandi uoluntas, affectus, & cupiditas animo imperant, licet enim non fiat, ut non aliquando uenialiter peccemus. Si enim diximus, quoniam peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus.* I. *Ioan.* I. *ſed ut peccatum nobis non dominetur, & nos à lege Dei auertat, per gratiam dei facilè*

lè contingit. Quod itaque lauari uult peccatores propheta, ad sacramentum baptismatis est allusio, cuius efficacia regeneramur, & renouamur ad uitæ nouitatem: non quidem vt quoties peccamus, toties rebaptizemur, unus etenim tantum est baptismus. Ephes. 4. sicut Christus semel tantum mortuus est. Ro. 4. sed quia nisi ille præcesserit, cætera pœnitentiæ opera non prodessent: fit enim præcedente baptismo, ut efficax sit subsequens pœnitentia. Neque enim, inquit August. ca. 33. lib. 1. de nuptijs & concupiscen. aliquid prodest non baptizato dicere, dimitte nobis debita nostra. Atque ideo ne quis solum baptismum sufficere putaret, addit: auferte malum cogitationũ uestrarum ab oculis meis, Quiescite agere peruersè. Quæ cum emphaticῶs dicantur à propheta, pulchrè omnem iustitiæ perfectionem complectuntur, atque omnem hypocrysim damnant: quibus hoc solum propositum est, ut coram hominibus iustitiam simulent. Docet enim non operibus tantum, quæ ab hominibus spectari possunt, sed ipsis quoque cogitationibus ueram iustitiam perfici. Cogitatio namque fons est orationis, et operationis, quæ si, vt habet D. Prosper li. 3. de uita contempla. ca. 3. bona sit mentem, et actiones purificat, si uero mala inquinat: sed quũ ipsa boni cogitatio non sit in nostra potestate 2. Corinth. 3. vt etiam ostendit Augustinus de bono perseueran. cap. 8. nec eam habere possumus nisi ab illo qui cordi humano sanctas dat cogitationes, per quas habeat fidẽ quæ per dilectionem operetur: quomodo præcipit pro

pheta ut malum à cogitationibus auferamus, nisi inquit August. ita intelligamus gratiam prædicari, ut tamen non negetur arbitrij libertas quæ gratiæ cooperatur. Siquidem iuxta Bernardum, nec liberum arbitrium sine gratia, nec gratia sine libero arbitrio esse in homine potest.

SECVNDO, *Ipsam iustitiæ perfectionem cum enumeratione uirtutum, dum ait: discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam. Quæ licet solis uideantur à propheta iudicibus præscribi, quorum mores corruptissimos satyrica planè libertate toto capite perstringit, omnibus tamen ex æquo conueniunt, quasi dicat: Quum tanta sit in uobis prauitas malitiaq;, ut omnia uestra opera Deo nauseam pariant, ut sunt festiuitates, neomeniæ, sabbata, sacrificia, necesse est, ut si placere ei uelitis, eiusq; uobis gratiā conciliare, discatis benefacere, nec corruptum naturæ instinctum, quæ prona est ad malū omni tempore. Gen. 6. sed præuenientem uos gratiam sequamini: non enim potestis bona agere quum sitis mali, nisi didiceritis ab eo qui docet hominem scientiam. Psal. 93. Accidit autem hæc tanta bene agendi difficultas, tum ex uitio originali, & studio prauæ uoluntatis quæ nisi corrigatur gratia redemptoris, sublata male agendi prauitate, nunquam cæteras quas propheta præcipit uirtutes faciemus: aut eo saltem fine quo iubentur, ut ad eum scilicet tantum referamus, qui omnis iustitiæ fons est & origo. Præcipit autem omnibus, nempe iudicibus,*

&

& priuatis, iudicij æquitatem, qua non tantum cuique quod suum est ex iure discernitur, sed qua proximi actiones quadam epeceia rectè interpretamur, quatenus charitatis lex permittit, quæ ĩ rebus adiaphoris non cogitat malum: mala uerò quæ sine adulatione laudari nequeũt, iuxta uerbum Dei iudicat. 1. Corint. 4. Sunt enim priuata iudicia merito in scripturis prohibita, quia sunt plerunque temeraria, falsa, & iniusta: utpote quæ ex affectu potius quàm uera ratione proficiscantur. Cætera uerò quæ de subuentione oppressi, iudicio pupillorum, et defensione uiduarum dicuntur, ad iudicis tantum spectant, quorum est subuenire ijs qui potentiorum calumnijs opprimũtur. De ijs in superioribus tabulis abundè satis dictum est.

TERTIO, Contra nostrorum hæreticorum furores, qui omnem dignitatem bonis operibus derogant, docet Deum non tantum ex misericordia, sed quasi iure quodam uelle adstringi ad reddẽdam uirtutibus suã mercedem, dum ait: Venite, & arguite me, quasi dicat, sistite me iudicio, accusate iniustitiæ, scribite dicam, & iure mecum agite, si nimirum uobis quod rectum est facientibus non reddidero mercedem, paratus sum quam tuli subire legem, iniustus haberi uolo, ut ipsos iniustos esse pronuncio, qui operarijs mercedem denegant. Deut. 24. Leuit. 19. Eccles. 34. Vide Dei obsecro benignitatem, misericordiam, & clementiam. qua non solum peccata non punit, sed ad pœnitentiam inuitat. Pœnitentibus ueniam tanta

facilitate concedit, ut uelit etiam nisi faciat iniustitiæ accusari ac ne quem desperatio terrere posset ex scelerum grauitate, numero, & magnitudine, spem facit remissionis & gratiæ. Si fuerint, inquit, peccata uestra, ut coccinum, sanguinea scilicet & impura ex conscientiæ prauitate, & uermiculus, uel ostro similia, quasi nix dealbabuntur. Psal. 50. Lauabis me, & super niuem dealbabor, & lana alba erunt. Hæc est promissio noui testamenti, quam Christus aduenit copiosissimè adimpleuit, mundans nos à peccatis nostris in sanguine suo. Cuius efficacia ab ipso instituta sacramenta potissimum regenerationis & reconciliationis peccatis purgandis inseruiunt, & ueram iustificationem restituunt, ut ex filijs iræ sint abluti, iustificati, & sanctificati hæredes Dei, & cohæredes Christi. Tales enim nos efficit suis numeris absolutos pœnitentia, quæ non tam fide quàm uirtutum operatione constat.

FERIA V. HEBDOmadæ quartæ Quadrag. Epist. IIII. Reg. IIII.

FACTA est ergo dies quædam, & ueniens diuertit in cœnaculum, & requieuit ibi. Dixitq; ad Giezi puerum suum: Voca Sunamitidē istā. Qui cùm uocasset eam, & illa stetisset coram eo, dixit ad puerum suum: Loquere ad eam:

Ecce,

Ecce, sedulò in omnibus ministrasti nobis, quid uis ut faciam tibi? nunquid habes negotium, & uis ut loquar regi, siue principi militiæ? Quæ respondit, In medio populi mei habito. Et ait: Quid ergo uult ut faciam ei? Dixitq́; Giezi: Ne quæras, filium enim non habet, & uir eius senex est. Præcepit itaque ut uocaret eam: quæ cum uocata fuisset, & stetisset ante ostium, dixit ad eam: In tempore isto in hac eadem hora, si uita comes fuerit, habebis in utero filium. At illa respondit: Noli quæso domine mi uir Dei, noli mētiri ancillæ tuæ. Et concepit mulier, & peperit filium in tempore, & in hora eadem qua dixerat Eliseus. Creuit autem puer. Et cum esset quædā dies, & egressus esset ad patrem suum ad messores, ait patri suo: Caput meum doleo, caput meū doleo. At ille dixit puero: Tolle, duc eum ad matrem suam. Qui cùm tulisset, & duxisset eum ad matrem suam, posuit eū illa super genua sua usque ad meridiem, & mortuus est. Ascēdit autem, & collocauit eum super lectulum hominis Dei, & clausit ostium: & egressa uocauit uirum suum, & ait: Mitte mecum, obsecro, unum de pueris, & asinam, ut excurram usque ad hominem Dei & reuertar, &c.

Præsentis

Præsentis Epistolæ historia, sub uelamine literæ grauissima: sacramenta complectitur, potissimum autē proponit quatuor.

PRIMO, *Matrem familias, morte filij consternatam, ab Helisæo solatium petentem, & impetrantē, dum sese humili deiectione ad pedes Helisæi in monte Carmeli agentem proiecisset: extorserat enim hāc humilitatem nimius de filij morte dolor quam dum prohibere Giezi vellet, impeditur ab Helisæo. Non est enim tristibus, afflictis, & miseris augendis dolor, sed qua ratione fieri potest leniendus, ne abundātiori tristitia absorbeantur, 2. Corint. 2. Quod aut occurrentem Giezi contemnit, aut præterit, soli Helisæo uolens animi sui mœrorem indicare, significat humana illa solatia, quæ ex rebus præsentibus subinde quærimus, augere potius quàm lenire afflictæ conscientiæ dolores, & iuxta oraculum, Psal. 36. Reuelandam esse domino uiam tuam, in eo sperandum, &c. Siquidē facturus sit ultra quàm petimus aut intelligemus, Ephes. 3. Hac enim fide iuxta Christi promissum, quisquis Luc. 11. quærit, petit, & pulsat, sciat sese inuenturum, accepturum, & intraturum. Singularem enim hanc Dei mansuetudinem, qua non deserit sperantes in se, expressit Helisæus, dum tam facilem se præbet oranti, imò famuli ministerium repudianti semetipsum comitem iunxit.*

SECVN-

SECVNDO, *Legis Mosaicæ imperfectionem, quæ licet sancta, iusta, & bona esset, Rom. 7. neminem tamen ad perfectum adducere potuit, Heb. 7. quod Aug. teste adumbratum est ista Giezi missione, qui Helisæi baculo ad excitandum mortuum destinatur, magna præceptorum seueritate, nam quòd lumbos, præcingere baculum in manu tenere, salutantes non resalutare, super mortuo baculum ponere, præcipitur Giezi, grauitatem designat veterum præceptorum moralium, iudicialium, & cæremonialium, quæ propter transgressionem posita, sola peccati cognitionem exhibuerunt, Rom. 3. Gal. 3. & mortuum esse hominem conuicerunt, dum augent prohibitione peccatum, & per occasionem iram operantur, omnes esse peccatores ostendunt. Quam legis infirmitatem agnoscens nostra Sunamitis, ab Helisæo se diuelli nō patitur. Sed inquit: uiuit Dominus, & uiuit anima tua, non dimittam te, personam eorum exprimens, qui tam vehementi desiderio ueri liberatoris, & resuscitatoris Christi aduentum exoptarunt, dicentes: Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, vtinā dirumperes cœlos & descenderes, Esa. 45. 64. Agnoscentes ex fide iustificationem, gratiam, & remissionem peccatorum, in quibus uera consistit animæ uita, nequaquam uirtute legis obtineri posse, sed solius promissi Messiæ passione, morte, & resurrectione, per cuius victoriam stimulus mortis, scilicet peccatum, 1. Corinth. 15. & uirtus peccati, nempe lex, absorberetur.*

Tertio,

TERTIO, Gratiam noui testamenti mortuo puero exhibitam aduētu Christi, quæ quod impossibile erat legi, mortuum nempe suscitare, perfecit. Venit enim Christus Iesus in hunc mundum peccatores saluos facere, 1. Timoth. 1. Matth. 9. non poterant namque hominem uel cognitio legis, uel naturæ uires in uitā reuocare, nam si aut per naturam, aut per legem esse potuisset iustitia, omnino gratis Christus mortuus esset. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus, Gal. 3. Ut enim inuenit hunc puerum Helisæus mortuum, & decumbentem in lecto, ita totum mundum in maligno positum damnationi obnoxium, iræ Dei subiectum, illecebris carnalium uoluptatum irretitum inuenit Christus, ut rectè dicat scriptura: omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, Rom. 3. omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, Psal. 13. non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Adeo enim elanguit natura sine gratia, ut excæcata ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia rerum noxiarum, nihil quod ad salutem pertinet operari potuerit, quod de Iudæis æquè ac gentilibus ostendit Apostolus, Roma. 10. Dum enim iudæi suā uolunt statuere iustitiam, iustitiæ Dei non subijciuntur, & dum gentes cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, Rom. 1.

QVARTO, Gratiam per Christum allatam, omnibus æqualiter sine discrimine, tum paruulis, & tum adultis,

tis, esse communicandam, dum Helisæus clauso ostio sese ita super puerum strauit, ut os suum, oculos, & manus, super pueri os, oculos, & manus poneret. Quod & si rationi humanæ impossibile uideatur, credat tamen ratio necesse est scripturæ, ac diuinam admiretur potentiam, qua semetipsum filius Dei exinaniuit, formam serui accipiens, & habitu inuentus ut homo: dum semetipsum humiliauit usque ad mortem, suscepta in se per hypostaticam unionem humanæ naturæ ueritate, & infirmitate, ut calore diuinitatis, cui coniuncta erat humanitas mortalitatis nostræ, sordes purgaret, spiritum charitatis reciperemus, quo excutientes peccati ueternum, tandem expergisceremur, & oblatam per ipsum Dei gratiã reciperemus, ut tandem quemadmodum hic puer oscitemus, & oculos aperiamus, recepto scilicet afflatu spiritus cœlestis, quo æternam illam fœlicitatem anhelemus, & perspecta vilitate rerum præsentiũ, agnoscamus nos non esse ancillæ filios, sed liberæ, ereptos de potestate tenebrarum, non uirtute aut legis, aut naturæ, at per Christum, sed ita ut nos matri restituerit, id est, Ecclesiæ communioni, ut nimirum datam per ipsum libertatem in occasionem carnis non daremus.

FERIA

FERIA SEXTA POST DOminicam lætare. Epistola III. Regum XVII.

FACTVM est autem post hæc, ægrotauit filius mulieris matris familiâs, & erat languor fortissimus, ita ut nõ remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi & tibi uir Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? Et ait ad eam Elias, Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum, ubi ipse manebat, & posuit super lectulum suum. Et clamauit ad Dominũ, & dixit: Domine Deus meus, etiámne uiduã apud quam ego utcunq; sustentor, afflixisti, ut interficeres filium eius? Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus uicibus, & clamauit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus reuertatur obsecro anima pueri huius in uiscera eius. Et exaudiuit Dominus uocem Eliæ: & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit. Tulitq; Elias puerum, & deposuit eũ de cœnaculo inferiorem domum, & tradidit matri suæ, & ait illi: En uiuit filius tuus. Dixitq; mulier ad Eliã: nũc in isto cognoui quoniam uir Dei es tu, & uerbum Domini in ore tuo uerum est.

Historia hæc tria complectitur.

PRIMO, *Quo modo suorum uirtutem, & patientiam exercere soleat Deus, uarijs nempe aduersitatibus, pœnis, & afflictionibus, quibus non secus ac ignis aurum eos probat. Quemadmodum hæc Sareptana uidua, quæ in summa rerum inopia tempore famis nō sine periculo propriæ salutis, Eliam hospitio exceperat, & uictu liberaliter aluerat, hoc uidetur à Deo beneficium consecuta, quod unico filio, cui tanquam baculo senectutis inniti poterat, inopinata morte priuetur. Vnde oblita miraculi, quo eam ministerio prophetæ toto tempore famis, aluerat Deus, grauiter cum propheta expostulat infirmitate naturæ, & doloris acerbitate uicta, qua sanctissimi quique sæpius laborantes, vt Iob cap. 3. quasi iniustè affligerentur à Deo submurmurant. Imputat autem hæc filij mortem præteritis peccatis, non obscurè significans, peractis peccatis remanere peccati reatum: quo iustè postulamur ad pœnam, nisi subsequens deleat remissio. Ideóne, inquit, ingressus es vt rememorarentur iniquitates meæ? & interficeres filium meum? Quasi dicat, Hoccine merita sum tantis in te collocatis beneficijs, vt hanc mihi gratiam referres? Pulchrè autem carnis naturam exprimit hæc mulier, quæ de rebus diuinis non aliter iudicare solet, quàm ex ijs quæ ante pedes cernit: neque enim potest diuini consilij rationem inuestigare.*

SECVN-

SECVNDO, *Admirandam Eliæ sanctimoniam, quã commendat, tum à miraculo, tum à uitæ puritate, à fidei Zelo, ab oratione, à charitate, & à iustitia, quibus uirtutibus usque adeo placuit Deo, vt Apostolo Iacobo authore, naturæ quasi imperare uideretur, nam oratione pluuiam impediuit, & eãdem à Deo, suo penè arbitrio impetrauit, non regibus tantum, sed ipsi quoque morti formidini, cuius aculeum non solum ipse nondum sensit, sed eius tyrannide alios absoluit. Tanti nanque apud Deum semper uera uirtus fuit, vt facilè omnia quæ saluti necessaria forent, impetrarent. Neque enim putabimus, aut Prophetas, aut Apostolos, aut Martyres prodigiosa illa, quæ fecisse passim leguntur miracula, propria virtute fecisse, fiunt enim in ipsis ab ipso Deo in illis operante, vt ostendit August. de ciuita. lib. 10. cap. 2. Semper autem Deus tam in ueteri, quàm in noua lege miraculis suam doctrinam confirmare solet, uel ad ipsam doctrinam, uel ad ipsos doctores, uel ad auditorum fidem confirmandam, uel ad incredulitatem, malitiam, uel pertinaciam impiorum conuincendam. Signa enim Apostolo teste non dantur fidelibus, sed infidelibus, 1. Corinth. 14. Vt certius igitur mulieris fides, quæ nutare uidebatur, confirmaretur, datũ est hoc miraculum Prophetæ. Perpendendæ autem sunt, quibus vsus est propheta cæremoniæ. Non enim est vsus incantatione, magiæ, aut aliqua dæmonum inuocatione, sed oratione supplici, qua sese ueri Dei esse ministrũ est protestatus.*

Ita

Ita in actis Apost.c.3.4 5.7.9.et 14. Adhibet itaque Propheta inuocationem nominis ueri Dei, Domine Deus meus, &c. Humilem deprecationem: Reuertatur obsecro, &c. & uisibiles cæremonias. Expandit sese, atque mensus est super puerum. Quibus haud obscurè præsagire uoluit Spiritus S. cuius nutu est allata scriptura, nouæ legis sacramēta, quibus tanquam instrumentis mortui peccatis ad uitā reuocamur, non uerbis tantum, sed uisibili elementorum specie fore efficacia. Est enim sacramentum, non nudum tantum uerbum, aut nudum signum elementi, sed necesse vt uerbum accedat ad elementum, vt fiat sacramentum.

TERTIO, *Miraculi effectum, quem duplicem fuisse proponit, scilicet defuncti ad uitam reditum, partim ex uirtute diuina, partim ex contactu corporis uiui Eliæ, qui ueri Messiæ Christi typum, cùm alibi sæpius, tum hic expressit, maximè qui contactu mundissimo diuinitatis, quo sibi hypostaticēs naturam uniuit humanam, eam damnationi obnoxiam, restituto uitali spiritu gratiæ, pristinæ reddit integritati, innocentiæ, nouitati uitæ, & gloriæ. hæc enim confert beneficia Christus, ijs qui ab ipso proposita sacramentorum remedia amplectuntur, ea quæ decet fide. Tollit enim præsertim baptismus, vt docet Apostolus, Rom. 6. uetustatem ueteris uitæ æternæ mortis reatum, quo rei sunt omnes ex uitio originis, & cæcitatem mentis, unde & sacramentum illuminationis à patribus appellatur. non quidem*

ita, ut nulla prorsus in baptizatis maneat uetustas carnis, aut concupiscentia, contra quam bonus spiritus concupiscat, non enim auferunt sacramenta uitæ præsentis miserias, quæ iustis ad exercitium uirtutis relinquuntur, ut puer hic iterum moriturus reuixit: effectus etenim sacramentorum æternæ uitæ fœlicitatem respiciunt, non præsentis. Quo fit, ut iuxta Apostolum exterior homo noster corrumpatur de die in diem, & interior renouetur. Vide Augustinum lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum ca. 7. 8. necnon matris in fide confirmationem, Deum pro accepto beneficio glorificantis, & ueritatem propheticæ doctrinæ agnoscentis. Ita olim prædicantibus Apostolis uerbum fidei, & Domino, signis & prodigiis sequentibus, sermonem confirmante, gauisa est Ecclesia, dum in gentibus gratiam fidei esse effusam agnouit, Actorum 10. personarum acceptionem sublatam, medium parietem maceriæ solutum, Ephes. 2. & deletum esse chyrographum decreti, ut iam sit unum ouile, & unus pastor, perdita oue restituta, humeris pastoris ad caulam relata, ut omnes uno ore glorificent Deum ac patrem Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in sæcula.

SABBA-

SABBATO ANTE DOMInicam passionis. Epistola Esaiæ XLIX.

HAEC dicit Dominus: In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui: & seruaui te, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, & posſideres hæreditates dissipatas, ut diceres his qui uincti sunt, exite: & his qui in tenebris, reuelamini. Super uias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum. Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Et ponam omnes montes meos in uiam, & semitæ meæ exaltabuntur. Ecce isti délongè uenient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & isti de terra Australi. Laudate cœli, & exulta terra, iubilate montes laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur. Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut nō misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.

2. Cor. 6.

Apoc. 7. d

Vaticinatur hæc Epiſtola de gratia noui teſtamenti per Chriſtum allata, agit autem potiſſimum tria.

PRIMO, *Chriſtum proponit, qui tempore paſſionis ſeſe quaſi deſertum non cruce pendens cõquerebatur, Mar.15. Pſal.21. à patre æterno conſolationem accipientem, dum ait: In tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui, quibus uerbis pulchrè ſignificatur myſterium redemptionis humanæ, quod Chriſti morte & paſſione eſt comparatum, non meritis humanorum operum, ſed Dei beneplacito accidiſſe: Vocat autem Propheta tempus placitum, illud, quo Chriſti obedientia, qua ſeſe ad mortem uſque crucis, Philip. 2. dimiſit, placatum reddit æternum patrem homini offenſum, & uocat diem ſalutis, tempus noui teſtamenti, quo per Chriſtum ſalus parata eſt omnibus perfecta fide, id eſt, per charitatem operante credentibus, qui reconciliati ſalui fiunt ab ira per ipſum. Vide ad Epheſ. 2. ubi docet Chriſtum eſſe pacem noſtram, medium parietem maceriæ diſſoluiſſe, pacem feciſſe, vt reconciliet Iudæos, ac gentes in uno corpore Deo, per crucem, & interfeciſſe inimicitias in ſemetipſo. Hæc ſunt ſublimia illa myſteria abſcondita à ſapientibus & prudentibus, & reuelata paruulis, quæ vt perficeret Chriſtus, auxiliatus eſt illi pater: Sola enim humana natura ijs peragendis non ſuffeciſſet, niſi diuinitas per unionem hypoſtaticam coniuncta ſuccurriſ-*

set, & quia opera trinitatis sunt indiuisa, una siquidem patris & filij diuinitas: hinc auxiliatum se pater filio dicit. Illud autem hic obseruent studiosi, hæc non inepte posse ad Christi membra, id est, fideles in afflictione constitutos, referri.

SECVNDO, Ostendit tum Christi à patre in mundum missi offic. 1. præcipua esse, ut esset in fœdus populi, id est, ut loquitur Ioannes, uera apud patrem propitiatio pro peccatis totius mundi, suscitaret terram & possideret hæreditates dissipatas. Hoc est, eas gentes, quæ habitatore Deum ignorantia ueritatis laborantes non habebant, possideret, regeret, ac gubernaret spiritu suo. Vide Hiere. 11. diceret ijs qui uincti sunt: Exite, id est, remissionem peccatorum ijs annunciaret, qui peccati uinculis detinebantur, Zachar. 9. Lucæ. 1. & qui in tenebris: Reuelamini, id est, ijs qui ignorantia rerum agendarum laborabant, lucem adferri euangelij, qua uerum Deum agnoscant, & quem misit Iesum Christum, Ioannis 17. Christus etenim promissiones omnes per Prophetas aut Mosen factas, quæ ad noui testamenti gratiā commendandam pertinent, adimpleuit, nobis fidelibus factus à Deo patre, 1. Corinth. 1. iustitia, sanctificatio, & redemptio, ita ut per ipsum accessum habeamus ad patrem, ad Ephes. 2. iam scilicet in sanguine eius, 1. Corinth. 6. abluti, sanctificati, & iustificati, uidelicet à sordibus peccati, originalis, et actualis, per spiritum inhabitantem, per quem, ut in sanctitate & iustitia coram ipso ambulemus, di-

rigimur, & à peccato, & serui facti iustitiæ habemus fructum in sanctificationem, finem uerò uitam æternam, Rom. 6. tum etiam fœlicitatem eorum qui electi tanquam uasa misericordiæ participes erunt tantorum beneficiorum. Hi etenim super uias pascentur, sanctarum scilicet scripturarum, dicentes cum Propheta: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, Psal. 22. In omnibus planis erunt pascuæ eorum, electis enim secundum Apostolum omnia cooperantur in bonum, ijs scilicet qui secundum propositum uocati sunt sancti, Ro. 8. Non esurient, neque sitient: maior est hæc promissio, quàm vt præsenti uitæ conueniat, in qua etiam sanctissimi calamitatibus & miserijs corporis subijciuntur.
Proinde ad cœlestem illam beatitudinem est referenda, de qua Daniel. 12. Apoc. 14. Mat. 13. & non percutiet eos æstus et sol, non enim contristabit iustos quicquid acciderit illis: qui si ceciderint, non collidentur, quia Dominus supponit manum, Psal. 36. Quia maiora sunt hæc promissa, quàm vt facilè credantur, ostendit Propheta per quem hæc tanta beneficia contingent electis, quia uidelicet miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Ille nimirum miserator fortis & potens de cuius manu nemo potest capere electos, Ioan. 10. Is enim suos reget per spiritum inhabitãtem, pascit non solo pane, sed uerbo suo, Deu. 6. & potat suauissimis scripturarum fontibus saturientibus aquam uiuam, Ioan. 4. Esa. 13. Ioan. 7. Neque uerò hæc soli contingent

populo

populo Iudaico, sed omnibus ubique terrarum gentibus dispersis. Peruasit enim Euangelij doctrina orbem uniuersum, vt merito cœlos, terram, & montes, hoc est, omnem prorsus creaturam tanti huius beneficij causa, ad Dei laudes hortetur Propheta: quia consolatus est Dominus populum suum, Esa. 51. & pauperum suorum miseretur, Psal. 9.

TERTIO, Commendat insignem Dei erga suos electos amorem, dum tanta beneuolentia querimoniæ ipsorum respondet, qua occasione malorum præsentium desertos sese esse à Deo, & Dominum oblitum esse ipsorum, conqueruntur, idq; sumpta comparatione à matre quæ maiori quàm seipsam amore pignora sua prosequitur, dicens: sese nunquam uocatos secundum propositum gratiæ Dei, electos ante mundi constitutionem. Ephes. 1. & prædestinatos ad uitã deserturum. Siquidem hos tanquam uasa misericordiæ, quæ à massa perditionis sola sua misericordia secreuit, sibi spõsauit in fide, Oseæ 2. et in manibus suis descripsit, Esa. 49. adeò vt licet quãdoque ἀστοργία laborans mater, suorũ liberorũ obliuiscatur: ipse tamẽ suorũ obliuisci nequit. Sit ita ut periclitari subinde uideantur: quia cũ carne, dæmone, & mundo, hostibus grauissimis et potẽtissimis illis est perpetuo luctandũ: tamen quum in protectione Dei cœli commorentur, Psal. 90. in omnibus superant, vt cũ Propheta, Apostolo dicant: pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me, Iob. 17. & cum quis nos separabit à charitate, quæ est in Christo Iesu? Rom. 8.

DOMINICA QVINta in paſsione. Epiſtola ad Hebræos IX.

CHRISTVS autem aſsiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorũ aut uitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Si enim ſanguis hircorum & taurorum & cinis uitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo uiuenti? Et ideo noui teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſsionem accipiant qui uocati ſunt æternæ hæreditatis.

Leu. 16. c

1. Pet. d.
1. Ioã. 1. d.
Apoc. 1. b
1. Pet. 3. g.
Rom. 5. b.

Agit in Epiſtola hac Paulus tria.

PRIMO, *Proponit maieſtatem ſacerdotij Chriſti à dignitate tabernaculi, oblationis, & ſacrificij. Quia enim*

enim Iudæi legales suas tanti faciebant cæremonias tanquam à Deo profectas, ut præferendas æstimarẽt euangelio, ita ut iustificari neminem posse putarent, nisi qui eas seruaret, ut huius epistolæ argumentum (sicut & illius quæ ad Rom. & Galat. scripta est) ostendit, magna dexteritate docet Apostolus Euangelium, eiusq; cæremonias, ac Pontificem Christũ multis parasangis esse præstantiora, siquidem umbram tantum habuit lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: quanquam enim Moses fidelis esset in omni domo sua, fuit tamen solum minister, unde & quos ex præcepto Dei, Exo. 29. in sacerdotes unxit, Aaron scilicet, & filij eius neminem ad perfectum (sicut nec tota lex) adducere potuerũt, nec iuxta conscientiam perfectum facere seruientẽ, quando tantummodo in cibis, potibus, sanguine taurorum uarijs baptismatibus, & iustitijs carnis occupabantur, scilicet usque ad tempus correctionis impositis: ut enim ipsi sacerdotes mortales, unde & plures facti sunt, eo quod morte prohiberentur permanere, ita etiam Arca tabernaculi, in qua tantum erant Hebr. 9. Vrna aurea habens mãna, virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, nec non sacrificia quæ constabant, partim ex pecoribus, scilicet uitulo, agno, hœdo, capraq́; immaculatis, & auibus, uidelicet turture, passereq́; & oblationes, quæ ex simila, pane azymo, & primitijs frugum domino offerebantur. In se considerata, prorsus erant momentanea, ac planè futilia, nec unquam propter se tantum

à Deo

à Deo præcepta, ut ostendit August. contra Faustū Manichæum. Impossibile enim erat sanguine taurorum aut hircorum auferre peccata, Apostolo teste, & Psal. 39. Christus autem adsistens Pontifex futurorum bonorum semetipsum exhibuit æterno patri, pro redemptione generis humani, oblationem, hostiam, sacrificium, & propitiatorium, in odorem suauitatis, atque ut Aaronici non nisi per sanguinem animalium ingrediebantur in sancta sanctorū, quem offerebant, non tantum pro aliorum, sed & pro suis peccatis, ita docet Apostolus Christum per proprium sanguinem ingressum in tabernaculum non manufactum: ut autem nulla est comparatio rerum cœlestium ad terrenas, æternarum ad momentaneas, ita nec ulla esse comparatio potest sacrificij, quod in cruce obtulit Christus, & quod Aaronici assueti erant offerre: sacerdotium etenim illius erit æternum, non secundum ordinem Aaron, sed etiam secundum ordinem Melchisedech: tabernaculū quod intrauit, non purpureum aut byssinum, sed cœleste, neque sibi aut pro suis delictis hanc obtulit uictimā, sed pro peccatis totius mundi.

SECVNDO, Ex effectu, quem quotidie operatur illa sacrosancta Christi semel tantum in cruce facta oblatio, conuincit illius efficaciam, energiam, & dignitatem, quia quod impossibile erat legi, & in quo infirmabatur per carnem, per carnalium affectionum dominium, id unica tantum perfecit oblatio. In hac enim uictima deus erat in Christo mundum reconcilians

ciliians sibi, de peccato damnans peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Cedant igitur oportet omnes sanguinariæ pecudum uictimæ uni illi, quam Christus in cruce patri obtulit, oblationi. Siquidem sanguis taurorum, uel hircorum, aut cinis vitulæ, lana coccinea aspersus, inquinatos mundabat solum ad emundationem carnis, nullam uim ad spiritum penetrandi continens, ille etenim quum melior sit hominis pars, hostijs quoque melioribus mundandus seruabatur, non corruptibilibus, 1. Pet. 1. scilicet auro, argento, & lapidibus preciosis. sed precioso sanguine agni incontaminati & immaculati Iesu Christi domini nostri, qui solus per fidem nos 1. Corinth. 6. abluit, sanctificat, & iustificat, atque aditum patefacit nobis non in tabernaculum illud Aaronicum, vel in penetralia magnifici illius templi Solomonis, quæ soli Pontificis annuatim semel tãum intrarũnt, sed in tabernaculum non manufactũ id est, ad interiora uelaminis, ubi præcursor pro nobis introijt Iesus, si tamen fidem, spem, & charitatem vsque ad finem firmam retineamus, nec sit in nobis cor malum incredulitatis discedendi à Deo uiuo. Quanquam enim tanta sit huius sacrificij efficacia, vt omnibus ad salutem facilè sufficiat, ijs tamen solummodo proderit, qui in ea qua uocati sunt uocatione sancta permanserint, bonis operibus certam suam vocationem facientes, non ijs qui, vt loquitur Apostolus, filium Dei conculcauerint, & sanguinem hunc noui testamenti pollutum duxerint,

&

& spiritui gratiæ contumeliam fecerint, Hebr. 10.
TERTIO, Docet Christum, qui solus est mediator Dei & hominum, uetus illud testamentū olim per Moysen in manu mediatoris populo Iudaico datum, quod in seruitutem generabat, transgressionem cohibebat, iram operabatur, et neminē ad perfectum adduxit, semel in totum abrogasse, siquidem in tabulis lapideis descriptum (quod eius cui dabatur animi duriciem significabat) actionem externam ab opere illicito cohibebat tantum, non autem ipsam uoluntatē, quæ sola dum per gratiam adiuuatur, satisfacit legi. Id autem ut præstaret Christus, iuxta uaticinia prophetarum à Deo patre constitutus est mediator noui testamenti, quod in tabulis cordis carnalibus, uisceribus, & in corde, non atramento, sed spiritu Dei uiui scribitur, sed non nisi Christi morte intercedente: soli enim fideles & in Christo renati hoc noui testamenti beneficium accipiunt, dum reiecto spiritu timoris per spiritū adoptionis satisfaciunt legi, accepta tamen prius redemptione earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, & repromissionem accipientes æternæ hæreditatis, uocati secundum propositum gratiæ Dei, filij effecti & hæredes. Vt autem prius illud testamentum non nisi sanguine dedicatum est, sed animalium brutorum, ita & nouum dedicari oportebat, quod testaretur nos esse redemptos à tyrannide diaboli, mortis, peccati, aut inferni. quemadmodum uetus illud testamentum testabatur Israelitas esse à dira seruitute Aegyptiaca redemptos,

demptos, in peculium omnipotentis Dei admissos, sub illius protectione esse tutos, terram illam opimã fluentem lac & mel se possidere sola ipsius misericordia: quæ omnia figuræ erant temporis præsentis, noui scilicet testamenti, quo agnoscunt fideles mortis Christi merito sese vocatos esse in libertatem gloriæ filiorum Dei, adoptionem æternæ hæreditatis, & filios & hæredes Dei. Hæc enim præclara beneficia non potuit Aaronis perficere oblatio, non taurorum aut animalium sanguis, qui temporaneam tantum recõciliationem subinde repetendam conferebat. Atqui Christi semel in cruce facta oblatio, nobis æternam impetrauit iustificationem, qua iustificati à peccato, & serui facti Deo, hæredes sumus secundum spem uitæ æternæ, in Christo Iesu domino nostro.

FERIA SECVNDA post Dominicam Passionis. Epistola Ionæ III.

ET factum est uerbum domini ad Ionam secundo, dicens, Surge, & uade in Niniuem ciuitatem magnam: & prædica in ea prædicationem quam ego loquor ad te. Et surrexit Ionas, & abijt in Niniuem iuxta uerbum Domini: & Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum. Et cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei unius: & clamauit, & dixit, Adhuc

qua-

Mat.12.d quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Et
Luc.11.c. crediderunt uiri Niniuitæ in Deum: & prædi
cauerunt ieiunium, & ueſtiti ſunt ſaccis à ma
iore uſque ad minorem. Et peruenit uerbum
ad Regem Niniue: & ſurrexit de ſolio ſuo, &
abiecit ueſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt
ſacco, & ſedit in cinere. Et clamauit,& dixit
in Niniue ex ore regis & principum eius, di-
cens, Homines,& iumenta, & boues,& peco-
ra non guſtent quicquam: nec paſcantur, &
aquam uon bibant. Et operiantur ſaccis ho-
mines & iumenta, & clament ad dominum in
fortitudine: & conuertatur uir à uia ſua mala
& ab iniquitate quæ eſt in manibus eorum.
Iere. 18.b Quis ſcit ſi conuertatur,& ignoſcat Deus: &
Ioel.2.g. reuertatur à furore iræ ſuæ,& non peribimus?
Et uidit Deus opera eorum quia cõuerſi ſunt
de uia ſua mala: & miſertus eſt Deus ſuper ma
litia quam locutus fuerat ut faceret eis, & nõ
fecit.

Tria continet præſentis epiſtolæ hiſtoria.

PRIMO, *Ionæ Prophetæ apud Niniuitas concionem cõminatoraim, qua eos magna ignorantia ueri Dei laborantes,legis Moſaicæ cognitione deſtitutos,& omnibus ſceleribus diffluentes ad pœnitentiam hortatur: orditur autem etiam ex præcepto Dei prædicationem ſuam à terrore & comminatione futuri excidij.*

dij. Malè ergo docent hæretici pœnitentiam ex terrore iudicij diuini conceptam constituere hominem magis peccatorem. Certè Achab. 3. Reg. 21. Manasses 2. Paralip. 33. & Niniuitæ Ionæ 3. ex solo terrore comminationis diuinæ sumpta pœnitentia iram Dei flexerunt, quanquam ea perfecta non sit pœnitentia, cui liuor annexus est: non tamen mala est, quia Augustino teste, ut seta linum, ita timor introducit charitatem, quæ tandem foras mittit timorẽ. Pertinet ergo ad Euangelium, non solũ gratia Dei, promissionum diuinarum, & misericordiæ prædicatio, ut uolunt sectarij, sed etiam iustitiæ Dei, quam ubique inculcant scripturæ, commendatio, qua terreantur obduratæ conscientiæ, ut qui amore resipiscere nolunt, timore saltem peccare desistant, quemadmodum noster hic Ionas, cuius oratio singularem Dei proponit iustitiam, Psal. 114. 48. & misericordiam. qua comminatur futuram subuersionem, dicens: adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur; & pœnitentiæ spacium 40. scilicet dierum concedit. Rom. 2. An ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te expectat? ut scilicet impunitatem peccandi nemo sibi temerè polliceatur, tum ut peccatis obnoxij non facilè in desperationem laberentur, scientes ipsum nolle mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat, Ezech. 18.

SECUNDO, *Seriam Niniuitarum pœnitentiam, quam ex fide, & timore auditæ comminationis susceperunt. Nam docet scriptura ipsos credidisse domino,*

mino, prædicasse ieiunium, & uestitos sacco à maiore usque ad minorem. Non temerè autem scriptura antequam Niniuitarum pœnitentiam describat, ipsorum fidem præmittit: quia Apostolo teste, quicquid non est ex fide, peccatum est, Rom. 14. Et, Sine fide impossibile est placere Deo: quanquam enim fides nō sit pars pœnitentiæ, requiritur tamen tanquam necessaria, vt sine ea perfecta pœnitentia constare nequeat. Est autem obseruanda horum Niniuitarū pœnitētia, qua prædicant ieiunium, et uestiuntur saccis. vt scilicet sicut exhibuerant membra sua seruire immunditiæ ad iniquitatem, ita nunc exhibeant ea arma iustitiæ in sanctificationem, Roma. 6. Sic & peccatrix illa, Luc. 7. Quia igitur hi vel conscientia ipsorum teste Deum offenderant luxu, ambitione, & superbia, aliisq́ue peccatis & flagitiis, nunc eorundem detestatione ipsum sibi conciliare nituntur: ostendit autem hic locus ueram pœnitentiam, non esse tamen nouam uitam, sed complecti ueteris uitæ detestationem, uoluntariam corporis afflictionem, lachrymas, Psal. 6. Lauabo per singulas noctes, &c. & deprecationem admissorum criminum. Act. 8. Obseruanda autem est sæueritas huius pœnitentiæ, ad quam regis decreto astringuntur, non ii tantum qui ratione vtuntur, sed iumenta, boues, & pecora, imo rex ipse, regio fastu deposito, pœnitentis habitum, saccum et cinerem adsumit, ex quo agnoscere licet uerbi Dei potentiam, omnem superbiam destruentis.

TERTIO, Stupendam Dei erga pœnitentes misericordiam,

diam, qua donat peccata conuersis, imò ut conuertantur, & uerbo suo obediant peccatores, ipse spiritu suo agit. Ostendit autem hic locus, quod uoluntatis Dei non sit mors impij, quod nolit mortem peccatoris, & non lætetur in perditione morientium. Sed mox, ut loquitur Hie. ca. 18. ut pœnitentiam egerit populus de peccato suo, agat & ipse pœnitentiam de malo, scilicet pœnæ, quod cogitauit ut faceret. Cæterum hic uelim arrectis auribus esse nostri temporis bonorum operum oppressores hæreticos, qui fidei sic omnia tribuunt, ut operibus nihil prorsus concedant, & uideant hic Deum non fidem solam, temerariam præsumptionem, & inanem fiduciam respexisse, sed opera eorum quæ fecerant, inter quæ haud dubiè fides est, ea enim nisi adesset, opera bona quæ Augustino teste, epistola 105. rectè merita nuncupantur, adesse nunquam possent. Fides enim prima datur, per quam cætera impetrantur, ex fide autem profecta opera quanquam sint ipsius dona, tamen uult esse merita nostra, atque ideo ea respicit, acceptat, & coronat, 2. ad Corintth. 4. non ut hypocritica damnat, ut non solum malè, sed impiè docent hæretici. Si enim Assyriorum pœnitentiam respexit, ut propter eam ultionis mutarit sententiam, an quæso eorum, quos filij sui morte redemit, sanguine abluit, & per spiritum inhabitantem filios adoptionis effecit, damnabit mansuetudinem, modestiam, fidem, iustitiam, ieiunia, & chameunias? Non est profectò adeò iniquus Deus,

ut obliuiscatur operis uestri, inquit Apostolus. Hebr. 6.

FERIA TERTIA POST DOminicam passionis. Epistola Danielis XIIII.

QVOD cum audissent Babylonii, indignati sunt uehementer: & cō gregati aduersum regem, dixerūt. Iudæus factus est rex: Bel destruxit, draconem interfecit, & sacerdotes occidit. Et dixerunt cùm uenissent ad regem, Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te & domum tuā. Vidit ergo Rex quòd irruerēt in eum uehementer: & necessitate compulsus tradidit eis Danielem. Qui miserunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus sex. Porrò in lacu erant leones septem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues: & tunc non data sunt eis, ut deuorarent Danielem. Erat autem Habacuc propheta in Iudæa, & ipse coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo: & ibat in campum, ut ferret messoribus. Dixitque angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium quod habes in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. Et dixit Habacuc: Domine, Babylonem non uidi, & lacum nescio.
Ezech.8. Et apprehendit eum angelus Domini in uer-

uertice eius, & portauit eum capillo capitis ſui, poſuitq; eum in Babylonem ſuper lacum in impetu ſpiritus ſui. Et clamauit Habacuc, dicens: Daniel, tolle prandium quod miſit tibi Deus. Et ait Daniel, Recordatus es enim mei Deus, & non dereliquiſti diligentes te. Surgensq; Daniel comédit. Porrò angelus Domini reſtituit Habacuc confeſtim in loco ſuo. Venit ergo Rex die ſeptimo, ut lugeret Danielem. & uenit ad lacum, & introſpexit, & ecce Daniel ſedens. Et exlcamauit uoce magna Rex, dicens: Magnus es Domine Deus Danielis, Et extraxit eum. Porrò illos qui perditionis eius cauſa fuerant, intromiſit in lacũ, & deuorati ſunt in momento coram eo.

Huius Epiſtolæ hiſtoria proponit potiſsimum quatuor.

PRIMO, *Impiam Babyloniorum contra regem, & Danielem ſeditionem excitata non pietatis, aut ueræ religionis, uel publicæ tranquillitatis cauſa, ſed idololatriæ, impij dæmonum cultus, & falſæ ſuperſtitionis. Itaque congregati contra regem, cuius erat ueram religionem tueri, falſam abolere, quod gnauiter opera Danielis erat executus, authorem ipſum mutatæ religionis ad ſupplicium exigunt. Trade, inquiunt, nobis Danielem, qui Belum deſtruxit, & draconem interfecit ſi præcedentia huius hiſto-*

riæ perpendamus, facilè constabit non solam religionem huius seditionis causam dedisse, sed ipsorum qui aris præerant quæstum, & uentrem. Ita hoc nostro infœlici sæculo uarios peperit tumultus, sub prætextu religionis, ambitio, & auaritia hæreticorum: qui dum reformationem religionis pollicentur, aliud nihil tentant, quàm vt turpes harpiæ thesauris ecclesiæ insidiãtur, cuius rei exempla manifestissima sunt ipsi anabaptistæ, suuencfeldiani, euthousiastæ caluinistæq; qui uarijs seditionibus contra legitimam potestatem excitatis, imperia & regna tantum non subuerterunt.

SECVNDO, *Regis facilitatem, qua non tantum non restitit, sed cessit seditiosorum hominum furori, et innocentem, iustum & sanctum Danielẽ ipsorum ludibrio permisit, quum debuisset authoritate regia fortiter ipsorum obsistere conatibus. Vnde & grauissimè peccauit, quod innocentem non tantum non defenderit, sed impijs ad supplicium tradiderit, quanquam enim maioris uitandi mali causa subinde minus malum sit eligendum, nunquam tamen sunt facienda mala, vt inde ueniant bona. Est enim contra uerbum Dei, innocentem & iustum non interficies, Daniel. 13. Malè ergo reges, iudices, & magistratus, etiam, vt putant, tranquillitatis causa, innocentem aut opprimunt, aut opprimi sinunt. Alioqui vt Caiphas à Domino iudicandi. qui censuit unum hominem mori debere, ne tota gens periret, Io. 11. Exigit enim id uerbi Dei authoritas, iustitiæ, &*

æquitas,

æquitas; ut cedat potius iudex officio, quàm in necem consentiat, aut sententiam pronunciet, contra innocentem. Hic tamen Rex Babylonius solo metu seditionis excitatæ, priuationis regni, & mortis comminatæ perculsus, innocentiam opprimi patitur, ipsumq́; Danielem leonibus obijci sinit. Vnde agnoscas ingenium eorum qui ea quæ mundi sunt diligunt, hos enim uel leuissima, ut à recto discedant, tentatio adigit. At uerò qui supra petram, id est, Christum iam sunt firmati, hi quiduis perferunt potius quàm iustitiam deserant, & quanquam, ut est Matt. 7. descendat pluuia, ueniant flumina, & uenti spirent tentationum, non tamen cedunt.

TERTIO, *Exemplo Danielis, docet singularem Dei erga suos electos sollicitudinem, & prouidentiam. Qui enim pullis coruorum ipsum inuocantibus roris alimoniam suppeditat, is suorum curam, qui toti ab ipso pendent, nunquam deponit: ut enim hic Danielem pauit ministerio Angeli, & Abacuc, sic olim Israelitas in deserto manna cœlesti, & auibus, carnibusq́;, necnon Eliam in persecutione Iesabel per coruum pane, et carnibus cibauit, ut merito debeant fideles, quos subinde miserè curæ uictus, & sollicitudo rei familiaris angit, spem omnem & cogitatum in ipsum proijcere, Psal. 54. scientes quoniam ipsi cura est de nobis, 1. Pet. 5. quanquam enim subinde suos paupertate, inedia, aduersitate, & morbis ita excruciet, ut prorsus ipsorum curam abiecisse uideatur, quemadmodum de Daniele iudicasset mun-*

dus, vt etiam de Apostolis, 1. Corinth. 4. agnosce re tamen ex fide debent huiusmodi tentationem ad probationem, peccati uindictam, exercitium uirtutum, & meriti augmentum fieri, vt certius in ipso fidere discant, & agnoscant ipsum esse, qui & possit, & uelit ipsos de tentatione eripere. Nam qui leonum ora ac famem comprimere potuit, is quæcunque pericula, hostes, calamitates facilè supprimet, si modo vt Daniel, nos ei totos credamus.

QVARTO, Deum proponit, admirabili quadam potentia eum liberantem, quem impij tanquam religionis euersorem, publicæ tranquillitatis hostem, & rei publicæ pestem ad bestias damnauerant, quo factò significare haud dubiè uoluit, se potentem illum esse Deum, qui suos possit electos etiam è media morte liberare, vt nec mundus, nec dæmones, nec caro, hostes licet grauissimi, nocere queant: etiam si maximè sæuiant, vt merito de ipsius auxilio confidere possint electi, nec metuere potentiam, authoritatem, & tyrannidem impiorum, quam leui momento destruere spiritu oris sui potest Deus, est enim gaudium impiorum ad instar puncti, Iob. 21. & Psal. 36. Fructus autem huius, erga Danielem exhibitæ, diuinæ potentiæ fuit Regis Babylonis ad cognitionem ueri Dei conuersio, & seditiosorum hominum iustum supplicium. Ita vt vtrinque commendetur eius misericordia, qua de massa perditionis, quos uult separat, & iustitia, quà dignos deseri, deserit.

FERIA QVARTA POST Dominicam paſſionis. Epi- ſtola Leuit. XIX.

NON facietis furtum. Non 'mentiemini, nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum. Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. ego Dominus. Non facies calumniam proximo tuo, nec ui opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane. Non maledices ſurdo, nec corā cæco pones offendiculum: ſed timebis Dominum Deum tuum, quia ego ſum Dominus. Non facies quod iniquum eſt, nec iniuſte iudicabis. Non conſyderes perſonam pauperis, nec honores uultum potentis. Iuſtè iudica proximo tuo. Non eris criminator, nec ſuſurro in populo. Non ſtabis contra ſanguinē proximi tui. ego Dominus. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum. Non quæras ultionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Diliges amicum tuum ſicut teipſum. ego Dominus.

Exo.20. b
Deut.5. b
Eccl. 10. a
Deut. 24.
Tob.4. c
Deut.1.c
16. d
Iacob.2.
Prou. 24.
1.Ioh.2. b
3.c
Eccl. 19.b
Matth. 18
Luc.17.a
Mat.5. g
22.d

Continet hac Epistola præcepta secundæ tabulæ, ea scilicet quæ ad præsentis uitæ publicam tranquillitatem spectant: sunt autem eius præcipua capita quatuor.

PRIMO, *Authoritate sua interposita, prohibet ea omnia Deus quæ proximo damni aliquid adferre possent, dum ait: Non facietis furtum, quod fit ablatione rei alienæ inuito domino non mentiemini, quod fit falsa significatione cum intentione fallendi. Non decipiet unusquisque proximum suum, quod fit dum fraude quis circumuenit in negotio fratrem suum. Pulchrè autem hæc præcepta confutant & Platonis, et anabaptistarum somnia de rerum communione. Si enim, vt illi uolunt, priuata bonorum possessio cum uerbo Dei pugnaret, nequaquam prohiberet Deus furtum, mendacium, & fraudem, omnesq; malas artes, quibus ea quæ iure proximus possidet, malo titulo inuadere nitimur, neque enim fraus ulla cōmitti potest, ubi omnia esse communia iudicantur. Atqui vt significaret Deus priuatam bonorum possessionem esse legitimam, prohibet ablationem, & cōcupiscentiam rei alienæ: imò eum qui præceptum hoc uiolasset, uult Exod. 22. ad restitutionem in quadruplum cogi. vænundari, si non habeat unde reddat, & occidi, si noctu fores, vt furetur, effringat.*

SECVNDO, *Quia plerunque soleant homines authoritate*

tate nominis diuini interposita, proximos fraude, dolo, & deceptione circumuenire in contractibus uel licitis, uel illicitis, in uenditione rerum malarum, putrium, corruptarum pro bonis, & in negotiatione, in qua difficilè exuitur quis à negligentia, Eccles. 26. Idcircò grauissimè prohibet dominus, ne quis sacrosanctum ipsius nomen temerè adsumat, quod sine maximo peccato fieri nequeat ipsum qui summa ueritas est, mendacij teste facere. Ideo, inquit, non periurabis in nomine meo, & non polllues nomen domini Dei tui. atqui hodie tantus est horum neglectus, ut ludus sit abuti Dei nomine, in re futili & leuissima, ut meritò dicat Sapiens, Eccles. 26. Non iustificabitur caupo à peccatis labiorum, quum Apostolus 2. ad Timoth. 2. uelit quàm alienissimos esse ab iniquitate, dolo, & periurio, eos qui inuocant nomen domini. Cæterum prohibet dominus non tantum eas fraudes, quæ in contractibus solent committi, sed etiam quæ ex inuidia suboriri solent, calumnias, criminationes, & accusationes falsas, quibus tum corpus, tũ fortuna, tum etiam familiæ in discrimen adduci solent.

TERTIO, *Ne quid uel ad iustitiam, uel ad conscientiæ tranquillitatem deesset, mercenario peracti operis mercedem reddi iubet, quia hoc peccatũ clamat ad dominum, & intrat ad aures Dei, Iacobi 5. Hoc est, uindictam et diuinam ultionem exigit in eos qui miseris operarijs ex pacto, & conuentione pollicitam mercedem, uel soluere differunt, defraudant minus*

numerando,

numerãdo, ac prorsus debitum pernegãt, freti, scilicet, ea qua pollent dignitate, potentia, & authoritate. Huiusmodi enim plerunque uideas, vt loquitur Iacobus cap. 5. per potentiam opprimere pauperes, imò miseros, si debitum exigant, pertrahere ad iudicia, Iacobi. 2. & iudicum authoritate, quam sibi plerunque propitiam habent, coercere. Cuius quãta sint hodie exempla, abundè satis fora & tribunalia, ac miserorum lachrymæ testantur, nec non surdo maledici, aut cæco poni offendiculum prohibet, intelligit autem surdos & cæcos eos, qui uel rudes sunt & ignari vt dolos & fraudes prudentium huius seculi, aut non intelligant, aut non animaduertant, & absentes non possunt falsis accusationibus, calumnijs, iniurijs, detractionibus respondere, proinde quum hæc grauissima peccata ex neglectu timoris Dei oriantur, timorem sui inculcat Deus: nam qui Deum cogitat peccatis offendi, & ipsum, quia iustus est, ea uelle punire, hic facilè & animum, & linguam, & manum ab his continebit quæ Deo displicere intelligit, si non amore iustitiæ, saltem metu pœnarum.

QVARTO, Quia potissimum reipublicæ fœlicitas non tantum ex priuatorum hominum modestia, pendet, sed ex legitima magistratus, & iudicum functione, quorum authoritatem perpetuò esse uoluit sacrosanctam. Ipsis quoque, quanquam non desint qui omnia hæc ad priuatos etiam referri uelint, sua præscribit officia, inquiens: non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis, non consideres personam pauperis,

& non honores uultum potentis. pariunt enim hac uitia grauissimos in repub. motus & seditiones. Committuntur autem plerunque hac uitia iudicum uel ambitione, uel amore diuitum, uel auaritia, dum spe uel munerum, uel sportularum subuertunt iudicia. Caterum his non contentus Deus, rursus priuatos monet, dicens: Non eris criminator, nec susurro in populis, vt scilicet suscites dissidia, seditiones, & bella, & non stabis contra sanguinem proximi tui, vt scilicet falso testimonio, falsa calumnia ipsius mortem procures, quia ego Dominus, inquit, qui ultor huiusmodi criminum ero, nec patiar ea esse inulta.

FERIA QVINTA POST Dominicam Paſsionis. Epiſtola Danielis III.

ORAVIT Daniel ad dominũ dicens: Ne'quæſimus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne diſsipes teſtamentum tuum, neque auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuum: quibus locutus es, pollicens quòd multiplicares ſemen eorum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam quæ eſt in littore maris, quia Domine imminuti ſumus, plus quàm omnes gentes, ſumusque humiles in uniuerſa terra hodie propter peccata noſtra.

stra. Et non est in tempore hoc princeps, & dux, & propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum: committe, ut possimus inuenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. Sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te. Et nunc sequemur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam. Ne confundas nos: sed fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam, & secundũ multitudinem misericordiæ tuæ. Et erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo Domine: & confundantur omnes qui ostendunt seruis tuis mala, confundantur in omni potentia, & robur eorum conteratur: & sciant quia tu es Dominus Deus solus, & gloriosus super orbem terrarum.

Hac Epistola uerus orator Daniel, tria agit.

PRIMO, *Sustinens personam populi Israelitici, in captiuitate Babylonica, misere adflicti, humili oratione Deum suarum promissionum commonefacit, dicens: Ne despcias domine populum tuum, Ne dissipes testamentum tuum, Ne auferas misericordiam*

tuam

tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Israel sanctum tuum. An quæso tanti sunt apud Deum sanctorum merita, vt ipsis in oratione fidere possimus? Iniuriam ne meritis Christi, quæ exactissimè intellexerat facit Daniel, dum Abrahæ & Israelis merita opponit iræ Dei? Videant hic quæso pij, num lutheranorum, anabaptistarum, caluinistarum, & sectariorum doctrina, de meritis sanctorum cum scriptura conueniat, Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum. Certè Daniel, dum sanctorum merita iræ Dei opponit, non proprij cerebri somnia sequitur, sed uerbum Dei, Esa. 37. quod tanti apud Deum esse sanctorum opera docet, vt ipsorũ intuitu alijs misereri velit Deus. Protegam, inquit, ciuitatem istam propter me & propter Dauid seruum meum. Est autem in hac materia fidei ueritas, & ecclesiæ doctrina scripturis confirmata, merita sanctorum esse Dei dona, nec nisi ex spiritu Christi inhabitantis proficisci, vt meritò non sint contemnenda, sed magni æstimanda, atque etiã apud Deũ meritoria. Vide August. Epistola 105. eiusq́ agnoscit uindicem iustitiam, iustissimè peccata punientẽ: qua regnum florentissimum, vrbem potentissimam Hierusalem, & templum magnificum populi Israelitici, quem in suum peculium quondam delegerat, ac cognitione sui, lege diuinitus data, promissionibus de Christo uenturo, & uera religione quæ deum coleret exornauerat, passus est à Babylonijs, urbe ac templo uastatis & exustis, in miseram abduci seruitutem,

multis

multis milibus occisis ac trucidatis : ut meritò dicat Daniel Imminuti sumus plusquam omnes gentes, sumusq́ humiles in uniuersa terra, scilicet propter peccata nostra quæ describuntur, 4. Reg. 17. 18. Ezech. 39. 22. Ose. 13. Esa. 1. alijsq́ pluribus scripturæ locis. Ea enim est Dei iustitia, ut nullum sinat inultum esse peccatum. Quia autem Apost. teste, 1. Cor. 10. Omnia in figura contigerunt illis, ac scripta sunt ad correptionem nostram, aptissimè hæc populo Christiano competunt, qui licet Dei cognitione, sacramentorum usus, scripturarum intellectu, alijsq́ mysterijs cæteris præstet nationibus, huiusmodi Dei beneficijs destitutis : iustè tamen merito peccatorum suorum, quibus turpiter diffluit, iram Dei experitur, ut nulla penè natio sit Christiana deploratior, quæ tantis sectis, erroribus dissidijs, & odijs intestinis inter se dissidet ac tumultuatur, ut meritò se dicere imminutam possit plusquam omnes gentes.

SECUNDO, Ex intimo cordis dolore, ac uera animi ad Deum conuersione reipub. Iudaicæ statum ac miseriam describens cõqueritur ea omnia esse sublata, quibus solent Dei iram, & misericordiam si quando peccassent, flectere, & inuenire. Erant hæc autem holocausta, sacrificia, oblationes, & incensum quæ in loco primitiarum, iuxta uerbum Dei, 3. Reg. 7. oblata, mox ipsos Deo, quoad temporalia, reconciliarunt. Voluit enim Deus apud Iudæos ista externa esse sacrificia tanquam symbola uerbi sui, quæ licet, ut loquitur Apostolus, Hebr. 9. non poterant aufer-

re peccata, nec iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, quia umbræ tantum erant & figuræ ueri illius sacrificij, quod in cruce filius Dei obtulit, tẽporalia tamen bona conferebant. Nunquam enim ueros sui cultores sine externo quod ipsi soli exhiberetur, sacrificio reliquit. Sicut etiam in noua lege sacrificium crucis, incruentum extare uoluit, quod à fidelibus iugi commemoratione ex ipsius Christi institutione patri offerretur: quo fit ut incruentũ hoc sacrificium non sit aliud ab illo, quod in cruce filius Dei peregit. Atqui hoc nobis eripere student ipsis Babylonijs ferociores, zuuingliani, anabaptistæ, & caluinistæ qui sublatum uolunt omne externum sacrificium sacerdotium, & cultum, qui Deo uero exhiberi solet. & insuper docet quo tandem cultu in huiusmodi uastitate, quando externa omnia pijs adimuntur, Deum colere possint: nempe spiritu humilitatis, & animo contrito. quibus uerè colitur Deus, adeò ut in his potissimũ ueræ religionis rationem semper posuerint scripturæ, Psal. 50. Siquidem irrita, ac penè inania externa illa symbola semper fuere, si istis destituebantur. Neque enim externa illa propter se tantum præcepit Deus, sed horum causa. Hinc uolunt prophetæ circuncisionem cordis, Hierem. 4. & sacrificium iustitiæ, Psa. 4. spiritus contribulati, & cordis contriti, ut meritò animum despondere fideles non debeant, quanquam angi non immeritò possint, etiam si uideant impietatem grassari, omnia monumenta ueræ religionis aboleri hæreticorum impudentia.

pudentia. Tantum ex uera fide offerant hoc sacrificium spiritus Deo gratissimum magis quàm holocausta arietum, aut adipem agnorum pinguium. petant hoc gratum esse in conspectu Dei: scientes, quod non sit confusio confidentibus in ipsum, iuxta illud, Psal. 90. Quoniam in me sperauit, liberabo, protegam, exaudiam, & glorificabo, eos qui deposita propria fiducia, toti à me dependent, in me spem omnem collocant, & curam & sollicitudinem deponunt.

QVARTO, Describit quæ sint agenda illi, qui Dei misericordiam sibi propitiam uelit, scilicet sequi Deum in toto corde, eum timere, & eius faciē perpetuo quærere. istis enim partibus consistit uera ac Christiana iustitia, quam quisquis gratia redemptoris consequitur, is tandem de diuino adiutorio spem firmam concipiet, vt cum Daniele dicat: ne confundas nos, fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam, & secūdum multitudinem misericordiæ tuæ. quasi dicat, Merentur quidem nostra peccata hæc quæ patimur supplicia, atqui tantis est misericordiæ tuæ fons & scaturigo, vt indignis miserearis. Ergo erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo. detrahent enim impij potentiæ tuæ, si sponsam tuam quam tibi in fide desponsasti Oseæ. 3. scilicet Ecclesiam quam sanguine tuo redemisti, ludibrio permittas hæreticorum, si illius sacramenta, fidem, & religionem opprimi sinas. Obsecro, igitur, domine, confundantur omnes qui ostendunt seruis tuis mala, & qui Ecclesiam tuā opprimunt: & sciāt, quia tu es dominus Deus solus.

FERIA

FERIA SEXTA POST Dominicam Paſsionis. Epiſtola Hierę. XVII.

EXPECTATIO Iſrael Domine, omnes qui te derelinquunt confundentur recedentes à te in terra ſcribentur: quoniam dereliquerunt uenam aquarum uiuentium Dominum. Sana me Domine, & ſanabor, ſaluum me fac, & ſaluus ero: quoniam laus mea tu es. Ecce ipſi dicunt ad me: Vbi eſt uerbum Domini? ueniat. Et ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens: & diem hominis non deſideraui, tu ſcis. Quod egreſſum eſt de labiis meis, rectū in conſpectu tuo fuit. Non ſis tu mihi formidini, ſpes mea tu in die afflictionis. Confundantur qui me perſequuntur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego: induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos. Hæc dicit Dominus ad me. Vade, & ſta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur reges Iuda, & egrediuntur, & in cunctis portis Ieruſalem: & dices ad eos. Audite uerbum Domini reges Iuda, & omnis Iuda, cunctique habitatores Ieruſalem qui ingredimini per portas iſtas.

Tria agit hac Epistola Propheta.

PRIMO, *Vaticinatur Hieremias de miseria eorum, qui uel infidelitate, uel deliberata malitia, uel alio quocunque peccato Deum, fontem aquarum uiuentium, & totius bonitatis scaturiginem deserunt. merentur enim vt & ipsi quoque deserantur, deserti uerò ab eo qui est Via, Veritas, & Vita, non possunt non turpiter aberrare, amplecti mendacia, & morte opprimi. ex quibus uera sequitur confusio, quam comminatur Propheta, nec vt ait quicquam ad hæc euitanda ualet sine gratia liberum arbitrium, quod in huiusmodi desertis Aug. teste non nisi ad peccandum ualet, quam diu gratiæ destituuntur auxilio: quo fit, vt non solum Deum non deserant, sed vt auersi resipiscant, peccantes pœniteant, & erroribus impediti, ueritatem amplectantur. quibus comparatur uera animi fœlicitas, conscientiæ tranquillitas, & beatitudo, vt contra qui dominum dereliquerint concupiscentia rerum terrenarum irretiti, odio uel inuidia liuidi, & auaritia, uel libidine excæcati in terra scribantur, deleti nimirum de libro uitæ, terrenis ac perituris beneficijs affecti, ducentes, vt inquit Iob. 21. in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

SECVNDO, *Sub persona omnium oppressorum agnoscit suam infirmitatem, tum animi, tum corporis, quæ peccati merito totam naturam ita peruasit, vt sibi*

bi relicta non possit tentationibus resistere, & ægritu dines ferre. quod elegãter Regius ille Psaltes, Psal. 6. testatur, dum ait: Miserere mei domine, quoniam infirmus sum, Sana me, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea, & anima mea turbata est ualde. Vt non immerito sancti omnes deposita propria fiducia, quam uel ex animi dotibus, uel ex robore corporis concipere solet caro, à solo Deo, penes quem est certa potestas, & prompta uoluntas, auxilium petant: iuxta illud: Ad dominum quum tribularer clamaui, Psal. 119. Siquidem ipse est qui redimit de interitu uitam, sanat contritos corde, propitiatur omnib. iniquitatibus, & coronat in misericordia, & miserationibus. Rectè ergo Propheta Deo dicit: Saluũ me fac, & saluus ero. & insuper ostendit eum per quẽ possimus aduersarijs fidei, hostibus uerbi Dei, & inimicis crucis resistere, ridentibus ueritatem uerbi Dei. Est enim omnibus impijs familiare, vt liberius uitijs suis indulgeant, quare ueros uerbi Dei ministros, pastores, & doctores contemnunt, atque vt olim Iudæi Hieremiam, mendacij subinde arguunt, quasi uanæ essent Dei comminationes, eò quòd lento gradu ad peccati uindictam diuina procedat ira. Quia enim non profertur cito contra impios sententia, absque timore peccant. Huiusmodi autem illusoribus, qui gloriãtur quod percusserint fœdus cũ morte, flagellum inundans cum transierit, non ueniet super eos, & cum inferno fecerint pactum ac proinde rident horrendas illas scripturarum comminatio-

nes, dicentes: Peccaui, & quid mihi accidit triste? Eccles. 5. grauiter comminatur, Esa. cap. 26. eosq; ad uerbum domini remittit, quia ipsorum fœdus cũ morte non stabit. flagellum inundans tollet eos, & pactum cum inferno irritum erit. Proinde non est quod moueantur ueri prædicatores uerbi Dei, licet mundus ueritatem uerbi rideat ac contemnat, tantum ipsi, ut ait Hieremias, uerum pastorem Christum sequantur, illius uerbo sua dogmata confirmẽt, Christi gloriam quærant, & non turbabuntur. Ego, inquit Hieremias, non sum turbatus, te pastorem sequens: quasi dicat, & si me damnent ac rideant impij, ego tamen ueritatem non deseram, nec ad gratiam hominum loquar.

TERTIO, *Magna conscientiæ securitate Propheta coram Deo suam testatur innocentiam.* Tu scis, inquit, quod diem hominis non desiderauerim, id est, fauorem humanum, auram popularem, ut eius occasione ueritatem uerbi tui deseruerim, & quod egressum est de labijs meis, rectum in conspectu tuo fuisse: quasi dicat, non fui, ut multi, adulterans uerbum tuum, errores aut somnia prætextu uerbi annũciãs. Magna profectò prophetæ fides, constantiaq;, qui tãtis agitatus iniurijs, nunquam tamen à ueritate uerbi uel latum unguem discessit, ut potuerit non solum coram mundo, sed etiam coram Deo suam aperire conscientiam. Sic olim Paulus: Nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc, inquit, iustificatus sum, 1. Corint. 4. &, Nihil subterfugi eorum, quominus docerem

rem

rem uos omnem ueritatem. Item, Nihil minus feci à cæteris apostolis. Vtinam hanc Prophetarum, & Apostolorum in doctrina uerbi Dei puritatem hodie imitarentur quotquot sibi hanc functionem passim uendicant, non ita nunc fluctuaret Christiana religio, tot distracta dissidijs, opinionibus, erroribus, & schismatibus. ut penè tot sint sententiæ quot sunt prædicatores, dum multi spiritu soporis & uertiginis ebrij sua somnia passim prædicant. nec non impijs uerbum Dei contemnentibus, Prædicatores ridentibus, grauem comminatur interitum, licet non omnino de sua innocentia securus, se ex misericordia, non seueritate iustitiæ petit iudicari, dicens: Confundantur illi, & non confundar ego, paueant illi, & non pueam ego: quæ non optandi modo à Propheta dicuntur, sed uaticinandi: quasi dicat, futurum est ut illi confundantur, qui oblatam salutem respuunt, gratiam remissionis peccatorum contemnunt, & uerbum Dei quod potest saluare animas nostras, ostentui habent. Ac ne quis putaret leue hoc esse peccatum, quale eos maneat supplicium, exprimit: duplici contritione cõtere eos, inquit, Domine Deus noster: quasi dicat, non affligentur tantum in corpore, ut aut fame, bello, gladio, aut peste intereant, hæc enim subinde etiã sanctissimis eueniunt: sed audiant horrendam illam sententiam: Ite maledicti in ignem æternum, ut anima, & corpore, mittantur in gehennam.

SABBATO ANTE DOMInicam palmarum. Epiſtola Hieremiæ XVIII.

ET dixerunt: Venite,& cogitemus contra Hieremiam cogitationes: non enim peribit lex à ſacerdote, neque conſilium à ſapiente, nec ſermo à Propheta. uenite,& percutiamus eum lingua,& non attendamus ad uniuerſos ſermones eius. Attende Domine ad me,& audi uocem aduerſariorum meorum. Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ? Recordare quòd ſteterim in conſpectu tuo ut loquerer pro eis bonum, & auerteram indignationem tuam ab eis. Propterea da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladii: fiant uxores eorum abſque liberis & uiduæ: & uiri earum interficiantut morte: iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio. Audiatur clamor de domibus eorum, adduces enim ſuper eos latronem repente: quia foderunt foueam, ut caperent me, & laqueos abſconderunt pedibus meis. Tu autem Domine ſcis omne conſilium eorum aduerſum me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conſpectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.

Hieremias

Hieremias typum gerens Christi à Iudæis spreti, contempti, ac crucifixi, præsenti Epistola agit tria.

PRIMO, *Describit impia Iudæorum consilia, quibus Christo de ipsis benemerenti perniciem moliebantur & sibi, ac Reipublicæ suæ salutem ex eius morte cō ciliare nitebantur, dum ait: Venite, cogitemus contra iustum cogitationes: quæ causa obsecro: quia ut est Sapien. 2. contrarius est operibus nostris, improperat nobis peccata legis, diffamat in nos peccata disciplinæ, et factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum, & grauis est nobis ad uidendum. Erant igitur cogitationes Iudæorum contra Christū ut unus ipse moreretur pro populo, ne tota gens periret, Ioan. 11. Porrò ut omnia sibi tuta fore sperabant principes sacerdotum Christo sublato: ita & Iudæi, quibus displicebat ueritas, à Hieremia prædicata, omnia fœlicius in repub. successura putabant, ipso tanquam seditioso ecclesiaste sublato, dicunt enim: non peribit lex à sacerdote, nec sermo à propheta, nec consilium à sapiente: quasi dicat, est certa & firma Dei promissio, qua sacerdotium nostrum diuinitus institutum perpetuo duraturum cum legis cognitione permanebit, Mala. 3. Deu. 17. ut non possimus quæ agenda sunt ignorare. Non destituemur sapientum consilijs, quia ex his dependet reipub. fœlicitas, nec prophetæ, qui Dei uoluntatem nobis annunciāt*

uerbo & uisionibus destituentur. Venite ergo, & hūc seditiosum quotidie prædicantem. cap. 19. 20. afflictiones, bella, urbis excidium, templi desolationem, Regis captiuitatem, & totius Reipubl. uastationem percutiamus lingua, mittamus lignum in panem eius, Hiere. 11. eradamus eum de terra, non attendamus ad uniuersos sermones eius, hoc est, falsis criminationibus & calumnijs eum oneremus, crucem in corpus eius, quia subinde se panem qui de cœlo descendit, dicere solet, morte turpissima condemnemus eum, & tanquam somnia ipsius conciones æstimemus.

SECVNDO, *Sub persona Christi Propheta sese omni humano præsidio destitutum sentiens, quando tum politicus, tum Ecclesiasticus magistratus contra eum conspirasset, ita ut in neruum mitteretur, ac in luto proijceretur: ideo Deo suam testatur innocentiam, eumq́ ex fide agnoscens omnium oppressorum refugium, auxilium in tribulatione, & defensorem, petit illum attendere causæ suæ, uide Psal. 42. & audire uoces aduersariorum. siquidem tanta sit illius imbecillitas, ut sustinere ipsorum iniurias non possit, nisi adiutus diuino præsidio. Neque uerò prophetæ tantum hæc competunt, sed omnibus fidelibus, imo ipsi Christo in cruce constituto, cuius innocentiæ hæc competit querimonia, qua queritur sese pro miraculis, euangelij prædicatione, & remissione peccatorum quam gratis obtulit, retulisse inuidiam Scribarum et Pharisæorum, contumelias, exilia, Ioan. 9. 11. & crucem. Nunquid redditur, inquit, pro bono malum?*

quia

quia foderunt foueam animæ meæ. Recordare ergo quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & ut auerterem indignationem tuam ab eis, dum scilicet in cruce pendens dixi: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, & insuper impijs grauissima supplicia cōminatur, intelligebat enim Dei iustitiam non passuram inultam tantam iniuriam, perfidiam, & ingratitudinem, non ipsi tantum prophetæ, sed Christo Dei filio exhibendam. Atque adeò omnibus ijs qui uel Dei beneficijs essent ingrati, uel innocentes ac pios opprimerent. Ut ex hac comminatione meritò possint terreri impij, & singularem consolationem accipere pij. scientes illi Deum scelerum ultorem esse, isti autem innocentiæ suæ defensorem.

TERTIO, *Præmissa comminatione enumerat quæ mala ipsis immineant, tum à Babylonijs ob grauissima ipsorum peccata, scilicet, ut est Ezech. 16. idololatriam, uagas libidines, & otium. tum à Romanis, Tito scilicet & Vespasiano ob contemptum, ignominiam, & mortē filij Dei. propterea inquit, Da filios eorum in famem, ut uel ipsi fame pereant, uel suo corpore alijs famem extinguant, 4. Re. 6. deduc eos in manu gladij, fiant uxores eorum absque liberis, uiri interficiantur morte, & iuuenes cōfodiantur gladio. nemo autē arbitretur hæc à Propheta dici appetitu uindictæ: fuerunt enim sanctissimi illi homines, quam alienissimi ab hoc uitio, scientes domino hanc esse ex ipsius præcepto relinquendam, sed tantum est futurorum prædictio, ut uel sic metu imminentis mali pœnitentiam*

tentiam agerent, a peccatis desisterent, Deo se reconciliarent. Verum quum animaduerteret Propheta aliud se nihil quàm surdis fabulam canere, ipsosq́ propria malitia ita excæcatos, ut non ante desisterent, quàm filium Dei morte turpissima condemnassent, immutabilem contra ipsos pronunciat Dei sententiam: Ne propitieris, inquit, iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur. Quomodo igitur Petrus, Act. 2. multis pœnitentibus, qui ut Christus crucifigeretur fuerant cooperati, ueniã concessit? Verum id nullo pacto cum propheta pugnat. Is enim loquitur de iis qui in odio et contemptu perseuerarunt, quales erant scribæ, pharisæi, principes, & sacerdotes, quorum malitia ex Apostolorum prædicatione creuit.

DOMINICA IN RAmis Palmarum. Epistola ad Philippenses II.

HOc enim sentite in uobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formã serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu
Hebr.2. inuentus ut homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens usque ad mortem: mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit il

lum

lum: & donauit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Rom. 14. Esa. 45.

Tria præsenti Epistola agit Apostolus.

PRIMO, *Fideles hortatur, non ad solam fidei professionem, quæ uerborum strepitu enunciatur, aut corde solum creditur: neque enim sola fides ad iustitiam sufficit, quum sit illius tantummodo pars, sed ad uitæ innocentiam, quæ præter fidem, etiam charitatē, modestiam, mansuetudinem, obedientiam, & humilitatem, aliasq; uirtutes complectitur, quæ quū in nullo uiuidius, quam in Christo apparuerint, qui prototypus est & exemplar absolutissimum omnium uirtutum, imò potius fons & origo, hunc commodissimè proponit Apostolus fidelibus imitandum: quia non est in alio aliquo salus. non aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. in ipso habitabat omnis plenitudo diuinitatis. adeò, ut de plenitudine eius omnes acceperimus, gratiam scilicet pro gratia, Ioan.* 1. *id est, gratiam glorificationis æternæ, pro gratia iustificationis indebitæ, ut inquit Fulgentius lib.* 1. *ad Monimum. Sed operæpretium est animaduertere, quas Christi uirtutes imitari à nobis uelit Apostolus, dum ait: Hoc sentite in uobis, quod & in Christo Iesu. Num scilicet eas, quibus*

bus siccis pedibus super aquas ambulauit, Marc. 6. mortuos ad uitam reuocauit, Ioan. 11. Luc. 7. claudis gressum restituit, Matth. 21. leprosos mundauit Matth. 8. & cæcos illuminauit? Luc. 18. minimè uerò. has enim & si quibusdam concesserit, non tamen omnibus contulit: licet enim admirandæ sint, non tamen ad salutem sunt necessariæ, neque ab ipsis pendet nostra iustificatio, quando & reprobis etiã conceduntur. Matth. 7. Hæ uerò uirtutes quas nos uult imitari Apost. tales sunt, ut sine ipsis placere Deo sit impossibile. Sunt autem Charitas, qua sola eum impellente, nos dilexit, quum inimici essemus, & semet ipsum exinaniuit, formam serui accipiens, ut pro nobis fieret uictima, qua æterni patris ira remitteretur, & humilitas, qua quum diues esset, pro nobis egenus factus est, ut illius inopia, diuites efficeremur. Adeò enim hæ sunt omnibus necessariæ, ut apertè doceat Apostolus 1. Corin. 13. sine his consistere ueram iustitiam non posse, quum sola charitas sit uinculum perfectionis. Ergo si tantum nos dilexerit Christus, ut se totum nobis impenderit, abesse procul à nobis omnis inuidia, ira, indignatio debent: his enim Christum non imitamur, sed ab ipsius uestigijs recedimus.

SECVNDO, Proponit admirandam Christi mansuetudinem, qua semetipsum exinaniuit, formam serui accepit, & humiliauit semetipsum usque ad mortẽ. Etenim quum esset ineffabili diuinæ maiestatis gloria æterno patri æqualis, nimio nostri amore, ne crea

tura ad imaginem Dei creata semel, in æternum periret, semetipsum exinaniuit, accipiendo inferiorem, nõ degenerando ab æquali, ut habet August. in Psal. 34. accessit enim in unitate personæ uerbi anima rationalis & caro, secundum quam humanitatem licet esset minor patre, erat tamẽ ei æqualis secundũ diuinitatem, ut ipse testatur, dum ait: Ego & pater unum sumus. Quia uerò non alia ratione, quàm morte filij Dei, superanda erat crudelis illa peccati, mortis, inferni, & diaboli tyrannis, quæ homini dominabatur merito primæ illius transgressionis, nec mori, aut alicui passioni subijci posset diuinitas, singulari dispensatione per unionem hypostaticam coniuncta est diuinitati humanitas: quam sub forma seruili intelligit Apostolus. etenim nomine formæ intelligit substantiam, authore Chrysostomo, sicut & nomine serui, ipsam humanitatem, iuxta Damasce. lib. 3. cap. 21. Quia si separata fuisset ab humanitate Christi diuinitas, nihil aliud quàm serua fuisset. Tanta autem fuit illius erga nos dilectio, ut non solum sese deiecerit ad humanæ naturæ susceptionem, qua uiuere inter nos, si uoluisset, potuisset, beatus ac diues, sed & factus pro nobis est pauper, egenus, humilis, & contemptus, ut potius uermis diceretur quàm homo, opprobrium hominum & abiectio plebis, Psa. 21. dum sese deiecit nostri caussa ad mortem non splendidam, aut gloriosam, sed plenam confusionis, horroris, scandali, & miseriæ. & ut ait Apost. mortem crucis, qua nulla cogitari potuit execrabilior. siquidem maledi-

ctus

ctus indicabatur qui pendebat in ligno. Ipse igitur factus pro nobis maledictum, ut nos eriperet de maledicto legis, Gala. 3. ut promissio ex fide daretur credentibus: qua profectò humilitate maior ab aliquo præstari nulla potuit. Meritò igitur hanc fidelibus proponit Apostolus, idq; multis de causis: primo ut tantam Dei clementiam admiremur. secundo ut hac occasione in amorem Dei rapiantur. tertio ut pro gratia iustificationis, quam per Christum sunt consecuti, patri æterno gratias agant. quarto ut sicut Christus non sibi, sed pro nobis se humiliauit: ita & ipsi illius imitarentur exemplum, proximis compatiendo & condolendo. Est enim efficacissimum argumentum tantæ humilitatis Christi consideratio humanis affectibus commouendis. Cuius enim tam cornea fibra est, tam adamantinum pectus, quod isthoc non moueatur exemplo: ut fastum, superbiam, inuidiam, iram, aliaq; monstra ex animo suo non dimoueat? ficulneus ac planè stupidus sit, imò à Deo desertus, quisquis isthoc non commouetur exemplo.

TERTIO, Indicat Apostolus qualem Christus sit consecutus gloriam ex singulari humiliatione, obedientia, passione, & morte, dum ait: Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen. Ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, Apocalyp. 5. terrestrium hominum, infernorum dæmonum, qui credunt & contremiscunt. tanti enim fuit meriti apud Deum patrem Christi obedientia, ut non tantum nobis, uerumetiã

sibi

sibi meruerit (quanquam id pertinaciter negare non uereatur Caluinus, qui turpiter hunc locum peruertit) præclaras illas tam corporis quàm animi dotes. Diuinitati enim nulla maior, quàm inerat, gloria accidere potuit. Quare prudenter distinguenda est à diuinitate anima Christi, quam crassa quadam ignorantia confundere imperiti solent. Meruit autem Christus animæ ἀπάθειαν, seu passionum indolentiam, & claritatem. corpori autem immortalitatem. gloriam, fœlicitatem, et sessionem ad dexteram patris. Quod uerò hæc Christo secundum humanitatem sint reddita merito innocentiæ, humilitatis, passionis, ac denique mortis, manifeste non hic tantum testatur locus, uerum & ille, Esa. 53. pro eo quod laborauit anima eius uidebit, & saturabitur. Item: iniquitates omnium nostrum portauit, ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia. Item psal. 44. diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. Vides Caluine Christum esse à Deo Patre benedictum propter sanctitatem uitæ & doctrinæ? Quod si huic interpretationi non credas, Basilium in commentarijs eiusdem Psalmi consulas, qui ex ijsdem scripturis huc allatis docet Christum multa consecutum, tanquam merita & præmia uirtutis: quare immeritò hoc loco scholasticos grauas Caluine, quasi hi primum hoc ediderint paradoxon: quando communis omnium ueterum hæc fuerit sententia, qui hanc præpositionem, propter causalem esse uolunt, non consecutiuam tantum.

FERIA

FERIA SECVNDA post Dominicam Palmarum. Epiſtola Eſaiæ L.

DOMINVS Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abii. Corpus meũ dedi percutientibus, & genas meas uellentibus faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus. Dominus Deus auxiliator meus, ideo nõ ſum confuſus, ideo poſui faciem meam ut petram duriſſimã, & ſcio quoniam non confundar. Iuxta eſt qui iuſtificat me, quis contradicet mihi? ſtemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus, auxiliator meus: quis eſt qui condemnet me? Ecce omnes quaſi ueſtimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex uobis timens Dominum, audiens uocem ſerui ſui qui ambulauit in tenebris, & non eſt lumen ei? ſperet in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum ſuum.

Matth. 26

Eſt hæc Epiſtola, quædam ὑποτύπωσις paſsionis Chriſti, quæ non futura prædicere, ſed geſta narrare uidetur: Suſtinet autẽ perſonam Chriſti Propheta, tria potiſsimum agens.

PRIMO, *Proponit Christum sese ex singulari patris uoluntate obtulisse pro salute generis humani, quia sacrificia, holocausta, & oblationes patri iam non placuerunt: impossibile enim erat sanguine taurorū aut hircorū deleri peccata. Hebr.* 10. *Ideo, inquit, dominus aperuit mihi aurem, uel ut est Psal.* 39. *corpus aptauit mihi. Ego autem non contradico, & retrorsum non abij. siquidem in capite libri scriptum est de me, ut facerem uoluntatem tuā Deus meus. In mysterio nanque redemptionis humanæ peragendo eadem totius trinitatis fuit uoluntas, licet filius tempore passionis in agonia, & sudore sanguineo constitutus, petere uidebatur, ut si possibile esset, transiret ab eo calix: erat enim ea petitio, insinuatio tantum humanæ imbecillitatis, quam mox ratio superior correxit, dum ait: ueruntamen nō mea, sed tua uoluntas fiat. Nihil enim æquè semper optauit filius, ac redemptionem, & salutem generis humani, quam nulla ueterū sacrificiorum hostia comparare potuit, sed sola agni immaculati Christi, quam pro nobis iuxta patris uoluntate in ara crucis obtulit, ut esset redemptio, & propitiatio, pro peccatis, non pro nostris tantum, ut loquitur Ioannes cap.* 2. *sed pro totius mundi.*

SECVNDO, *Vt singularem filij Dei erga nos dilectionem & amorem insinuaret, ostendit, semotis metaphoris, figuris, & ænigmatibus, quomodo filius Dei semetipsum exhibuerit Deo patri pro nobis &c. Ephes.* 2. *oblationem, & hostiam, in odorem suauitatis, dicens: Corpus meum dedi percutiētibus, genas meas*

uellentibus, & faciem non auerti ab increpantibus & conspuentibus. O magnam & uere stupendā Dei erga nos misericordiam & benignitatem, qua quum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, qua denique ipse filius, ut habet Apostolus Apocalyp. 1. nos dilexit, & lauit à peccatis nostris in sanguine suo, dum languores nostros ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiæ uiuamus, 1. Pet. 2. dum corpus suum sacrosanctum quod peccatum non fecit, quod Spiritus sancti operatione uirgo concepit & peperit, & in ore cuius nō est inuentum mendacium. Ita (ut iustitiæ diuinæ æterno patri pro nobis satisfaceret) ludibrio permisit impiorum, ut non esset species ei neque decor, ut esset despectus & nouissimus uirorum, ut quasi ouis ad occisionem duceretur, & quasi agnus coram tondente se obmutesceret, Esa. 53. Perpendant hæc mysteria fideles, & desinant tandem in semetipsis perpetratione scelerum rursum crucifigere filium Dei, Hebr. 6.

TERTIO, Describit Christi tum innocentiam, quod scilicet nullo suo merito talibus iniurijs, calumnijs, pœnis, & supplicijs sit affectus, sed tantum quod pater posuerit in eo iniquitates omnium nostrum, ut quasi conterere ipsum uoluisse uideretur, Esa. 53. Id enim iudicabat mundus, dicens: sperauit in Deo liberet eum si uult. si est filius Dei, descēdat de cruce, Matth. 27. quibus calumnijs hic respondet Christus: Dominus Deus pater, est auxiliator meus, scilicet secū dum humanitatem, quæ auxiliatore eguit. Vnde ipsi

in

in agonia constituto aderat angelus confortans, Luc. 22. licet secundum diuinitatem esset patri æqualis, ergo quia nulla est in me iniquitas, tanta est conscientiæ puritas & innocentia, & ideo non sum confusus: remansi enim inter mortuos, liber à uinculis, scilicet damnationis. Imo mortem ipsam moriendo destruxi, 1. Corinth. 15. Oseæ. 9. Ero mors tua ô mors, &c. hac fiducia securus posui faciem meam vt petrã durissimam, vt plagis & uerberibus non cederet, & atteri me passus sum propter scelera uestra, Esa. 53. non meo merito, si accusare me aduersarius uoluerit, accedat ad me, stemus simul, neque enim cedam peccati conscientia impulsus. tuetur enim innocentiam meum auxiliator meus. Ac proinde qui me condemnare uoluerunt, quasi uestimentum conterentur, & tinea comedet eos, id est, perpetua eos manet miseria tum etiam insignem misericordiã, qua nunquam potest obliuisci misereri. Siquidem omnium iniuriarum quasi immemor, post tanta in ipsum commissa scelera, & flagitia, uocat ad gratiam remissionis: nolens, vt ait Apostolus Petrus, epistol. 2. cap. 3. aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Ait enim per Prophetam: quis ex uobis timens dominum? & audiens uocem serui eius? quasi dicat: si ita vt me Dei filium sitis persecuti, iniuria affeceritis, odio habueritis gratum, et in crucem adegeritis, non est quod desperetis tamen, pœnitemini, credite euangelio, baptizetur unusquisque uestrum in nomine domini, Act. 2. hoc est enim audire uocem serui e-

 ius.

us. Sic enim fiet, vt si in tenebris ambulauerit, iam lumen recipiat fidei, & ueritatis, ac translatus de potestate tenebrarum, transferatur in regnum filij dilectionis Dei, ad Collossens. 1. Si tamen speret in nomine domini, & innitatur super dominum Deum suum: hoc est, fiduciam & gloriam spei, usque ad finem firmam retineat, Hebr. 3.

FERIA TERTIA POST DOminicam Palmarum. Epistola Hieremiæ XI.

TV autem Domine demonstrasti mihi, & cognoui: tu ostendisti mihi studia eorum, Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad uictimam: & non cognoui quia cogitauerunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignū in panem eius, & eradamus eum de terra uiuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iustè, & probas renes & corda, uideam ultionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui causam meam. Propterea hæc dicit Dominus ad uiros Anathoth, qui quærunt animam tuam, & dicunt. Non prophetabis in nomine Domini, & non morieris in manibus nostris.

Vaticinatur hæc quoque Epistola de mysterio passionis Christi: sustinens enim personam Christi Hieremias, tria facit.

PRIMO, *Ostendit sese ex certa Dei reuelatione intellexisse iudæorum contra se odia, machinationes, & consilia, quibus ipsum propter ueritatem uerbi Dei sunt persecuti. Nullus autem prophetarum, siue uitæ puritatem, siue prædicationem, siue persecutiones spectes, clarius imaginem Christi expressit, quã Hieremias. Siquidem sanctificatus in utero sanctissimè uixit, prædicatione grauiter uitia carpsit, & persecutionibus uarijs agitatus, tandem à populo lapidibus est obrutus. Non quod ista cum Christi factis conferri uerè possint: distant enim multis parasangis: Christi namque longè alia fuit uitæ innocentia, prædicatio, & passio, adeò ut soli Christo conuenire propriè possit ista Prophetæ sententia, ego quasi agnus qui portatur ad uictimam. Nunquam enim sanctorum puritas tanta esse potest, propter eam quam circumferunt naturæ corruptionem, ut misericordia non indigeant conditoris, beneficio redemptionis non egeãt, denique uictimæ pro peccatis cessent. hæc enim soli Christo ob unionem diuinæ naturæ competunt.*

SECUNDO, *Quasi per antithesim inter se committit singularem Christi innocentiam, perseuerans in ea quam ab agno sumpsit metaphora, dicens: Tu ostendisti mihi studia eorum, & non cognoui quòd cogitauerunt contra me consilia, quæ Christo non alia ratio*

ne

ne competere possunt, nisi quatenus ita se gesserit, ac si prorsus ignorasset scribarum, sacerdotum, & pharisæorum contra ipsum machinationes, quum nihil unquam horum ipsum latuerit, ita ut frequenter non tantum ipsorum, uel uerba, uel facta, quamuis occulta prodiderit, uerum etiam abditissimas eorum cogitationes, Matth. 9. Ut quid cogitatis mala in cordibus uestris? Erant enim in Christo omnes sapientiæ, & scientiæ Dei thesauri absconditi, tanta ubertate & copia, ut de plenitudine eius omnes accepe-rimus ueram tum Dei, tum scripturarum cognitionem insuper remissionem peccatorum, & gratiā pro gratia, Ioan. 1. necnon Iudæorum contra ipsum inuidiam, dum uidentes illustria Christi facta, miracula, et dogmata malo quodam zelo perciti dicebāt: quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, Io. 11. conceperunt autem hunc zelum impij ex honoris, dignitatis, & quæstus nimia cupiditate, quibus dum priuari metuebant, iuxta Prophetæ huius oraculum consilio diffiniunt, dicentes: uenite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra uiuentium, & nomen eius non memoretur amplius: hoc est, morte turpissima condemnemus eum, ut nulla posthac eius supersit memoria. hæc quidem cogitauerunt impij, sed errauerunt: Nam excæcauit eos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei, Sapien. 2. Omnibus etenim suis consilijs ac machinationibus hoc sunt consecuti, ut ipsi sibi perpetuā ignominiam,

miniam, damnationemq́ æternam, Christo uerò gloriam ac nominis immortalitatem cõpararent: quia enim Christus sese humiliauit usque ad mortem, dedit illi pater nomen quod est super omne nomen, Philip. 2.

TERTIO, *Denunciat pro hac tanta in Christum inuidia horrendum Dei in ipsos iudicium, quo acerrime filij sui tuebitur innocentiam, & ulciscetur illatã iniuriam. & impiorum iudicaturus est non tantum facta, sed corda, & renes, dum ait: tu autem domine Sabaoth, qui iudicas iustè, uideam ultionem tuam ex eis, quæ non optando, appetitu uidelicet uindictæ, dicuntur à Propheta, sed uaticinando, Dei contra ipsos sententiam pronunciat. Tribuit autem Deo iudicij æquitatem, qua nihil, ut qui ipsa iustitia est, ex affectu, amore, & odio sit iudicaturus, sed in iudicio & iustitia, ut eius sententiam nec damnare etiam si uelit, reprobus possit, sed laudare redemptus. item tribuit sæueritatem, qua impios, & infideles, hæreticos, hostes fidei, apostatasq́ et quotquot sine fide ac pœnitentia, in peccatis contra conscientiam perseuerant, perpetuis illis gehennæ supplicijs puniet proinde quisquis sese aut potentia, aut calumnijs impiorum opprimi sentit, consilium Prophetæ sequatur, reuelet domino causam suam, ipse enim iuxta Psalmographum est refugium pauperi, adiutor in tribulatione, iudex orphanorum, & pater uiduarum. Meritò igitur Christus ut exemplum omnibus oppressis exhiberet, Patri æterno causam suã*

uindicandam committit, nec temere: nam, Apostolo teste, exauditus est pro sua reuerentia, Hebr. 5. dũ in diebus carnis suæ preces & supplicationes cum lachrymis & clamore ualido obtulit. Vidit nanque ultionem quam pater sumpsit de perfidis Iudæis filium Dei persequentibus, de gentibus idololatris gratiam euangelij respuentibus, & de impijs peccatoribus filium Dei conculcantibus.

Finis Epistolarum Quadragesimalium.

VENETIIS, M. D. LXVI.

[illegible] de junio [illegible]

1879 1895




colorchecker CLASSIC
calibrite
mm